This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



37.
623.



CAROLUS AUGUSTUS BÖTTIGER.

NATUS A. D. VIII. M. JUNII MDCCLX. OBIIT A. D. XVII. M. NOVEMBR. MDCCCXXXV.

MENS BONA SI QUA DEA ES TUA ME IN SACRARIA CONDO.

C. A. BOETTIGERI

OPUSCULA

ET

CARMINA LATINA.

COLLEGIT ET EDIDIT

IULIUS SILLIG.

ACCEDUNT EFFIGIES ET SPECIMEN AUTOGRAPHI B. AUCTORIS FIGURAEQUE AERI INCISAE.

DRESDAE,
LIBRARIA AULICA WALTHERIA.

MDCCCXXXVII.

623.

c 23.

PRAEFATIO EDITORIS.

Caroli Augusti Boettigeri opuscula et patrio et Latino sermone conscripta quum colligenda et edenda in me recepissem, in utroque eorum genere diversa via incedendum mihi esse intellexi. Et illorum quidem quum modo paullo severior delectus hominibus doctis approbari posset, de quo mox alibi accuratius agendi locus erit, haec ita comparata esse vidi, ut nullum omnino ab hoc syntagmate excluderem, excepta una dissertatione de Hercule Prodicio, quae quum ambitu suo molem huius libri nimium auctura fuisset, eo minus prelis iterum subiicienda videbatur, quo facilius in tabernis librariis parari potest. Etenim Böttigerus, vir in paucis doctus et elegantissimi iudicii, omnibus suis prolusionibus peculiarem quandam notam impresserat, neque in ulla exquisitam eruditionem et diligentem compositionem desideres *), qua efficitur, ut etiamsi summam disputationis non omni ex parte probare possis, quod sibi ipsi in dissertationibus de Nemesi Herodotea accidisse Böttigerus in nuntiis literariis diariis matutinis adiectis (1824. nr. 19.) candide professus est, uberem tamen ingenii et doctrinae venam in auctore admireris. Praeterea ipsi Böttigero hoc dandum fuit, ut quae scripserat, post mortem certe

*) V. Eichstadii exhortatio ad cives academicos ex C. A. Böttigeri et H. A. Schotti vita et studiis ducta, p. 13.

ad eum redirent, quum satis diu multa eorum, quae vel primus pronunciaverat, vel post alios accuratius et plenius pertractaverat, ab aequalibus nonnullis sibi vindicata essent. Böttigerum aliquoties, qua erat animi hilaritate et singulari plane modestia, sibi gratulari memini, quod non paucis harum prolusionum honesta sors evenerit, ut aliorum usui inservire possent, parum nempe interesse putantium, lectores scire an nescire, cui novi libelli bona deberentur. Tum alia, ut omnia scripta minora reciperem, impulit me causa. Vitam hominum doctorum, eorum ingenium, indolem, sentiendi cogitandique rationem optime ex eorum scriptis cognosci apertum est. Iam Böttigerus, qui per quinquaginta ferme annos in bonis literis tractandis, docendis, illustrandis ea cum laude versatus est, ut ab omnibus, qui partium studio non obcaecati essent, eximie suspiceretur et meritissimis de toto philologiae orbe hominibus accenseretur, talis esse videbatur, cuius imaginem ab ipso expressam aequales et posteri accuratius contemplarentur eaque contemplatione ad suum ipsorum ingenium efformandum excitarentur. Quam imaginem nescio an nusquam vividius expressam inspicere possimus, quam his eius opusculis perlustratis, quae totam fere eius vitam literariam circumscribunt, et felicissimum eius ingenium abunde testantur. Vel in primis prolusionibus a Böttigero perquam iuvene scriptis prima stamina illius doctrinae agnoscas, quam in serioribus magis magisque explicabat, et si quid est, aequalibus suis utilem vixisse eorumque commodis pro virium modo consuluisse, hac quoque de causa nullam Böttigeri scriptionem omittendam putavi. Quicumque scilicet non ex ipsis Böttigeri discipulis Gubenensibus, Budissinis vel Vimariensibus audivit, quanta cum gravitate et quanto cum fervore rectoris munera sibi demandata administraverit, quam

diligens fuerit in animis et ingeniis iuventutis scholasticae ad omnem humanitatem adducendis, certe ex his prolusionibus scholasticis, quibus paucissima alia accesserunt, illud clare perspicere poterit. Discipulis suis, quos paterno vere amore complectebatur et quorum memoriam senex venerabilis extrema etiam aetate libentissime recolebat, eas scriptas esse voluit, eorum unice commodis inservire cupiit, quod qui non attenderit, de consilio, quo Böttigerus has prolusiones ediderit, non semel dubitabit; et nostrae quoque aetatis scholarum magistri, nisi forte supercilia paullo altius tollant, ex paedagogica Böttigeri sapientia haud parum puto proficient. De his tamen et aliis huius libelli dotibus plura proferre neque b. auctoris modestiae convenire, neque in me ipsum cadere arbitror, ne eas laudibus quamvis iustis extollens magnum aliquod in his edendis meritum mihi ipsi arrogare velle insimuler. Pauca attexere decet de ratione, qua in edenda hac collectione usus sum.

Et primum quidem prolusiones, quarum archetypa fere gravissimis erroribus prelorum culpa inquinata legebantur, accurate perlustrata et ab his, quoad eius fieri potuit, sedulo purgata ita repeti iussi, ut reciderem perorationes et epilogos, quibus panegyris aliqua scholastica vel similis solemnitas indicebatur, adderem, quae ipse Böttigerus uni alterive suarum dissertationum serius adscripserat, uncis ea inclusa et literis EX ADD. signata, ne, si seriora haec additamenta interdum priori Böttigeri sententiae adversarentur, lector tali repugnantia perturbaretur. Sciens autem omisi excursum de Ariadnae saltatione editioni Bornemannianae Convivii Xenophontei adiectum, utpote non ab ipso Böttigero latine scriptum, sed ab aliquo iuvene auctoritate Bornemanni in latinum sermonem conversum et paucis tantum additamentis a Böttigero ornatum, quas suo loco repetam. Hanc, si qua est,

iacturam mirum quantum mihi compensare visus sum primum editis aliquot dissertatiunculis, quae quum in Böttigeri scriniis diutius delituissent, nunc tandem cum doctis hominibus communicantur. Et de XXVI. cum XXVII. quum margini earum, quae monenda videbantur, alleverim, restat quaedam de XXIV. adiicere, cuius pars aliqua per negligentiam modo editoris evulgata videri potest. Sed res sic se habet. Böttigerus quum primam de Medea Euripidea dissertationem (XXII.) scripsisset, reliquae materiae pertractandae alteram prolusionem suffecturam esse putaverat, et huius quidem primas lineas breviter ita adumbraverat, ut opera artis Graecae, quae illustrare voluit, enumeraret et paucas de iis observationes forte natas adiiceret. Sed quod Böttigero in quovis fere libro scribendo evenit, in hac quoque secunda de Medea prolusione expertus est. Tertia sibi ad telam pertexendam opus esse vidit, et seposuit feliciori alicui tempori primas illas lineas, quas si ita ego edere voluissem, ut resecarem, quae in secundam auctor inde sumserat, retinerem, quae in tertia nunquam edita perpolienda essent, eas ita circumcidere debuissem, ut lectores, quid Böttigerus sibi voluerit, vix intellecturi essent. Hinc satius videbatur, paucas istas paginas integras servare, praesertim quum Böttigeri amicis non ingratum esse sperarem videre, quam viam in his prolusionibus perscribendis ingressus fuerit.

Quod ad carmina Latina attinet, multorum Böttigeri amicorum voluntati ipsiusque auctoritati obtemperandum fuit, qui illa iam ante aliquot annos in unum corpus colligere vellet (p. 575.), ut mnemosyna essent pii sodalis et exacti inter iocos et seria temporis. Cui consilio ego ut satisfacerem, quaecumque vel antea prelis exierant, vel manu Böttigeri scripta a me sunt detecta, omnia collegi et annorum, quibus scripta fuerunt,

ordine publicavi. Qua in re maximum mihi taedium devorandum fuit, pervolvendis immensae molis ephemeridibus literariis, quibus Böttigerum multa carmina inseruisse noram, et chartularum montibus cum pulvisculo, cuius vocis significatio accuratissime h. l. prematur, excutiendis. Quaedam tamen ut me, licet omnia perscrutantem, fugerint, factum esse potest, quod statim ipse confiteor de carmine ita inscripto: *Τὸν ἐρχόμενον εἰς τὸν χόρον* celebrat pietas gymnasii Budissini a. 1790., et a me neque Dresdae neque Budissae reperto. Idem fortasse dicendum est de carmine in reditum Friderici Augusti Saxoniae Regis a. 1815. edito, quod a Böttigero scriptum fuisse quum non plane incerti, ut videbatur, rumores ferrent, ego tamen omnibus, qui de eo aliquid scire possent, hominibus aditis frustra operam consumsi. Ea si serius in manus meas inciderint, opusculis patrio sermone conscriptis adiicientur. Quae vero carmina in hac collectione asterisco notata vides, primum nunc prodeunt, eaque ut ederentur, ipse Böttigerus voluerat. Quin multa huius generis anecdota etiammunc lateant, nullus dubito. Ceterum in nonnullis carminum locis quaedam a pristina lectione mutata invenies, quae ipse Böttigerus, si calamum festinasse vel ipse vel ab aliis monitus postea vidisset, emendaverat. Alia, in quibus eandem manum salutiferam desideres, supersunt; ea invito Böttigero corrigere non meum esse putavi, simul confidens, talia facile ab lectoribus aequis condonatum iri Viro Eximio, qui in condonandis aliorum erroribus semper tam facilem sese praestiterat. Carminibus Latinis adieci carmina aliquot Graeca ultimis aetatis annis a Böttigero scripta.

Ut huic libro extrinsecus aliquid ornamenti accederet, librarius honestissimus, b. Böttigeri amicus, nullis sumptibus sibi parcendum esse statuit, et me quidem

auctore duas tabulas, quae sine damno lectorum vix desiderari poterant, aeri incidendas curavit; suo instinctu et Böttigeri imaginem et specimen eius manus, qualia nunc dicuntur Facsimile, emtoribus obtulit. Et ad illam quidem aere a Guilielmo Hohneckio caelatore Dresdensi delineandam bustum a Rietschelio statuario Dresdensi celebratissimo duobus ante Böttigeri obitum annis peritissime gypso effictum elegi, et iis, qui b. senem ex illo inde tempore oculis videre non potuerunt, non meo solum sed multorum hominum Dresdensium nomine spondere possum, talem Böttigeri faciem sub vitae eius finem fuisse. Specimen manus exhibet epistola ad Groebelium Rectorem scholae Crucianae Dresdensis gravissimum data, quae ut prorsus intelligatur, aut huius observationum in scriptor. Rom. classicos spec. VIII. Dresdae 1826. editum aut certe Iahnii annales philologici Vol. I. p. 192. inspiciantur.

Indicibus accurate a me confectis hic liber ut a pluribus usurpetur, aliquid conferre volui, et lectores benevoli ut operam meam in Böttigeri opusculorum hac parte edenda aequi bonique consulere velint, id unum est quod rogo.

Dabam Dresdae ipsis Kalendis Augustis MDCCCXXXVI.

INDEX OPUSCULORUM.

pag.

I. De interpretatione epistolarum Ciceronis ad diversos et de lectione stataria 1
II. De interpretatione Terentii 21
III. Explicatio loci Virgiliani Aeneid. VIII. 208 — 303. . 31
IV. Quam vim ad religionis cultum habuerit Homeri lectio apud Graecos puerorum institutionem ab hoc poeta auspicari solitos 54
V. Aristophanes impunitus deorum gentilium irrisor . . . 64
VI. De scholis publicis genio seculi rite accommodandis . 97
VII. Ad locum Plutarchi in Vita Cat. Mai. p. 347. sqq. . 107
VIII. Ad locum Ciceronis in Catilinam III. 8, 9. . . . 125
IX. De puerilis aetatis pudicitia non praeceptorum sed parentum studio custodienda 141
X. Scholarum in vicinitate academiae constitutarum vindiciae 152
XI. De somnio Annibalis apud Livium XXI. 22. . . . 172
XII. De Herodoti historia ad carminis epici indolem propius accedente prolusio I. 182
XIII. De Herodoti historia — accedente sive de Nemesi Herodotea prolusio II. 193
XIV. De originibus tirocinii apud Romanos 206
XV. De personis scenicis vulgo larvis, ad locum Terent. Phorm. I. 4, 32. 220
XVI. P. Terentii Afri comoediae. Novae editionis specimen 235
XVII. Quid sit docere fabulam I. 284
XVIII. „ „ „ „ II. 299
XIX. De actoribus primarum, secundarum et tertiarum partium in fabulis Graecis 311
XX. Quatuor aetates rei scenicae apud veteres primis lineis designatae 326
XXI. Deus ex machina in re scenica veterum illustratus . 348
XXII. De Medea Euripid. cum priscae art. operibus comparata I. 363
XXIII. „ „ „ „ „ „ „ „ II. 379
XXIV. „ „ „ „ „ „ „ „ III. 392
XXV. Explicatio antiquaria anaglyphi in Museo Napoleoneo. [Haec dissertatio etiam Longino Weiskiano praefixa legitur, et separatim vendebatur. Prodiit a. 1809.] 398
XXVI. Nuptiae Psyches et Cupidinis in gemma Tryphonis 416
XXVII. Böttigerus S. P. D. B. Thorlacio, V. Ill. professori in universitate Hauniensi inclyto 423

pag.
XXVIII. De loco Horatiano a Gröbelio Viro Cl. in prolusione schol. ita tentato, ut vulgarem lectionem plane ineptam esse ostendere conaretur . . . 428
XXIX. De Lobeckii Aglaophamo narratio 440
XXX. Diis Manibus Chr. Mart. Wilandi 449
XXXI. Praefatio catalogi bibliothecae Fr. Volkm. Reinhardi 450
XXXII. „ „ „ A. Th. Gebhardti . 461

CARMINA LATINA.

I. In Bibliothecam Acad. Lips. 469
II. Carmen gratulatorium ad Comites de Einsiedel et de Langenau . . . . . —
III. Amicissimo Schmalzio 472
IV. Iohanni Gotthold Böhmero 474
V. Prentzelio 476
VI. Frid. Theoph. Bechero . . . . . —
VII. Christ. Frid. Schnaussio 479
VIII. Hufelandio suo 481
IX. Ioanni Godofredo Herdero 483
X. Fr. Volkm. Reinhardo 484
XI. Guilminae suae 486
XII. Fr. Volkm. Reinhardo 487
XIII. Voigtio 490
XIV. Seumio suo 491
XV. Fr. Volkm. Reinhardo 492
XVI. In obitum Ioannis Mülleri 495
XVII. Fortunae Reduci 496
XVIII. Döringio 498
XIX. Apelio 501
XX. Fr. Volkm. Reinhardo 503
XXI. Natalibus Friderici Augusti 507
XXII. Chr. Theoph. Voigtio 509
XXIII. Fr. Volkm. Reinhardo 510
XXIV. In iacturam capsulae ectypa gemmarum complexae . 516
XXV. Friderico Augusto 518
XXVI. Iohanni Nathan. Pezoldo 520
XXVII. Fr. Volkm. Reinhardo 522
XXVIII. Illustrissimo Nostitio 529
XXIX. Illustrissimo Comiti de Hohenthal 532
XXX. Generosissimo de Nostitz 533
XXXI. In natales Nostitii 534
XXXII. Nostitio 536
XXXIII. Ad Voigtium Vimariensem 538
XXXIV. Ammonio . . . . . —
XXXV. Döringio 540
XXXVI. Ammonio 541

pag.
XXXVII. Natalibus Friderici Augusti 542
XXXVIII. Car. Chr. Tittmanno 544
XXXIX. Chr. Frid. Ammoni 547
XL. Carmen seculare Friderico Augusto inscriptum . . . 549
XLI. Ammoni amicissimo 551
XLII. In exequias Ioannis Cantu 553
XLIII. Ammoni suo . . . . . —
XLIV. Calendis Maiis 554
XLV. Ammoni suo 555
XLVI. Friderico Kindio 556
XLVII. In arce Saxonica cui nomen Bastei 557
XLVIII. Versiculi Ulrici cippo inscripti . . . . . —
XLIX. In Breithauptii descriptionem Fribergae 557
L. Calendis Octobribus 558
LI. In Senefelderi prelum chemicum . . . . . —
LII. Cum Carolina Austriaca Dresdam intraret . . . . . —
LIII. Amor Deorum hominumque victor 559
LIV. In Semleri obitum 561
LV. Ad Ebertum . . . . . —
LVI. Ammoni 562
LVII. Ad Niemeyerum . . . . . —
LVIII. In Chladenii tumulum 563
LIX. In Friderici Augusti obitum . . . . . —
LX. Dresda pia morigera 564
LXI. Dresda lugens . . . . . —
LXII. In nuptiis Augusti Hedeni 565
LXIII. Ammoni 566
LXIV. In sodalitatem Albinam 567
LXV. In obitum Caroli Augusti 568
LXVI. Eberto 569
LXVII. Ammonio 570
LXVIII. In discessum hiemis 571
LXIX. Iernes cantilena 572
LXX. Ad amicum coelibem . . . . . —
LXXI. In obitum Gersdorfii 576
LXXII. Putiatino . . . . . —
LXXIII. Ammonio 577
LXXIV. *Κελευστικὸν* ad Ioannem Saxoniae Ducem . . . 578
LXXV. Ammoni 579
LXXVI. Lindenavii genio natali 580
LXXVII. In obitum Gruneri . . . . . —
LXXVIII. In Augusti Herderi imaginem 581
LXXIX. Quando Göthius mortalis esse desiit . . . . —
LXXX. Qua die Göthii exsequiae ducebantur . . . . . —
LXXXI. Minkae nubenti 582
LXXXII. In H. Meyeri tumulum 583
LXXXIII. Marianae Rehberg . . . . . —

pag.
LXXXIV. Fr. Guil. Döringio 584
LXXXV. Breuero 591
LXXXVI. Friderici Augusti et Mariae Bauaricae pompa nuptialis . . . . . —
LXXXVII. Natalicia Lindenaviana 593
LXXXVIII. I. A. Guil. Hedeno . . . . . —
LXXXIX. Manibus Breueri 594
XC. Ammonio . . . . . —
XCI. Ad Baehrium architectum 595
XCII. Lindenavio . . . . . —
XCIII. In almae Portae anniversaria 596
XCIV. Christ. Iac. Eisenstuckio 597
XCV. Friderico Iacobsio 599

CARMINA ALIQUOT GRAECA.

I. *Ἡ Ἑλλὰς πρὸς τοὺς νέους* 601
II. *Ὑγιείας θυμίαμα* . . . . . —
III. *Ἐς τὸ νεοθαλὲς τοῦ ἱεροῦ πηγάνου ἔρνος* 602
IV. *Ἰωάννῃ ἄρχοντι τῆς Σασσονίας* . . . . . —
V. *Τῷ αὐτῷ* 603
VI. *Εἰς τὰ γενέθλια τριάκοστα Ἰωάννου* . . . . . —
VII. *Ἰωάννῃ ἄρχοντι τῆς Σασσονίας* 604
VIII. *Τῷ αὐτῷ* . . . . . —

Index auctorum 606
Index rerum et verborum . . . . . —

P. 336. adnot. l. 2. pro Coro, illustr. legas loco illustri.

I.

DE INTERPRETATIONE EPISTOLARUM CICERONIS AD DIVERSOS ET DE LECTIONE STATARIA *).

Est haec pervulgata et doctissimo cuique usurpata consuetudo, ut, qui publicae scholae alicuius regendae et iuventutis in iis, quae ab humanitate nomen habent, litteris erudiendae potestatem sint consequuti, edito aliquo doctrinae specimine vires ingenii periclitentur et iis, quorum prolixa voluntate factum est, ut hac provincia ornarentur, studium et diligentiam testificentur suam. Cum igitur mihi occasionem eiusmodi oblatam esse viderem, nolui committere, ut, quod sapientissimis consiliis a maioribus nostris institutum et quasi per manus traditum esset officium, in eo exsequendo diligentia desideraretur mea. Fateor, me, cum primum ad scribendum appulissem animum, quidnam potissimum huic scriptioni deligerem argumentum, diu fluctuabundum haesitasse, et in ingenti, quae usquequaque animo meo obversaretur, rerum ad hoc litterarum genus spectantium copia mihi idem fere usu venisse, quod suavissima cum lignatore in silva densissima arbores caedente comparatione usus, in Ptolemaei regis encomio accidisse sibi testatur poeta Siculus **) ut exclamarem

τί πρᾶτον καταλέξω; ἐπεὶ πάρα μυρία εἰπῆν;

Nam cum eorum vestigia circumspexissem, qui iisdem rationibus inducti ad scribendum accessissent, videbam, varia sibi eos ad hanc rem elegisse argumenta, in quibus explicandis multum etiam inter se discrepent. Occursabant animo celeberrima virorum egregie de his litteris meritorum

*) Prodiit haec prolusio Lipsiae a. 1785. ad auspicandum munus rectoratus Gubenensis.

**) Theocrit. *Eid.* XVII. 11.

nomina, qui disputationem ex interioribus Graecorum et Latinorum litteris depromentes, et ut locum ex universa antiquitate aut veteri historia illustrantes vel peculiari alicui
4 Graeciae aut Latii veteris scriptori operam navantes, periculum fecissent earum, quas in tractandis evolvendisque veteribus collegerint, virium. Videbam alios, qui diversam ab his viam ingressi ad id argumentum, quod cum maxime hominum sermonibus et scriptis frequentatur, animum adiecissent, et de puerorum ac iuventutis educatione et institutione ita disputassent, ut vel in universum, quid sibi ea de re videretur, diligenter exponerent, vel singularem aliquam uberrimae huius doctrinae partem ex ingenti cumulo delibarent et seligerent. Diu igitur multumque haec animo agitanti potior tandem visa est sententia eorum, qui eiusmodi scribendi occasione sibi oblata ita uterentur, ut ad explicandam aliquam institutionis iuvenilis partem stilum suum conferrent, et, si quid haberent, quod vel sollertius ab ipsis excogitatum vel ad aliorum bene inventa sua opera additum esset, cum aliis benigne et libenter communicarent. Licet enim ego is non sim, qui aliorum laudibus detrahere et meritis illorum, qui occasione data e divite eruditionis suae penu reconditi aliquid et quod lucernam oleret depromere sategerunt, obtrectare velim, nescio tamen quomodo magis mihi arrideat eorum sententia, qui in obeundo munere, quod totum ab erudiendis et informandis teneris adolescentium animis pendeat, ex hac ipsa re materiem sibi sumant, et quam rationem in hac vel illa institutionis parte ineundam sibi putarint, in medium conferant et proponant. Quod quidem scribendi genus viris, qui in his principatum tenent, vel maxime probatum, eorumque auctoritate et consiliis insigniter promotum et adiutum esse, satis constat *). Quo facilius equidem ve-

*) Sic Resewitzius, cui merito, quicquid est hominum elegantiorum in patria nostra, principatum in his deferunt, in libro, quem nunquam, nisi doctior ab eo discedens, de manibus depono (*Gedanken, Wünsche und Vorschläge* cet. Vol. II. P. II. p. 72.) optat, ut plures, qui scholis regendis praesint, eiusmodi consilia in medium conferant. Atque hoc erit, nisi fallor, via tutissima et expeditissima, qua, procedente tempore, illuc tandem perveniemus, ut meliores fructuosioresque, quam adhuc factum est, *libri*, quos vocant, *methodici*, sive de methodo et ratione tradendarum disciplinarum, confici possint.

niam ab idoneis harum rerum arbitris me impetraturum esse scio, si summorum virorum, qui in eiusmodi argumentis versati sunt, premam vestigia. Et cum muneris eius, quod mihi a Prudentissimis Viris, huius scholae Curatoribus et Patronis demandatum est, ratio postulare videatur, ut saepius in scribendis eiusmodi libellis opera mea appareat, non alienum a persona, quae mihi imposita est, fore arbitror, ut quem ordinem, quam viam et rationem in singulis, quae mihi publice enarrandae et docendae sunt, scientiarum et linguarum cum veterum tum recentiorum partibus, mihi proposuerim, publicis scriptis declarem, atque adeo, si ad rem tam exiguam Ciceronianum illud trahere licet, ex umbraculis scholasticorum subselliorum in pulverem et solem adducam. Ita enim fiet, ut et iis, quorum interest scire, quae in schola nostra iuvenibus discenda proponantur, et quomodo doctorum in iis tradendis versetur industria, haec liquido appareant, aliis, si qua sint, quibus, idoneis rationibus commoti, calculum suum addere non possint, et quae meliori facilioriique via confici posse putent, de iis nos admonere et meliora edocere, integrum sit et liberum. Non ita enim mihi sum Suffenus et matercularum in morem, dilectissimorum infantum naevos etiam exosculantium, coeco eorum, quae in medium protulero, amore infatuatus, ut ea in nullam reprehensionem merito cadere posse mihi inducam in animum. Meo, ut qui maxime, modulo me metiri didici, et qui vix tirocinia in his posuerim, quantum restet, quod ab aliis longe maiori in his usu et peritia praeditis discere possim, probe novi. Liceat igitur, hic quoque imitari decantatam illam pictoris Coi technam, qui, teste Plinio *), opera sua proponebat in pergula transeuntibus, atque post ipsam tabulam latens, vitia, quae notarentur, auscultabat, et postridie emendata iterum proponeret. Omnes igitur harum pagellarum lectores humanissime rogamus, ut si interdum titubasse nos et per sinuosos anfractus et circuitiones eo tendisse videant, qua viam compendiariam nobis monstrare possint, humaniter admoneant et in

*) Plin. Hist. Nat. XXXV. 10. s. 36.

viam errantem deducant, memores sapientissimi illius versiculi

σοφοὶ σοφοὺς σώζουσιν, ἂν ὦσιν σοφοί *).

Sed cum singularum, quae in schola nostra traduntur, cum linguarum, tum scientiarum enumeratio, longioris disputationis esse videatur, quam quae in angustias huius scriptionis cadere possit, lubet nunc, paulo arctioribus eam circumscribere limitibus et exiguam tantum ex illa materia delibare particulam, et quae in uno unius scriptoris Latini libro interpretando a nobis adhibeatur opera, paulo uberius declarare. Sed priusquam illuc accedam, in universum quaedam mihi monenda esse video de utilitate, quam e lectione et imitatione veterum in scholis instituta ad iuvenes redundare debere, mihi quoque cum multis aliis persuasum habeo. Omnem autem, quam ex iis percipere possunt et debent, fructum his verbis contineri putem, *ut sapere et fari discant.* Atque illam quidem, quae una omnium optime a veteribus disci poterit, sapientiam, profecto non in pura puta cognitione antiquitatis, philosophiae et historiae, quanquam et haec maxime sunt fructuosa et frugifera, sed multo magis etiam in animi ad omnem sensum pulchri, venusti, urbani, honesti etiam atque virtutis, et, ut verbo dicam, omnis humanitatis acuendi et informandi cultura quadam et elatione positam esse, arbitror. Facundiam autem et, quae ab ea pendet, elocutionem, quam e veterum lectione comparare sibi debent iuvenes, non eam esse puto, quae versicolorem e variis loquendi formulis undique consarcinatis, et nitidis quibusdam sententiarum flosculis centonem consuit, et salebris orationis suae in periodum aliquam ad imitationem veteris alicuius auctoris conclusis, quasi re bene gesta, triumphat et mirum in modum sese venditat, sed eam, quae cernitur in ipsa inventione et toto orationis habitu, in naturali illa, per totam orationem fusa, quam magis sentire possis,
7 quam explicare, venustate et, ut in pauca me conferam, in tribus illis, quibus omnem bene scribendi artem contineri scimus, orationis virtutibus, perspicuitate, gravitate et suavitate. Quos quidem uberrimos saluberrimosque sa-

*) apud Plutarchum in Vit. Anton. p. 653. A. edit. Frf.

pientiae et eloquentiae fructus neminem e veterum lectione et imitatione percipere posse, qui nimis anxie singulis locis inhaereat, et omnia cum pulvisculo, quod dicunt, excutiat, non est, quod multis demonstrem. Totus Cicero, totus Virgilius, totus Livius tibi cognoscendus est, si vis, ut eiusdem divini spiritus, quo agitati illi immortalia illa opera ediderunt, aura afflatus ad sublimes, quibus facere aliquid possis, et —

volitare vivu' per ora virûm, sensus erigaris. Millies hoc dictum est, nec me hic iuvenibus meis repetere pigebit: Quicunque hanc veterum sapientiam eloquentiamque, cuius exemplo, quod nemo fere illud consequi laboret, nos hodie facile carere posse clamitare non erubescunt homines ferula digni, toto pectore imbibere et totum se ad illos componere et fingere studet, is diuturno usu veteres cognoscat, is non ex unguiculo leonem quod dicunt, sed leonem, quantus quantus est, ipsum cognoscat oportet. Atque ex his, quae ex intimis animi sensibus a me prolata sunt, facile apparere arbitror, cursoriam illam lectionem veterum in scholis etiam multo magis mihi arridere, quam illam alteram, quam Gesneri auctoritate *stataria*m appellare usus obtinuit, stataria illam puto, quae in scirpo etiam nodos quaerit, et, veluti Ennii illa *) — terrigena, herbigrada, domiporta, sanguine cassa cochlea moveat quidem, sed nihil promoveat et multo conatu nihil extricet. Sed est altera lectio etiam stataria, qua, qui ad solidam Latinae linguae cognitionem adspirent, supersedere non posse, fatetur ipse Gesnerus **). *Apprime* enim *utile est*, ut ipsis verbis eius utar, quibus meliora substituere nullo modo possim, *unumquemque in progressu studii in uno alteroque boni auctoris libro intelligere, quanto sit opus appa-*8 *ratu doctrinae, ut omnia plane intelligantur, ut omnium personarum, rerum, verborum, formularum, accurata possit reddi ratio.* Atque hac ratione nos

*) apud Ciceronem de Divinat. II, 62.

**) in celeberrima illa *ad Livium praefatione* §. 19. adde sis peritissimum harum rerum iudicem, *Resewitzium* (*Gedanken, Vorschläge* cet. Vol. III. P. II. p. 149. seqq.)

in eo, de quo nunc agemus, interpretationis genere, uti, quae invidia est, cum nulli alii nisi huic uni libro diutius immoremur, reliquos omnes, quantum eius a nobis fieri potest, maxima celeritate percurramus.

Disertissimum Romuli nepotum, M. Tullium primum in iis auctoribus, qui in schola nostra explicantur, locum tenere, nemo mirabitur, cui primas ei inter omnes, quotquot vetus Latium scriptis suis illustrarunt, auctores deberi, satis persuasum sit. Nam, ut praeclare monuit summus Ernestius *), cum multum referat optimis statim in principio imbui, Ciceronem autem in arce Romanae eloquentiae ponendum esse, uno ore omnes consentiant, nonne consentaneum erit iuvenibus, relictis ceteris rebus, omnes Tullianae eloquentiae fontes aperire? Verum enim hoc est, quod magnum Ernestium saepe dictitasse ab iis, quibus ab ore magni huius universae Germaniae doctoris pendere licuit, accepimus, tanto maiorem de schola aliqua spem concipiendam esse, quo maius pretium in ea statuatur Ciceroni. Atque hinc est, quod olim Melanchthon **), Camerarius aliique in his terris bonarum artium statores et vindices, Ciceronem in primis in scholis legendum et nunquam de manibus deponendum esse, censuerint. In Cicerone igitur iu-
9 venibus nostris explicando vel maxime in optatis foret ut eandem plane sequi possemus rationem, quam in illustri schola Thomana se sequutum esse profitetur Ernestius ***), qui singulis annis dimidium certe epistolarum ad diversos volumen et sedecim amplius Orationes in Cicerone a se absolutas esse, affirmat. Sed cum haec ratio ad captum discipulorum nostrorum et universam scholae nostrae conditio-

*) in aurea illa, Stiglizii nomini inscripta, dedicatione Operum Ciceronis p. XLVIII.

**) digna in primis sunt, quae conferantur in hanc sententiam, *Criseis Melanchthonianae* de eligendis optimis quibusque in omni genere disciplinarum auctoribus, *collectae a Gregor. Richtero, Isleb.* a. 1597. 8. quas, si quis alter Strobelius hac tempestate, qua omnia fervere videas et perstrepere clamoribus de emendatione institutionis scholasticae, recoquere, et e vetustatis situ, quo ut omnia magnorum seculi illius heroum scripta obsita nunc iacent et obsoleta, vindicare, nae, ille magnam ab omnibus, quibus res scholastica curae cordique est, inierit gratiam. Ceterum de studio in Ciceronem in scholis impendendo illustris etiam extat locus in elegantissima Melanchthonis *de studio artium dicendi* oratione. T. I. Declam. p. 389. seq

***) in narratione de vita I. M. Gesneri, adiecta Opusc. Rhet. p. 488.

nem, de qua alibi forsitan agendi locus erit, parum apta sit et accommodata, id tamen diligenter curandum a nobis esse putavimus, ut eum e Ciceronis scriptis statim ab initio seligeremus librum, cuius uberior explicatio facem praeferret non solum iis ipsis, quae cum maxime legeremus, eloquentissimi hominis verbis, sed aliis etiam eiusdem auctoris scriptis, domestico iuvenum studio relinquendis; et cuius lectione saliva, ut ita dicam, iis moveri possit, ut hac quasi gustatione initiati ad iustam coenam festinent et ad omnia divini huius scriptoris opera perlegenda et assiduis manibus terenda impetu quodam abripiantur. Huic igitur consilio maxime idoneas et aptas esse iudicavimus illas, quas ad diversos scripsit, epistolas, quas laudare, perinde esset ac si velles virtutis magnificum aliquod contexere encomium *). Mihi certe ab eo tempore, quo Ciceronis scripta evolvere, eorumque iucunditate et utilitate perfrui licuit, semper persuasum fuit, nihil ad maximas eloquentiae copias in animo exstruendas praestantius, nihil ad vastum illud et capitale Ciceronis ingenium penitius cognoscendum et perspiciendum aptius, nihil ad pellicien- 10
dos iuvenum animos et mira quadam ob ipsam argumentorum varietatem suavitate deliniendos efficacius inveniri et ne excogitari quidem posse his ipsis, quas perperam ad familiares nominamus, Ciceronis epistolis. Huc accedit, quod non leve momentum in hac causa iudicaverim, unum fere esse, idque optimum, quod ex antiquitate ad nos pervenerit, exemplum generis scribendi epistolaris, quod maxime et ab omnibus, iis etiam, qui nunquam alio genere in vita utuntur, frequentari solet Atque hoc magis etiam valere videbis, si ad ea tantum, quae adhuc Latino sermone componuntur, scripta haec referas. Nam, ut hodie res sunt,

*) et tamen modicum volumen conficere posset credo, qui omnia, quae de praestantia harum epistolarum passim leguntur, testimonia undique colligere velit. Dignus tamen, qui hic conferatur, *Morhofius in Polyhist.* I. 23. p. 276. edit. Lubec. Inter recentiores, qui suavitatem et utilitatem eorum summis laudibus extulerunt, eminet Gesnerus, qui in praefationculis illis, quas praefigere solebat tabulis lectionum Gottingensibus, scripsit etiam *commendationem epistolarum Ciceronis ad diversos in Opusc.* T. I. p. 45. Addam unum Schelleri, V. Cl. testimonium, qui in *praeceptis stili bene latini* p. 766. has epistolas in omnibus Ciceronis libris in primis legendas esse, censet.

in quibus linguae huius usum indies arctioribus limitibus circumscribi et prae vernacula lingua magis magisque contemtui haberi et obsolescere videas, quid praeter unam alteramve epistolam extra subsellia scholastica conscribi soleat sermone Latino, vix apparet *). Habent igitur iuvenes in Ciceronis epistolis exemplar omnibus numeris absolutum, in quod intueri, quod non solum in epistolis latine conscribendis sed patrio etiam sermone componendis, sibi semper ob oculos proponere possint, dummodo Ciceronis lectione ita imbuantur, ut non tantum formulas in eo venari, aut ieiunis imitatiunculis eum minutatim concidere, sed totum etiam ingenio et inventione exprimere et referre discant.

Quod vel inprimis etiam in interpretandis eius ad diversos epistolis mihi propositum fuisse, fateor. Expli-
11 cavi autem hactenus librum IV. et V. ea ratione, ut paucas admodum, neque eas tamen a Cicerone profectas, omitterem. Licet enim non omnes eadem argumenti gravitate, iisdem rerum ponderibus se commendent, lectorumque animos retineant, nolui tamen reliquas sicco, quod aiunt, pede transire, quae, si recte ad usum iuvenum convertantur, non possunt non fructuosae esse et utiles. Nam, quod aiunt, seligendas et excerpendas esse tantum eas **),

*) v. *Sintenis* V. Cl. in Prolusione *de nimia sermonis patrii cultura hodiernae barbariae causa.* Lips. 1780. quam utinam omnes iuvenes non solum legerent, sed alte etiam in animum suum demitterent. Ceterum quod ad hunc epistolarum Ciceronis usum attinet, idem iam suis temporibus observavit Muretus, cuius verba, quod magis in nostram, quam in illam, qua Muretus floruit, aetatem scripta videantur, temperare mihi non possum, quin adscribam (Orat. T. II. p. 161.): *Hodie, iuvenes, si verum amamus, omnis fere usus eloquentiae, praeterquam in scribendis epistolis ita de medio sublatus est, ut nec vestigium, nec vola appareat — Mansit iam illud, ut qui bene, id est, tum diserte, tum prudenter et ad res, ad personas accommodate epistolam scribunt, ad maximarum rerum tractationem adhibeantur, maximisque plerumque commodis augeantur.*

**) Suasit hoc iam olim *I. Caselius*, in libello, quod *de ludo litterario aperiendo* scripsit, p. m. 36. Atque hoc consilium plures deinde sequuti sunt, qui collectiones selectiorum epistolarum ediderunt. Notissima est collectio Sturmiana, quae puerorum adhuc manibus teritur in scholis compluribus non sine summo eorum taedio et maximo rei litterariae damno. vid. *Gesner. in Opusc.* I. 1. Sane, si collectio talium facienda esset, non, nisi a viro harum rerum peritissimo suscipiendus esset hic labor. Atque utinam Schellerus, quem olim editionem epistolarum selectarum notis ad modum Chrestomathiae Ciceronianae illustraturum animo agitasse, acce-

quae familiari filo orationis et epistolis proprio scriptae sint, cum maior earum pars versetur in rerum commutationibus, statu reipublicae et historia illius temporis explicandis, in eo me assentientem habere nullo modo possunt. Nam illae ipsae, quas politicas vocant, epistolae ita plerumque sunt scriptae, ut maxima Ciceronis prudentia, in occultis rerum causis indagandis sagacitas, et in conformandis ad eorum ingenia, quibuscum illi res esset, moribus suis sollertia ex iis eluceat, quae si iuvenibus ita exponuntur, ut, praemissis iis quae ex historia illorum temporum et singulorum hominum scitu et cognitu necessaria sunt, in rem praesentem adducantur, et, cur ita scripserit, cur hic circuitione, illic aperto sermone usus sit, hoc lenius tulerit, illud acrius perstrinxerit, diligenter edoceantur, nonne credibile est, summa animos eorum huic quasi spectaculo intentos permulceri voluptate, et quod in maximo lucro deputandum esse puto, mature ad prudentiam et rerum usum informari? Quis non gaudeat, harum epistolarum lectione se intra velum quasi et, quod Lucretius ait, post- 12
scenia *) fabulae admissum esse, quae post hominum memoriam acta est maxima **). Atque hoc ipsa iam experientia edoctus liquido affirmare possum, iuvenes tali interpretatione, si recte instituatur et res a sensibus et memoria eorum remotae cum iis, quae propius eos contingant, comparentur, impense delectari. Sed ut magis constet, quam

---

pimus, ultimam ei manum imponeret, et immortalibus beneficiis, quibus rempublicam litterariam praeclaris ingenii sui monumentis iam devinxit, hunc quasi cumulum adderet!

*) IV, 1183.

**) Adscribam hic verba e suavissimis illis, utilissimisque Gesneri ad Isagogen, quas Niclasio debemus, praelectionibus (T. I. p. 129.) „*Agitur ibi* (sc. in epistolis ad diversos) *de summis rebus et de summis viris ad summos homines. Habent infinitum prudentiae civilis. Continent historiam illius temporis, et exponitur ibi revolutio totius imperii. Soleo dicere, quoties has praelego, esse hoc collegium politicum.*" Hinc in deliciis etiam fuerunt ab omni aetate viris principibus et summis imperatoribus, quod de Io. Alberto celeberrimo illo Seculi XVI. Archiepiscopo et Electore Moguntiaco memoriae prodidit *Reineccius in praefat. ad libr. XIV. annotationum I. Glandorpii* in epistolas Ciceronis ad familiares. p. m. 511. Atque ipsum adeo Clementissimum patrem patriae nostrae Serenissimum Electorem, cum princeps iuventutis Ciceronem etiam lectitaret, in primis his epistolis delectatum esse, locupletium testium iudicio cognovi.

in his epistolis explicandis ineam rationem *), age, singula, quomodo pertractentur, percensebo ordine, adspersis, quae ad universam hanc statariae lectionis rationem pertinere mihi visa sunt, observationibus. Priusquam ad ipsam epistolae alicuius interpretationem accedam, nihil prius neque antiquius mihi habendum esse puto, quam ut brevem, si epistolae ratio postulet, ei praemittam praefatiunculam, in qua, quid ex historia illius temporis illuc facere videatur, et quibus consulibus, quo consilio et qua ratione ea scripta sit, paucis, sed dilucide exponam. Atque hic argumenta a P. Manutio singulis epistolis praefixa, magno usui esse posse, neminem qui has litteras attigerit, fugere potest. Fateor autem maximos me ad eandem rem
13 fructus cepisse e Vita Ciceronis a Middletonio concinnata **) et lectione Vitarum quarundam parallelarum Plutarchi, quibus tota illius aetatis historia luce clarissima perfunditur. Quodsi enim tunc demum auctorem aliquem plane intelligere putandi sumus, cum eadem nobis quoque repraesentare possumus animi visa et imagines, quae obversabantur scribentis animo, sane hoc in legendis Ciceronis epistolis nullo alio modo consequi poterimus, quam ut ad haec, quae praefanda esse monui, diligenter attendamus. Hac enim via eo nos pervenire posse puto, ut Ciceroni, quid scripturus sit, agitanti in animo, quasi adesse scribentique assidere videantur tirones. Parvam autem temporis, quod huic rei impendendum est, iacturam abunde compensat perspicuitas et lux clara e cognitione historiae aliarumque rerum huc pertinentium toti epistolae circumfusa. Itaque in interpretatione ipsa multo celerius expeditiusque pro-

*) pauca, sed praeclara de ratione Ciceronis epistolas ad diversos interpretandi, praecipit Schellerus in libello illo vere aureo: *Anleitung, die besten lateinischen Schriftsteller zu erklären*, p. 253—55. edit. nov.

**) Opus hoc est consummatissimum et vere, ut ille ait, cedro linendum, quod omnibus, qui in eadem palaestra desudarunt, facile palmam mihi praeripuisse videtur. Optandum sane foret, ut eorum omnibus, quos Ciceronis penitius cognoscendi incessit cupiditas, manibus tereretur, cum tamen ob ingens, quo constat, pretium paucos in re libraria sua tam lauta supellectili frui liceat. Quo magis dolendum est, versionem huius libri vernaculam quae pretio aliquando salubriori parari posset, innumeris scatere mendis, et mira in sensu ipso exprimendo confectam esse socordia et oscitantia, quod mihi versionem illam cum prototypo Anglicano sermone conscripto diligentius comparanti, abunde patuit.

gredi possum, remotis iam et sublatis, quae retardare poterant et quasi sufflaminare legentium impetum, impedimentis gravissimis. Deinde si iam ad epistolam perventum est, excito unum e maioribus, qui vel totam vel partem eius, si in plures dispesci possit, statim in vernaculam linguam transferat ea tamen conditione, ut si verba occurrant difficiliora, vel plane, ut ita dicam, Romana, quae a ratione nostra ita abhorreant, ut verbum verbo reddi nequeat, aestuare eum et multa haesitare non patiar, et vel aliorum, quos vultu impatientiam iam ea explicandi prae se ferre videam, exquiram sententiam, aut, si horum nihil accidat, ipse statim, quae vis illis subiicienda sit, et quomodo, si verti tamen possint, vernaculae linguae respondeant, breviter admoneam *). Sequitur ut 14
si qua de vi et potestate singulorum verborum explicanda vel ob rariorem verborum structuram et pleniorem numerum ad Rhetorices normam exigenda, vel ex historia et ritibus ad pleniorem sensus cognitionem adiicienda sunt, maxima brevitate **) exponam, vel crebris subinde quaestionibus ingerendis ex ipsis auditorum mentibus eliciam, quod multo maiorem ad excitandam audientium alacritatem vim habere, quam illam alteram, una serie haec enarrandi vel adeo dictandi faciliorem docenti, sed discentibus

*) in toto hoc vertendi genere exemplum, ad quod tanquam ad amussim omnia dirigam, mihi propositum esse fateor Summe Rev. *Gedickii* viri in his litteris Coryphaei, praecepta in utilissimo illo libro *Aristoteles und Basedow* tradita, quae qui nondum legerit, emat librum et ediscat (p. 189 — 194.).

**) Nimirum antiquata est tandem et plaudentibus omnibus, qui favent his litteris, a magnis praecipue illis duumviris, Gesnero et Ernestio proscripta e scholis plerisque inepta illa et abnormis veterum auctorum explicandorum ratio, qua ad unius loci illustrationem plaustris undique convehebantur antiquitatis thesauri plane ἀπροσδιόνυσοι et adscititiis illis insanis eruditionis pigmentis omnes optimorum auctorum Veneres excoecabantur. Hodie propositum est omnibus saluberrimum illud, et quod hic quoque vim suam exercere queat, Corinnae, quod Pindaro dedisse fertur, praeceptum, τῇ χειρὶ δεῖν σπείρειν, ἀλλὰ μὴ ὅλῳ τῷ θυλάκῳ (apud *Plutarch. de Glor. Atheniens.* p. 421. edit. Basil.). Atqui huc pertinet etiam insana illa et merito nunc ubique explosa et exsibilata, cui doctores ipsi dictando, quod scriberent discipuli, plus nimio favebant, omnia calamo excipiendi ratio, quam e schola mea, quantum eius fieri potuit, penitus sublatam esse volui. Nimirum, modo ἀμοιβαῖος λόγος sit doctoris in tradenda re quacunque, tempus ipsum dictando non suppetet. Sed vide Schellerum in libro iam laudato.

minus fructuosiorem rationem, ipse etiam intellexi *). Ceterum in hac ipsa interpretandi ratione cum insint alia quaedam, quae semper mihi observanda esse duxerim, haec quoque attingere a scriptionis huius consilio non erit alienum. In singularum vocum vi et notionibus explicandis hoc agere, huc omnem animi aciem intendere soleo, ut indagandis primariae significationis originibus et ratione, qua una ex altera profluxerit et a rebus in sensu cadentibus ad alia, quae mente tantum percipiuntur, translata sit et multifariam variata, demonstranda, stemmata, genealogias, si fas ita loqui cum Sulzero **), vocum contexam ***).

*) In his quaestionibus, ad captum uniuscuiusque attemperandis et tam callide proponendis, ut si scopum non attigerit, quem interrogaveris, amicis subinde interpellationibus corrigatur, et, quae tu illi tradideris, ex intimis animi sui sensibus sibi ipse depromsisse videatur, summum doctoris artificium cerni puto. Atque hoc est, nisi fallor, quod e celeberrima illa Socratis μαιευτικῇ in usum suum derivare possunt ii, qui pueris et iuvenibus erudiendis operam dant, et quod cum maxime in plerisque scholis fieri, recte observat et inter bona emendatae nostra aetate rei scholasticae recenset, in praeclara illa oratione, quam adeundi muneris sui causa habuit Vratislaviae Liberkuhnius p. 13. Nam non omnia ex obstetricia illa arte Socratis huc transferri posse, quod Socrati res fuerit non cum pueris, sed cum hominibus adultis, usu etiam vitae iam exercitatis, facile apparebit ei, qui locum classicum hac de re in Platonis Theaeteto p. 71. edit. Basil. et alia loca, quae collecta et scite disposita habes apud Cl. Meinersium (*Geschichte der Wissenschaften in Griechenland und Rom.* T. II. p. 376 seqq.) accuratius perpendere velis. Quod qui de methodo Socratica hodie scripserunt, non omnes (paucissimi enim vel oculis tantum usurparant Platonis opera) intellexisse videntur, vidit tamen acutissimus harum rerum indagator, Resewitzius in libro saepius laudato (*Gedanken, Vorschläge* cet. Vol. I. p. II. p. 19.), qui etiam in alio eiusdem libri loco (Vol. III. p. I. p. 98—102.) graphice depinxit universam hanc methodum, additis regulis valde praeclaris, mihi ipsi iam usu comprobatis. Legi tamen prae ceteris meretur etiam Cl. Waltherus in dissertatione super methodo Socratica. (*im Archiv der ausübenden Erziehungsk.* Vol. VII. p. 1—40.)

**) Sulzer *vermischte Schriften* T. I. p. 139.

***) Invaluit iam haec et celebrata est satis a Gesneris, Ernestiis, Hemsterhusiis, Ruhnkeniis aliisque egregie exculta et nuperrime a Schellero et Dillenio Vocabulariis, quorum haec prima dos est, concinnandis insigniter aucta, varias unius vocis notiones ab una aliqua primitiva derivandi et apte inter se coniungendi ratio. Mihi ad hoc studium, quod mira voluptate animum talium deliciarum cupidum delinire solet, facem praetulerunt praelectiones, quibus, cum in Academia Lipsiensi commorarer, me interfuisse, in summa semper felicitatis meae parte ponam, Illustr. Mori, cuius tanta et tam praeclara in me extant beneficia, ut prius vitam quam eorum depositurus sim memoriam. Qui cum ipse olim in explicanda voce difficillima καπνρός egregium, in quod omnes intueri possint, publice huius rei proposuerit exemplum, nuper etiam pauca sed praeclara monuit in iudicio illo praefationi Lexici Dilleniani inserto p. XIII. Dignus sane, qui hic conferatur, est Schelleri libellus supra iam laudatus.

Dici non potest, quantam haec ratio ad ingenia discipulo- 16
rum acuenda et *εὐστοχίαν* quandam occultas rerum causas subodorandi investigandique illis induendam vim habeat, praecipue si non ipse haec tibi explicanda sumas, sed, enumeratis promiscue omnibus vocis alicuius notionibus, ipsis discipulis auctor sis, ut in iis disponendis atque ex inordinato in ordinem adducendis periculum faciant virium suarum *). Atque hoc ipsum praeclarum ad animos iuvenum praeceptis quibusdam Logices imbuendos et ad nobilem illam causarum seriem in ipsis Metaphysicis indagandam adiumentum esse existimarim **), cum quae Engelius, Biesterus, Gedickius ad hunc usum e Platonis dialogis quibusdam delibaverint, in angustias et captum scholae nostrae cadere vix possint. Sed hic quoque aureum illud: *μηδὲν ἄγαν* quam diligentissime observandum esse, facile apparet. Nam ut omittam universam illam rationem valde esse lubricam et multam eius partem in coniecturis positam, poterit et hic aliquis nimio harum rerum indagandarum studio in transversum actus extra oleas, ut est in proverbio, vagari et quod Ciceroni aliive auctori legendo explicandoque impendendum erat temporis, minutis eiusmodi disquisitionibus perdere et conterere. Atque est hoc, nisi fallor, condimenti quoddam genus, quod non nisi parca manu solidiori humanitatis cibo, lectionem puta veterum, adspergere debemus. Evilescere haec et sordere incipiunt, quamvis magna arte tractata, si nimis crebro inculces, discipulis. Nec titillant palatum cibi exquisitissimi, si quotidie iis vescare. Porro quod interdum perincommode mihi accidere solet interpretanti in schola has epistolas, ut in magna veterum editionum, quae discipulorum plerumque manibus teruntur, diversitate, magna sit etiam lectionis 17

Cf. Resewitzium (*Gedanken Vorschläge cet.* Vol. I. P. III. p. 32) et Stavium, (*über das Schulwesen* p. 132.)

*) eandem vocum explicandarum methodum, geneticam vocant, in illustri schola conventus Bergensis obtinere didici e Resewitzio (*Gedanken, Vorschläge* Vol. IV. P. III. p. 68.) et in illustri Gymnasio, cui regendo praeest Gedickius ex utilissimo libello (*praktischer Beytrag zur Methodik des öffentlichen Schulunterrichts.* Berol. 1781.) p. 89. sq.

**) praeclare, ut omnia, hoc quoque monuit Illustr. Heynius, *über die Einrichtung des Paedagogii zu Ilfeld* (Archiv der aus. Erz. Vol. IX. p. 109. seq.)

totus migravit, Gesneri Thesaurus. Ita enim e locis iuxta se positis, facile, quis sit loci controversi sensus, diiudicare poteris.

Sequitur, ut quid absoluta illa Grammatica interpretandi ratione mihi faciendum esse putem, paucis edisseram. Hic, relictis rebus omnibus, in eo elaborandum mihi esse arbitror, ut si quid illi insit epistolae, quo sensus pulchri et honesti ali atque augeri queat in teneris auditorum animis, huc eos omnem animi aciem intendere, hoc penitus animo infigere et tota mente imbibere iubeam *). Sed hic nihil iuvat, interiectis illis, euge, belle, σοφῶς! exclamationibus obtundere et in stuporem dare auditores, quos saepe frustra hiare et hoc ipsum patulis oribus prae se ferre videas, se οὐδὲ γρῦ intelligere. Imo per partes singulas mihi eundum et quid in quoque genere eleganter, quid venuste, quid facete dictum, quid perspicue, quid graviter, quid copiose enuntiatum sit, quomodo verba apte inter se coagmentata et vincta coalescant, quis sit membrorum mutuo sibi respondentium numerus, quis periodorum universarum ambitus et comprehensio in hoc ipso, quod mihi ad manus est, exemplo demonstrandum erit. Et habet haec

---

concludi potuisse. Nolim igitur hoc nomine acerbius eam reprehensam fuisse a Schellero V. Cl. in Praefatione ad Lexicon mai. quem tamen iniqui et malevoli in praeceptorem suum animi postulare cum acrioribus eius adversariis nolim, cum ipse saepissime *magnum* appellet, a quo secundum *ἰσηγορίαν* omnibus in hac republica litterarum concessam, merito interdum sibi dissentiendum putet, Ernestium, in qua sententia esse etiam Viros Doctos in *Allgem. deutsch. Biblioth.* B. LIX. P. I. p. 227. maxime laetatus sum. Quod autem ibidem vellicat Schellerus morem Ernestii, Salmasios, Manutios et praeclarissimos quosque veterum interpretes laudandi in Clave, semper ita induxi in animum, clavem non solum tironibus, sed vel inprimis etiam doctoribus scriptam esse, posse tamen et ipsos tirones multum ex ea ratione proficere, si vel fando accipiant eorum nomina, quae plane ignorare sane turpe fuerit humanitatis studioso, praecipue si singulorum in rempublicam merita a doctoribus ipsis, quibus praesentibus etiam discipulos clavem evolvere maxime consentaneum est, edoceantur.

*) Atque hoc magis etiam nostra aetate, qua, qui linguam Latinam ipsius linguae causa discere velint, reperiuntur oppido pauci, in omni interpretatione et lectione veterum spectandum esse, res ipsa loquitur. Egregia hanc in rem praecepta profert et quomodo lectio veterum nostri seculi genio accommodanda sit, docet Tammius, Inspector Seminarii Woerliziensis prope Dessaviam (in *Resewitzens Gedanken, Vorschläge* cet. Vol. V. P. I. p. 32. seq.); adde prolusionem *Steinhaueri, von der besten Methode die classischen Autoren Latiens der studirenden Iugend zu erklären.* Giesen. 1780.

tio singulares quasdam illecebras, quibus iuvenum animis, quos natura omnes ad pulchri et honesti sensum formavit, ita capi et irretiri possunt, ut nullum unquam eos talium rerum percipiat taedium. Deinde exhortor eos, ut qua ratione argumentorum, ut ita dicam, semina per universam epistolam sparsa et summa cum arte saepe occultata sint, et quae singulorum vis sit et efficacia, attendant. Hic autem vel in primis valet illa ratio, ut si quae cum amplificatione vel exaggeratione aptaque membrorum collocatione dicta erant, seposito ad tempus omni illo adscititio ornatu nudae et simplici enuntiationi adstringere, et qua arte, qua copia, quibus coloribus, quibus figurarum et 21
troporum commutationibus haec exornaverit homo post homines natos eloquentissimus, accurate contemplari discant. Et cum saepe in eodem argumento versentur Ciceronis epistolae, v. c. in consolatione ad amicos, Roma exulantes, vel obitu suorum afflictos, tantum abest ut taedium obrepere possit discipulis ex hac argumenti similitudine, ut potius, si recte admoneantur, quam copiose et diversimode Cicero haec variaverit et ipsi loca illa contendere et qua arte haec facta sint, attendere iubeantur, multum hoc quoque ad copiam et elocutionem in iis augendam valebit. Iam cum hoc omnibus a natura insitum sit, ut quo quid propius nos contingat, eo maiorem in animis movendis et percellendis vim habeat, iuvenes autem vel in primis iis rebus ducantur et capiantur, e quibus statim utilitatem aliquam ad se redundare posse certis argumentis cognoscant, saepenumero etiam, quomodo haec statim imitari vel olim certe in usum suum convertere possint, eos edoceo. Atque hic illud etiam urgendum esse censeo, eloquentiam in omnibus linguis esse eandem, vestitum tantum et externum cultum pro diverso linguarum genio variare. Dici non potest, quantum hac ratione delectentur iuvenes, si, ut hoc utar, quas in Cicerone legerunt epistolas, gratulatorias largissimam, qua in vernacula quoque lingua late et apposite uti queant, gratulationum segetem sibi suppeditaturas esse, videant *). Porro cum multa et egregia cum in omnibus 22

*) sic nuper admodum in explicanda ep. XVI. Libr. V. quae est conso-

Ciceronis scriptis, tum praecipue in his epistolis occurrant summae eius humanitatis, morumque et vitae suavitatis atque elegantiae vestigia, haec quoque non praetermittenda esse putavi et ut omnem illius elegantiae rationem penitus perspicerent discipuli mei, enixus sum sedulo. Tectiora enim haec esse solent et magis recondita, quae nisi maiorem aliquam familiaritatem cum veteribus contraxeris, et quasi in eorum contubernio consenueris, haud facile sentias *). Et quando plenae sunt illae epistolae sententiis pulcherrimis acutissimisque de constantia, patriae amore, et virtute, huc quoque omnem curam docendi dirigendam esse ratus, ut haec a discipulis meis animadvertantur, gustentur ac penitus imbibantur, nihil mihi reliquum facio **).
22 Est enim iuvenilis aetas ob sequacitatem illam et mollitiem, cui, ut udae argillae omnia imprimere queas et informare, vel inprimis apta his morum praeceptis, si in tam illustri exemplo proposito vehementius animum impellant.

---

latoria ad Titium, magno illa et praeclaro artificio scripta, iuvenibus meis, quorum maior pars litteris sacris olim operam dare constituerunt, demonstravi, qua ratione argumenta a Cicerone usurpata ad orationes funebres, quibus hodieque defunctis parentare solemus, commode transferri possint. Quam rem non mediocrem illis delectationem attulisse et calcar ils, ut eo acrius in lectionem Ciceronis, e quo vel ipsam artem concionandi petere possent, incumberent, addidisse, argumentis satis idoneis cognovi. Et profecto quo acrius ad haec pervestiganda intendas animum, eo plura invenies, et verissimum esse deprehendes, quod affirmat Manutius in Comment. ad Cic. ep. ad Q. Fr. III. 1. p. 103. *ex una mehercule sententia a Cicerone tribus vel quatuor verbis explicata, saepe intellexi, cum ad cogitandum me dedi, res propemodum innumerabiles eiusdem generis, eiusdem elici sententiae posse.* Legendus, qui apprime huc facit S. V. Seilerus in elegantissima disputatiuncula de matura oratoris sacri in scholis institutione, *von der frühern Bildung künftiger Prediger.* (*Archiv der ausüb. Erziehungskunde* Vol. I. p. 45. seqq.)

*) Collegit in libro notissimo *de dictione ludicra* Vavassor omnes, quas invenire poterat facetias et dicteria Ciceronis. Qui urbane et venuste atque suaviter dicta eiusdem auctoris colligeret, inventus est adhuc nemo, quod quidem longe difficilius esse, facile intelligitur. E consummatissimis de oratore libris exquisitissima quaedam congessit Ernestius in *prolusione* a. 1736, quae continet *commendationem librorum Ciceronis de Oratore.* Pari ratione, ut hoc addam, putabat Gesnerus posse e Terentio librum confici, qui contineret verba honorum: *ein Complimentirbuch.* (Isagog. T. I. p. 134.)

**) Scilicet hic quoque saepe inculcandum est illud: *vitae discimus, non scholae.* Nam, ut elegantissimis verbis utar Luciani (in Conviv. s. Lapith. T. II. p. 684. extr. ed. Graev.) τὸ πεπαιδεῦσθαι ἀπάγει τῶν ὀρθῶν λογισμῶν τοὺς εἰς μόνα τὰ βιβλία καὶ τὰς ἐν ἐκείνοις φροντίδας συνεχὲς ἀφορῶντας. Pulcherrima etiam hac de re extat sententia in Ernestii orationibus in Opusc. Rhet. p. 32.

Superest unum, quod licet non nisi in fine interpretationis locum habere possit, tamen, si utilitatem spectes, quam inde capere possint discipuli, non ultimo loco ponendum esse videatur. Nimirum cum in epistolam inciderim graviorem, in cuius explicatione ob argumentorum verborumque pondera diutius haeserim, in fine totius epistolae versionem a me ipso confectam lingua vernacula praelegere soleo, eo consilio ut iam totius epistolae ordo et pulchritudo uno quasi obtutu perlustrari possit, et simul, in quibus vernaculae linguae genius a Latina discrepet, in quo amice inter se conspirent, luculenter appareat. Ad duplex enim hoc consilium versiones huiusmodi referendas esse, qui haec accuratius perpendere et apud animum suum exputare velit, facile perspiciet. Sed ut huius consilii ratio nobis constet, non solum fida sit oportet et pressa, verum venusta etiam, vernaculae linguae genio quam maxime consentanea, quae nec verba annumeret, nec unam Latini scriptoris syllabam non exprimat. Quod cum in omnibus veteris Latii scriptoribus arduum sit et perdifficile, magnique sudoris et multarum vigiliarum opus, tum praesertim in vertendis his Ciceronis epistolis innumeris undique obseptum et circumvallatum quasi impedimentis nemini, nisi experto, satis constabit. Atque hinc est, quod eorum sententiae subscribere non possim, qui absoluta epistolae alicuius interpretatione a discipulorum aliquo extra ordinem ad hoc excitato, statim vertendam eam esse, existiment. Imo relinquendum est domesticis eorum studiis, vel in repetitionis etiam locum sequenti hora exigendum aut in exercitationum, quae privis et singulis horis emendentur, numerum referendum.

Illam vero vertendae in ipsis praelectionibus epistolae 24
provinciam sibi uni traditam esse putet praeceptor ipse *):

*) facere non possum, quin addam verba Stuvii in libro supra iam laudato p. 134. „*Wörtlich übersetzen und umschreiben ist gleich fehlerhaft und geschmacklos. Eine gute Ausgabe, und die beste daseiende Uebersetzung muss der Lehrer in den Händen haben, letztere auch seinen Schülern, als Muster ihrer Arbeiten vorlesen. Schwere und schöne Stellen muss er, wenn sie gehörig erklärt und verstanden sind, selbst noch einmal herlesen und übersetzen.*" Hinc in legibus scholasticis Monasteriensibus (*Verordnung die Lehrart in den untern Schulen des Hochstift Münster betreffend.* 1776.) hanc quoque legem praeceptoribus scri-

Atque utinam extaret aliqua ad exemplar absolutissimae illius Garvianae librorum de officiis composita et concinnata harum epistolarum versio Theotisca *), qua commode uti posset temporis angustiis, quo minus ipse eiusmodi versionem conficiat, exclusus vel a facultate interpretandi parum instructus doctor. Nam ad aliorum versiones, si quae extent, quas consulere possint et praelegere, recte confugere doctores, non est, quod multis demonstremus. Iuvabit tamen praecipue et augebit iudicii subtilitatem in ipsis discipulis, si in difficilioribus locis comparatione plurium versionum instituta, eos ipsos de singularum praestantia sententiam suam ferre iubeat doctor, idoneus harum rerum arbiter.

Atque haec sunt, quae de ratione interpretandi Ciceronis epistolas ad diversos, quam per hoc, quo hanc scholam mihi regere contigit, semestris fere temporis spatium hactenus sequutus sum, disputare constitueram. Unum addam, quod hic lectores monuisse, non ab re esse videtur. Meminerint, quod ab initio monitum est, in hac dis-

---

ptam esse reperio (p. 20.): *„der Lehrer soll klassische Schriftsteller, von denen man klassische Uebersetzungen hat, wählen, damit die Uebersetzung des Schülers nach jenen verbessert werde. So lerne der Schüler, dass Uebersetzen nicht Worte zwoer Sprachen austauschen, sondern Sinn und Ton übertragen heisse."* Caeterum de versionum scholasticarum ratione apte etiam disputat I. G. Purmannus (*über die Bildung des Geschmacks in Schulen. Archiv der ausüb. Erziehung.* T. IV. 166. seqq.).

*) Duae extant harum epistolarum versiones, quae quidem in numero aliquo haberi possint. Una Dammii, Berolinensis illius Philologi an Theologi dicam, nescio. Nota est eius et eruditorum controversiis satis iactata veterum interpretandorum vertendorumque ratio, nec est, quod multum hic ei immoremur, cum ille liber, de quo nobis sermo est, paene iam oblivione oblitteratus sit, et tineas pascat taciturnus inertes. Multa tamen ex ea fluxisse videmus in alteram, quae nuper admodum dias luminis auras adspexit, Aug. Chr. Borhekii, quae ita inscripta est: *M. T. Ciceros Briefe. Neu übersetzt, nach der Zeitfolge geordnet* (secundum ordinem Dammianum) *und erläutert von Borhek.* I und II Band. 1782. III und IV B. 1784. Frf. ad Moen. Sed dolendum sane est, Virum eruditissimum, et a facultate utriusque linguae egregie instructum, quod aliis iam documentis demonstratum dedit, nimis perfunctoria opera in hisce epistolis vertendis usum nec Garvium Virum Summum imitatum esse, quem integrum quinquennium praeclaram illam versionem pressisse et iterum atque iterum limae admovisse constat. Multa in illa Borhekii versione sunt obscura, multa peregrinitate e latino sermone ducta infuscata, multa a sensu ipso abhorrentia. Sed qualiscunque ea sit, multum me ex ea profecisse et adhuc quotidie, quando tempus eius inspiciendae et accuratius examinandae suppetit, proficere, grato in auctorem animo profiteor.

putatione hoc mihi magis propositum fuisse, ut quam in universum de uberiore scriptoris alicuius Latini explicatione, quam lectionem statariam vocant, in animo conceperim imaginem, hoc exemplo delineatam darem et adumbratam lectoribus, quam ut, quae subtilius, et secundum severiores Critices aliasque interpretationis leges de Ciceronis epistolis legendis explicandisque tradi possent praecepta, attingerem. Ceterum idem institutum mox, σὺν 29
θεῷ εἰπεῖν, in alio scriptore, Terentio forsitan, sequi in animo est, in quo quos expeditioris lectionis, sive cursoriae, limites constituendos esse putem, declarabo.

III.

DE INTERPRETATIONE TERENTII *).

1.

Cum olim muneris in hac schola auspicandi causa, ar- 3
gumentum aliquod ex iis litteris, in quibus adolescentum animi erudiendi nobis essent, petendum et scripto in publicum proposito explicandum esset, non alienum esse putavimus ab ea provincia, quae nobis imposita esset, quid nobis de interpretatione epistolarum Ciceronis ad diversos et lectione stataria, cuius exemplum illam esse volueramus, videatur, uberius declarare. Cuius instituti nostri cum nondum nos poenituerit, quippe quod aliorum quoque, quorum suffragia tulisse non ultima laus est, calculo comprobatum esse accepimus, placuit hac scribendi occasione, quae commodum se nobis obtulit, ita uti, ut aliud, quod huic affine esset et consimile, argumentum pertractandum susciperemus. Iuvat igitur sententiam nostram de interpretatione Terentii, quam quidem in scholasticam institutionem cadere posse arbitremur, paucis, pro arctioribus, quibus haec commentatio circumscripta est, limitibus proferre, et quam in eo explicando ipsi adhuc sequuti simus viam, ingenue profiteri.

*) Haec prolusio prodiit Gubenae a. 1786.

II.

Lepidissimum elegantissimumque, quotquot vetus Latium tulit, Comicorum, Terentium, assidue in scholis lectitandum, imo ediscendum et quasi insculpendum esse animis, quis est, qui neget? Iamdudum enim explosae, et furcillis eiectae sunt Censorum quorundam vitio creatorum ineptiae, qui, quod argumenta fabularum a Terentio conscriptarum sint amatoria, ne quid contagionis inde serperet ad teneros iuvenum animos valde timerent, et suavissimum poetam vel totum e scholis proscribendum, vel mutilandum certe et, qua parte peccaret, secandum et detruncandum esse, alto supercilio clamitarent *). Verum enim vero
4 castissimum omnium, quos quidem novimus, poetarum Comicorum esse Terentium; neminem, qui cum Plauto vel Aristophane adeo et fragmentis deperditorum poetarum apud Athenaeum eum comparare possit, inficias iturum esse arbitramur. In sex, quae ad nos de illo pervenerunt, fabulis vix decem reperiri putaverimus loca, quae, quod personis et scenae **) serviendum esset, paulo nequius di-

*) Sic, ut uno tantum exemplo in re notissima defungar, Ioh. Petr. Titius, vir pro captu seculi satis eruditus, cuius commentarium in Cynegeticos Latinos dignum putavit, quem editioni suae splendidissimae inseret Burmannus, *in manuductione ad excerpendum* p. 218. Terentium vel ob unum illum in Eun. III. 5. 35. de Chaereae amoribus locum e scholis eiiciendum esse censuit. Sed salva res est. Postliminio exulem restituit, et sale satyrico probe perfricuit Titium I. P. Anchersenius in *Apologismi Terentiani Dissert. I.* (Hafniae 1717.) p. 23. seqq. Atque inepta haec morositas peperit nobis Terentium illum Christianum, ad obtundendum omnem pulchri sensum natum factumque, quem mira arte e Terentii formulis consarcinavit Cornelius Schonaeus e Societate Iesu, talium quoque portentorum feracissima (Antw. 1598. et deinde saepius recusum). Nimirum omnia huc redeunt, ut spectes, quo animo haec legantur. Profecto enim huc quoque pertinet illud Horatianum: Sincerum est nisi vas, *quodcunque* infundis, acescit. Dignum est, quod legatur, Iusti Lipsii hac de re iudicium Qu. Ep. II., 18. Opp. T. I. p. 502. Nec plane assentiri possumus Stuvio V. Cl. pestem, quam eiusmodi locorum lectio iuvenum animis affricare soleat, nimium augenti, *über das Schulwesen* p. 136. Multum etiam refert, quo vultu, quibus verborum ambagibus, quam circumspecte haec explicet magister, probe versatus in hac palaestra.

**) Paucis omnem comoediae apud veteres materiam complexus est Donatus ad Eun. Prolog. 37. „scortari et convivari est omnis materia comicorum." Adi sis elegantissimum harum rerum arbitrum Brumoium in dissertatione de comoedia Graeca (*le théâtre des Grecs par le P. Brumoy* Tom. V. p. 240. *discours sur la comédie Grecque*). Verecundissimus poeta noster priorem illam et turpiorem comoediae materiam, quantum fieri

ceret poeta ἠθικώτατος atque in iis ipsis tam cauta circuitione usus est, ut, nisi quis insigniter improbus esse velit, iis offendi non queat. Sed etiamsi uno ore omnes affirment, Terentium, si a Cicerone, patre Romanae eloquentiae, et paucis aliis, quibus primae deferri solent partes, discesseris, unum omnium maxime tironum manibus terendum esse in scholis, varia tamen ratione eum vulgo in scholis explicari, in eoque interpretando valde inter se dissentire et discrepare magistros, satis constat. Sunt, qui a Terentio initium in legendis Latii scriptoribus faciendum esse putent *); sunt qui in alia omnia abeant et confirmatae demum ac Ciceronis aliorumque optimae notae auctorum lectione corroboratae aetati eum proponendum esse censeant **). Atque ex hoc de tempore, quo legendae sint eius fabulae, sententiarum divortio maxima etiam in iis interpretandis diversitas oriatur, necesse est. Nam qui priori sententiae favent, tironum causa, qui, usu nondum subacti, ubique aestuant et in levissimis impedimentis tanquam in incili haerent, in singulis fere verbis subsistant, omnia ad Grammaticam normam exigant, et testudineo, quod aiunt, gradu in iis explicandis procedant oportet, cum contra, qui exercitatioribus iuvenibus eas proponant, acriter instare, et, si Plautina voce hic quoque uti fas est, grandire gradum, parvoque temporis spatio totam Comoediam absolvere possint. Quam quidem rationem, ultimo loco a nobis commemoratam, cum semper in Terentio mice sequendam esse nobis persuaserimus, age, dispiciamus nunc argumenta, quibus inducti ita statuamus.

---

potuit, detrectavit, sed multus est in conviviis describendis, unde eleganter *conviva* appellatur ab Ovid. II. Trist. 359. ut scite exposuit P. Burmannus ad Petron. c. 34. p. 133.

*) Sic Michael Neander, vir doctissimus et rei scholasticae apprime gnarus, in consilio, quod de informanda iuventute Germanica lingua edidit (Islebae 1783.) tironibus statim post Melanchthonis grammaticam Terentium et Virgilium explicari iubet et hinc phrasium sententiarumque excerpta colligi. Longius processit Wolfgangus Ratichius, qui puerulis, cum Latinarum litterarum pronunciationem didicerint, statim in manum tradendum esse suadet Terentium. Vide, si tanti res est, Morhof. in Polyhist. T. I. p. 446.

**) Hanc sententiam peculiari disputatione asseruit M. Christ. Godofr. Mullerus, praeside Schurzfleischio, *an a Terentio primordia Latini sermonis capienda sint.* Viteb. 1704. in qua tamen, ut omnibus fere illius temporis disputationibus, ordinem valde desideres.

III.

Sed priusquam ad ipsa illa argumenta procedam, exemplo e recentiore lingua petito rem illustrare liceat. Ponamus, nos Francogallicae linguae penitus cognoscendae cupiditate accensos, arreptis primis illis, quae ratio grammatica docet, elementis, maximo impetu ad perlustranda, praeclarissima quaeque, quibus lingua illa magnifice sese effert, et salivam sui movet, monumenta ferri et abripi. Nonne, si perlecta una atque altera pagella utilissimae collectionis, ab Illustrissimo Gedickio factae, statim ad Molierii, Destouchii vel Marivausii fabulas, mellitas illas quidem et mira Francogallicae urbanitatis suavitate conditas, sed, ubi omnes sermonis veneres et virtutes nondum penitus imbiberis, intellectu difficillimas, transiliremus, temere et praepostere a nobis factum et ridiculum, quod Graeci appellant, ὑστερόπρωτον commissum esse, omnes, qui sibi sapere aliquid in his videntur, clamitarent? Nonne, dum in singulis formulis, allusionibus et facetiis enucleandis diu multumque frustra desudaremus, annuo vel ad unam fabulam perlegendam nobis opus esset spatio? Imo, via et ordine haec quoque procedant, oportet. Libellos plures tenui orationis filo deductos et pedestri oratione conscriptos ubi perlegeris, sponte aditum tibi patefactum esse videbis ad difficiliora poetarum scripta intelligenda, quibus Comicorum etiam fabulas accenseri, neminem fugit. Notandum autem est, scriptores Comicos, quo magis vulgaribus et ore populi tritis utantur sermonibus, eo intellectu esse difficiliores. Quapropter haud immerito censuerunt idonei harum rerum arbitri, lectione Comicorum fastigium quasi imponendum esse omni linguae cuiuscunque studio, quam sententiam crebris etiam eorum, qui se doctores recentiorum idiomatum profitentur, sermonibus usurpari, saepe audivimus.

IV.

Iam vero, cum omnes fateantur, hunc in recentioris linguae scriptoribus evolvendis tenendum esse ordinem, qui fit, ut, cum ad veteres ventum sit, statim coecutiamus, atque iisdem legibus eorum quoque lectionem adstringen-

dam esse, aegre nobis persuaderi patiamur? Nonne hic quoque satius fuerit, Terentium, scriptorem Comicum, iis demum exponere et legendum tradere tironibus, qui iam pleniore aliquo linguae Latinae gustu imbuti sint? Duplex, ni fallor, fabularum eius dos est, qua, omnium suffragio, palmam tulit Comicorum princeps. Tersa et nitida in verbis puritas, sententiarum nulla arte quaesitarum pon- 7
dere aucta *), et summum in describendis apte temporibus, quam dispositionem dramatici vocant, et depingendis moribus artificium **). Ad utrumque, si omnem politissimi scriptoris suavitatem degustare velis, attendendus est animus, utrumque oculis tuis perpetuo obversetur, necesse est. Porro autem tralatitium est, et saepissime ab iis, qui de sensu pulchri et venusti subtiliter disputarunt, v. c. Humio, Mendelsohnio, Sulzero, observatum, venustatem, quae apta partium descriptione cernitur, ita per totum aliquod corpus fusam esse, ut si suaviter illo affici velis, totum illud uno quasi obtutu contemplandum sit, per partes autem singulas eundo, iisque tenaciter inhaerendo statim eam evanescere et dissolvi. Iam vero praecipua venustatis pars in fabellis Terentii cernitur in artificiosa illa, quae totam Comoediam complectitur, temporum et personarum

*) Haec est, quam Cicero tantopere laudat, Terentii *elegantia*, (v. c. ad Att. VII. 3.) et, quae Varroni in nostro arrisit, *mediocritas*. Gell. N. A. VII. 14. Atque eandem haud dubie intelligebant Romani, qui in Terentio *artem* admirabantur, teste Horat. II. Ep. I. 59. quod perperam vulgo explicatur de concinna rerum dispositione. Quo de loco egregia disputatiuncula est elegantissimi Wielandii in animadversionibus versioni harum epistolarum ab eo adiectis, Vol. II. p. 86. seqq. Lectu dignissima sunt, quae ibi de pretio, quod Romani comoediis et eorum scriptoribus statuerunt, mira sagacitate observantur, ipsis illis, quae Lessingius in Dramaturgia passim hac de re disputavit, subtiliora.

**) Hoc illud est, quo viri etiam, qui verborum cura abiecta, res tantum spectare solent, ita capti et deliniti sunt, ut nunquam de manibus eum deponerent. Sic in Scaligeranis memoriae proditum legimus, senem Scaligerum (at quem virum), postquam omnium disciplinarum et scientiarum prope perlustrasset adyta, semper in manibus gestasse hunc Comicum, neque illius lectione pectus eius, omnibus Musarum lautitiis innutritum, expleri potuisse. Grotium autem, Morhofius tradit, tanti eum fecisse, ut secum semper gestitaret ac propterea increpatum a viro quodam, harum, quas semper nugas putaverat, nugarum experte, respondisse, *alia in illo legere pueros, alia viros*. Nec aliam ob causam Vitebergae professionem Terentii a Friderico Sapiente olim constitutam esse, consentaneum est. cf. Seckendorf. Histor. Luther. III, 17, 68. p. 198. ubi illustre de Pontano Cancellario exemplum narratur.

descriptione. Cuius sensu si disciplinae tuae alumnos recte
8 imbuere velis, curriculo, quod aiunt, tibi currendum, et quanta fieri potest celeritate, festinandum erit, ut ad exitum fabulae perveniant, unde totam argumenti tractationem, in qua mirum rei scenicae versatur artificium et pulchritudo, considerare possint. At dicat aliquis, quomodo in tanta festinatione singulorum verborum elegantiae et sermonis puritati, quam primam harum fabellarum dotem esse supra diximus, animum adfigere et intendere poterunt tirones? Sic dum alterum nimis cupide consectaris, ecce perit tibi prius illud, propter quod vel inprimis lectitandus est in scholis Terentius. Recte tu quidem, o bone, si cum pueris nobis res sit, qui, nisi ipse ad omnia intendas digitum, nihil vident. Verum enim vero hoc illud est, quod a principio demonstratum dare volebamus, Terentium iis tantum enarrandum esse et explicandum, qui, quid in verbis et sententiis insit suavitatis, ipsi, verbo tantum moniti a praeceptore, statim sentire, et quae belle, quae proprie, quae graviter dicta sint, intelligere possint. Quae cum ita sint, una cum peritissimis harum rerum arbitris, penes quos est ius et norma iudicandi *), ita statuimus, Terentium non nisi cursoria lectione explicandum esse in scholis, ea tamen cautione adhibita, ut incrementorum, quae tirones in lingua latina fecerint, rationem habeamus, nec initium puerorum in illa lingua instituendorum faciamus a Terentio, cuius deliciae si palato apponantur solidioribus iam cibis assueto, nihil illis suavius, nihil dulcius cogitari potest.

V.

Sed restat alia causa satis idonea, qua commoti Terentium non cum pueris sed adolescentioribus tirombus le-

*) Unum, sed locupletissimi testis in hanc rem proferam testimonium Gesneri in Isagoge T. I. p. 79. ubi de lectione cursoria disputans, „hoc, „inquit, inprimis prodest, ut discamus, quid legatur, ut intelligatur, de „quo sermo sit. In schola, in qua ego educatus sum, e Terentio sin„gulis horis absolvebantur VI aut XII versiculi. Quae res effecit, ut ni„hil de Terentio intelligeremus, essemusque cogendi in Comoediam. Quum „contra nihil sit suavius Terentio, si absolvatur singulis horis totus fere „actus, quod feci deinde in schola Thomana Lipsiensi." cf. T. II. p. 155. ubi festivam de plagoso aliquo Orbilio, pessimo Terentii interprete, narrat historiam.

gendum esse statuamus. Graeca etiam attigerint oportet, 9
nec hospites plane et peregrini in ea lingua sint tirones, qui
ad Terentii lectionem recte instituendam invitari possunt.
Cuius linguae scientiam in puerilem illam et Latinorum
auctorum lectione nondum corroboratam aetatem, ut nunc
est, cadere non posse, satis liquet. Vetus est et saepe
decantata cantilena, ad ipsa linguae Latinae penetralia non
nisi per Graecam patere aditum, et quis nescit, omnibus,
quibus salus reipublicae litterariae curae cordique est, iam
diu fuisse in votis, ut omnis omnino institutio puerorum pri-
mordia capiat a lingua Graeca, a qua facilius progredi pos-
sit ad Latinam, quam ab hac ad illam. Sed mittamus haec,
quae somniorum instar, vana spe hiantes deserunt et quo
loco nunc res sunt, ad exitum perduci nullo modo possunt.
Sunt tamen auctores Latini, quos in hoc ipso, quem nunc te-
nemus, linguarum discendarum ordine, semper ita interpre-
tandos esse duxerunt viri doctissimi, ut sine Graecae linguae
praesidiis omnia caligine in iis obducta esse existimarent,
quippe quae sola facem illis praeferre et, indagatis imitationis
Graecae vestigiis, clarissima luce obscurissima quaeque per-
fundere possint. Atque huc inprimis referendi sunt Poetae
Latini, a Graecorum imitatione, quibus Musa ore rotundo lo-
qui dedit, unice pendentes *). Huc pertinet etiam Terentius,
quem frustra Graecae linguae praesidiis destitutus, recte in-
terpretari coneris. Qui quidem aequalium suorum et
omnium omnino, qui apud Romanos floruerunt, poetarum
morem sequutus, totum se ad imitationem Graecorum com-
posuit, et, ut e vita eius, quae vulgo Suetonii nomine cir-
cumfertur, novimus, hanc ob causam a Iulio Caesare dimi-
diati Menandri nomine sugillatus est. Palliatae sunt omnes
fabulae eius, e Graecis Menandri et Apollodori Latinae
factae. Athenis Atticis vel astu vel in suburbio, ut in Heau-

*) Consulendus est super hoc Romanorum Graecos imitandi studium Summus Heynius in disquisit. I. de carmine epico Virgil. T. II. p. XXVII. seq. Nec temperare mihi possum, quin tironum causa adscribam iudicium Summi Hemsterhusii, quod in elegantissimo eius Elogio prodidit Ruhnkenius p. 245. edit. Harles. „Ipse vir summus (Hemsterhusius sc.) se „in Latinis interpretandis ita a Graecis adiuvari sentiebat, ut interdum „negaret, poetas eos, qui se totos ad Graecorum imitationem contulis-„sent, nominatim Propertium et Horatium, Graece imperitis valde pla-„cere posse."

tontimorumeno, peraguntur omnia. Non Romanorum, sed Atheniensium vitam et privatam disciplinam ibi quasi in tabula, propositam videas. Mores igitur et ritus Atheniensium penitus perspectos et exploratos habeat, nec Graecae linguae imperitus sit, qui Terentii fabulis spectator adsidere et suavissimis morum et rerum, quas graphice depinxit, descriptionibus delectari cupit. Explicari quidem haec possunt et debent a peritis magistris etiam iis, qui Graeca nesciunt. Sed quovis pignore tamen contendere ausim, plurima loca, quae pendent ex interiore Graecae linguae et morum Atticorum cognitione, ne sic quidem prorsus intelligi posse a tironibus, qui cum nullum plane ne a limine quidem salutaverint scriptorem Graecorum, in novum quasi orbem sibi delati esse videntur. Praetervolabit igitur aures eorum eruditissima praeceptoris de istiusmodi rebus disputatio, nisi inhaereant iam animis imagines quaedam de publica et privata Atheniensium disciplina et moribus antea conceptae et vel e Xenophontii alicuius scripti *) vel aurei Theophrasti de characteribus libelli **) lectione informatae in animo. Sic, ut paucis tantum exemplis rem illustrem, saepissime mentio fit fori in fabulis Terentii. Ibi enim sunt, qui foris esse dicuntur, ibi pecunia perscripta esse dicitur, ibi plurima transiguntur, quae apud nos in foro transigi non solent. Inculcandum igitur hoc est tironi, longe aliam fori Attici fuisse rationem, ubi publica et privata negotia conficerentur tantum non omnia, ubi essent trapezitae, ubi gymnasia et theatra, ubi haberentur ἐκκλησίαι, ubi confluerent otiosi confabulandi et temporis fallendi causa. Sed haec omnia, inusitata antea et a nostris moribus abhorrentia in stuporem dabunt tiro-

*) Duo inprimis in Xenophontiis scriptis eminent libelli, qui eo consilio a tironibus lecti, ut Atheniensium mores penitius cognoscant, multum iis ad hanc rem proderunt, Oeconomicum puta et de republica Atheniensium libellum. E priore privatam, e posteriore publicam eorum disciplinam optime cognoscere poterunt. Hinc posteriore inprimis multum usus est doctissimus Meinersius in elegantissimo libello, tironibus etiam valde commendando, *Geschichte des Luxus der Athenienser. Lemgo* 1782.

**) Haec quoque venustissimi libelli egregia dos est, ut singuli characteres totidem sint tabulae, in quibus mores Atheniensium vividis coloribus expressos intueri liceat. Nimirum, ut ingenue fateamur sententiam nostram, vix bene sperare possumus de schola aliqua, in qua Theophrasteus hic libellus nunquam lectus fuerit.

nem nostrum, de foro, qualia in nostris urbibus esse solent, 11
semper cogitantem. Sed facilius haec omnia capiet, et vivam fori eiusmodi veteris animo sibi effinget imaginem, si vel ex uno Xenophontis loco notitiam iam aliquam huius rei sibi comparaverit, id quod facile consequetur vel primo Memorabilium Socraticorum capite perlecto, si modo ab idoneo magistro, quid ibi per *ἀγορὰν πλήθουσαν* intelligendum sit, edoctus fuerit *). Sic, a principio statim lectionis Terentii monendi erunt tirones, locum, in quo scena totius fabulae collocata sit, esse plateam in urbe Athenarum. Aedes ibi esse Patris Pamphili, vel alius iuvenis, cuius primae in illa fabula partes, in quarum vestibulo omnia peragantur. Iam vero tiro, qui ab initio capitis primi Memorabilium Socratem *πολλάκις οἴκοι* sacrificasse legerit, et vel ex Ernestii nota didicerit, Graecos ante domum in vestibulis habuisse aras, in quibus sacra privata facerent, facile coniectura assequetur, quid sibi velit ara in platea, cuius mentio fit apud Terentium in Andria, vel arae, quas sibi perfugium pararent servi iram dominorum metuentes, qualis intelligenda est in Heautontimorumeno (V. 3. 16.) **). Cogitabit enim rem agi Athenis in platea,

*) Tritum est et pervulgatum observationibus VV. DD. (iis, quos Ernestius iam laudavit in Ind. ad Mem. addi possunt Casaub. ad Sueton. Calig. c. XV. Gesnerus ad Luciani Philopseud. c. 11. T. II. p. 88. et Wesseling. ad Diod. Sic. XIII., 48. p. 579. 93.) *ἀγορὰν πλήθουσαν* esse tempus diei antimeridianum ab hora tertia ad quintam, inter *πρωΐ* et *μεσημβρίαν* interiectum, ubi quicquid Athenis esset hospitum et civium, in foro convenirent, quod id temporis lites in iudicio Heliastico et aliis disceptarentur, conciones haberentur, et omnia omnino negotia transigerentur. Observandum autem est etiam tironibus ad complura Terentii loca recte intelligenda, omnibus diei horis desides ibi commoratos esse, qui sermones otiosi sererent, et rumores, quorum avidissimi essent Athenienses (vid. Casaub. ad Theophr. Ch. VIII. p. 107. edit. Fisch. et Intt. ad A. A. XVII. 21.) captarent et spargerent, *περιτρίμματα ἀγορᾶς circumforanei* vocati, et *ἀγοραῖοι*, de qua voce erudite disputat Valckenar. ad Ammon. p. 10. seq. Hic argentariorum quoque erant mensae. Sic *ἐν ἀγορᾷ καὶ ἐπὶ τῶν τραπεζῶν* coniunctim legitur apud Platonem in Apolog. c. 1. p. 70. edit. Fisch. noviss. cf. Salmas. de Foenore Trapezit. p. 96. et 204.

**) Patet e multis scriptorum Graecorum locis, et Athenis et in aliis Graeciae urbibus aras constitutas fuisse in plateis ante aedes privatas, in quibus diis *πατρῴοις* et tutelaribus, ut Apollini Athenis, sacrificia offerrent vel festis diebus, vel quotiescunque collibuisset mactare victimam, (vid. Casaubon. ad Athen. p. 35.) patresfamiliae. Hinc ubique fere in urbibus Graecis arae eiusmodi occurrunt ante aedes privatas, v. c. Thebis ante aedes Amphitryonis, Ovid. IX. Metam. 310. Ephesi ante aedes Pe-

ubi arae eiusmodi essent frequentissimae, nec verba sibi dari patietur a Donato et Scaligero, aram θυμελικὴν Apollinis in theatris consecrari solitam frustra huc advocantibus, sed merito iam a Dacieria refutatis, cuius elegantissimae ad versionem Francogallicam observationes saepe plus lucis affundunt, quam laboriosissimae Lindenbrogii et Westerhovii compilationes. Atque hic non possum, quin doleam vices nostras, quotquot sumus suavissimi Terentii amatores, quod perfectissima recentioris comoediae Graecae exempla, Menandri fabulae ad unam omnes invidia temporum interceptae interciderint *). Nam si vel una superesset Menan-
13 dri fabula, quam ita imitatus est Comicus noster, ut non leviter adumbrata sed expressa ubique eius rei extent vestigia, tanta e comparatione archetypi Graeci cum exemplo Latino instituta ad Terentii interpretationem redundatura esset utilitas, ut verbosis doctorum virorum in eum com-

---

riplectomenis, Plaut. in Mil. Glorios. II. 5. 1. Ipsis autem Athenis aras illas frequentissimas fuisse, pluribus ex uno Aristophane locis probari posset. Unum laudasse sufficiat in *Εἰρήνῃ*, 941. ubi Trygaei sacrificium describitur, *ὁ γὰρ βωμὸς θύρῃσι δή*. Interdum publica laetitia in omnibus hisce aris sacra faciebant, quod vocabant *κνισσᾶν ἀγυιάς*, vid. Kuster. ad *Ἱππ.* 1320. et sic occurrit in oraculo Delphico, quod bis memoratur a Demosthene. vid. Taylor. ad Midianam p. 277. edit. Cantabr., et qui omnia cum pulvisculo exhausit, Ill. Beckium, cuius maxima in me extant amoris et amicitiae monumenta, ad *Ὀρνιθ.* 1235. Nimirum arae illae Apollini, qui a vicis, quibus praeerat, *ἀγυιαῖς*, (vid. Zeun. ad Xenoph. *K. Π.* II. 4. p. 217.) *Ἀγυιεύς* appellabatur, Athenis consecratae, ipsae etiam *Ἀγυιεῖς* vocabantur, ut diserte tradit Harpocration s. v. *ἀγυιᾶς* p. 3. *εἶεν ἂν καὶ οἱ παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς λεγόμενοι Ἀγυιεῖς οἱ πρὸ τῶν οἰκιῶν βωμοί, ὥς φασι — Μένανδρος*, et forsitan ad ipsum illum Perinthiae, quem expressit Terentius in loco Andriae, versum respexit Harpocration. Hinc etiam Donato fraus facta esse videtur, qui Apollini has quoque aras consecratas fuisse, nesciret.

*) Utinam vera fuissent, quae falso, ut videtur, rumore inductus scripsit magnus Hemsterhusius ad Poll. X. 98. p. 1272. b. „nos, inquit, „magno redimendum censeremus, si quid Menandri comoediarum, quarum „non contemnendam partem etiamnum in quibusdam Graeciae bibliothecis „delitescere ex ipsis Graecis plus una vice audivi, inveniri possit." Sed hodie plane decollavit spes illa, cum doctissimus Villoisonus, qui nuperrime coenobia in monte Atho adiit, et adhuc in illis oris versatur, omnes bibliothecarum forulos illic excusserit et praeter plaustra Homiliarum et scriptorum Asceticorum nihil, hoc est, carbones pro thesauro, repererit. Enimvero vel sic optandum esset, ut pretiosissimae tabulae, quae e communi naufragio emerserunt, fragmenta Menandri post Grotii et Clerici operam, et Phileleutheri Lipsiensis sive Bentleii censuram et Brunckii novissimas in editione Gnomicorum Graecorum curas iterum ederentur, et pluribus aditus vel ad fragmenta illa perlustranda aperiretur, ut ex unguiculis saltem leonem, quod aiunt, cognoscere possent.

mentariis perlegendis saepiuscule supersedere possemus. Haec relictis rebus omnibus explicanda esset tironibus, quo facto longe facilior haud dubie ad Terentium pateret aditus *).

III.

EXPLICATIO LOCI VIRGILIANI

AENEID. VIII. 208—303 **).

Sexcenties iam monitum et inculcatum reperias a viris 3
doctis, qui, quod ipsi in explicandis veterum scriptorum monumentis maxima cum laude versati essent, totam etiam hanc interpretandi bonos auctores artem legibus quibusdam adstringere et alligare posse viderentur, difficilius esse, in enucleandis veterum scriptorum locis ex ingentibus eruditionis copiis et magna, quam priores congesserunt, farragine delibare et seligere pauca, sed apta, sed severo iudicio castigata, unde, quod commode resecare possis, vix habeas, quam, quod patrum adhuc memoria passim facilitatum esse cognovimus, ubicunque occasio aliqua se tibi obtulerit, effundere et effutire, quae tibi succurrant, omnia. Factum etiam est exemplo et opera eorum, qui meliorem illam et saniorem veteres auctores breviter, sed scite enarrandi rationem in hac literarum luce unice amplectendam esse, diu clamarunt, ut tandem proscriberetur et exularet e scholis et libris putida illa omnia corradendi diligentia et perversum pulcherrimas auctorum veneres adscititiis luminibus excoecandi studium. Nec verendum esse

*) Quem saepe diuque in interpretatione Terentii desideravimus libellum, qui cum rem scenicam veterum in universum, tum singulatim Terentii nostri in hac re artificium, aliasque res in Terentii lectione ex antiquitatibus Graecis scitu pernecessarias tironibus breviter, indicatis tamen fontibus, unde plura haurienda sint, explicaret, eum ipsi doctissimorum quorundam virorum monitu, quibus semper studia nostra regunda commisimus, inducti in tironum gratiam componere constituimus. Expectanda tamen erit Cl. Dindorfii, quam diu iam minatur, Comici nostri editio, in qua rem scenicam etiam diligentius quam hactenus factum est, se pertractaturum esse recepit Vir doctissimus. Titulus nostro libello praefigetur: *Ueber die Lectüre und zur Erläuterung des Terenz.*

**) Prolusionis loco proposita Gubenae a. 1789.

videtur, quod nonnullos de pristino literarum splendore nimis sollicitos clam mussitare accepimus, ne ex hac nova antiquitatis monumenta illustrandi arte et disciplina vetus iterum nobis ingruat barbaries. Fatendum quidem, extitisse memoria nostra homines quosdam a Musarum sacris plane alienos, qui cum diuturna veterum lectione ingenium nunquam expolivissent suum, exosi scilicet taedium laboris assidui et quotidiani, gloriolam tamen aliquam ex elegantiorum literarum studiis aucupari et laureolam inde sibi decerpere mire cuperent. Atque hi novam hanc disciplinam compendiariam sibi viam repertam esse autumantes, qua sine sudore laudes egregii literatoris consequerentur, suavissime illam exosculati sunt et, cum iam publice illam ostentarent, intelligentibus ludibrio fuerunt et derisui. Non potuit igitur socordia et inertia istorum hominum, *aestheticos* vulgo appellant, apud idoneos harum rerum existimatores ullam huic optimae disciplinae conflare invidiam. Imo, quam diu bonis literis honos suus stabit, non deerunt, qui praeclarissima Gesneri, Ernestii, Heynii, Mori, aliorumque, qui facem nobis in hac veteres illustrandi ratione praetule-
4 runt, exempla et praecepta diligenter sectanda oreque et scriptis exprimenda sibi esse statuent, et disciplinam de manu quasi in manus sibi traditam ad posteros etiam et successores suos propagabunt *)!

Quae quidem ratio bonos auctores explicandi cum mihi quoque semper proposita fuerit et cum fructu eorum, qui in subselliis nostris scholasticis mihi operam darent, adhibita, sensi tamen, interdum mihi redeundum esse ad antiquam illam locis quibusdam diutius inhaerendi et quae in singulis verbis et rebus notatu digna sint, copiosius declarandi consuetudinem. Insunt enim statariae etiam lectioni sua bona, quibus tirones minime defraudandos esse, uno ore affirmant omnes, qui in his se aliquid intelligere profitentur. Nobilissimam illam Gesneri ad Livium praefationem et Ernestii epistolam Stiglitio inscriptam laudasse suf-

*) Consulendus est, qui totum hoc argumentum praeclare tractavit, in nonnullis tamen nimis morosus et acerbus, Cl. *Meierotto* in libello bonae frugis plenissimo: *de rebus ad auctores quosdam classicos pertinentibus dubia*, Heynio inscripta. (Berolini 1785.) p. 71—128.

ficiat. Atque hoc ipsum in scriptoribus pedestris orationis parum habet difficultatis, in quibus ubi diutius commorandum, ubi properandum sit, facilius dignoscas. Diversa vero et longe alia ratio nobis ineunda est in explicandis poetis, iis praecipue, quorum carmina longiore filo deducta vix comprehendi possunt animo et penitus percipi, nisi celeriter et uno quasi spiritu perlegantur, epicos puta et dramaticos. Hic vero in primis in Virgilii Aeneide discipulis meis enarranda saepe aquam mihi haesisse, ingenue fateor. Fuit sane, qui pulcherrimum hoc ingenii humani opus conderet, non solum princeps omnium Romani nominis poetarum, sed etiam doctissimus. Singulis fere versibus inest aliquid ex recondita antiquitate et tota illa multiplicis doctrinae, ob quam σοφοί appellabantur veteres poetae, penu depromtum. Pendet totus ab imitatione Graecorum, quos diligenter exprimere et assectari, ab hominibus illius aetatis in summa laude ponebatur. Respicit ubique vitam et mores Romanorum cum veterum tum eorum, quibus interesset cum maxime. Quae quidem omnia si quis accurate pensitare velit et tironibus quasi mansum cibum in os inserere, nae ille egregie operam ludet suam. Elephantus prius pariet, quam vel unum Aeneidos absolverit librum. De eo vero, quod caput rei est, de sollertia et acumine poetae, quo totum carminis argumentum divine inve- 5
nerit et per partes suas descripserit, de prudentia et arte, quibus membra singula inter se copulaverit, altum interea silentium. Atqui haec paucis tantum indicata oportuit tironibus. Carptim haec perstringenda sunt omnia et digiti tantum ad uberiores fontes, unde plura petere possint, et haurire, intendendi. Recte, audio! Sed hic ipse est clivus, in quo laboramus. Velim mihi dari aliquem, qui demonstret, quomodo triginta vel plurium auditorum turba circumfusus, quorum omnis spes ad intelligendum poetam in te sita est, praecepta haec commode exequi, et festinando id efficere possis, ut quae propere transilierint, probe intelligant. Nam quod plura relinquenda esse aiunt privato auditorum studio, in proclivi sane res foret, et expeditu facillima, si opibus affluerent boni iuvenes, ut a suppellectile libraria bene instructi ipsi adire possent fontes

a magistro indicatos. Quod plerumque longe secius accidere, qui ludos nostros literarios penitius inspexerunt, non ignorant. Nimirum hic quoque apparet, in istiusmodi rebus regulis effici nil posse *), et pro re nata delineandam cuique esse rectae interpretationis formulam, captui auditorum, quales fors illi obtulerit, accommodatam. Equidem tantum mihi Suffenus non sum, ut, quem hactenus tenuerim cursum in praestantissimi carminis sensu discipulis meis aperiendo, optimum putem, nec ullo unquam deverticulo a recta via deflectentem; utilem tamen fuisse et fructuosum, certis experimentis me cognovisse, valde laetor. Putidum sane foret et ridiculum, monere, me Heynii, Viri Summi, observationes ubique, quantum eius fieri potest, in usum auditorum meorum convertere, pervicisse
6 etiam tundendo et subinde acriter instando, ut plures, quibus angustiae rei familiaris non obstarent, editionem illius aliquot abhinc annis in minorem modulum redactam et salubriori pretio parabilem sibi emerent. In universum autem hoc observare mihi liceat, me summa ope eniti et elaborare in eo, quod apprime utile esse in omni vita observat Sosias ille Terentianus, ut ne quid nimis; atque adeo brevitatis hic quoque esse studiosissimum. Hinc facile colligitur, multa mihi passim praetermittenda, plura innuenda tantum et tribus verbis indicanda esse, quae, si hoc ageretur, possent multo uberius tractari et specioso eruditionis exornari choragio. Proderit tamen interdum commonefacere et edocere adolescentes, latere in his semina magnae πολυμαθείας, quae si quis perscrutari velit et rimari singula, in immensum haec diffundi posse et amplificari. Sic

*) Non defuerunt quidem, qui in institutionibus suis de recta auctorum in scholis explicandorum ratione praecepta etiam adspergerent de lectione Aeneidos; (consule, si tanti est, Rollinum in libro notissimo *de la manière d'enseigner les belles lettres* Vol. I. p. 331. et Schellerum in introductione ad scriptores Latinos Theotisce scripta p. 246. seqq.) sed tironibus haec scripta sunto, non praeceptoribus. Magistris enim, quibus haec nova sunt, necdum a pueris perspecta, leve admodum et, quod est in proverbio, ficulneum in his paratum erit praesidium. Utinam vir elegantiorum literarum apprime gnarus, et in palaestra scholastica diu exercitatus, viam nobis monstret, qua ipse in hoc carmine enarrando per plures annos ingressus sit. Sane saepius tentandum est hoc iter, et de integro ineunda ratio, priusquam singula, quae commemoranda, quae praetermittenda, satis teneas, et in numerato habeas.

enim optime nos hoc assequuturos esse arbitror, ut, quod erectioris indolis iuvenibus acerrimum ad prosequenda haec studia addere solet stimulum, circumspicere incipiant et intelligere, quam late pateat campus, in quo possit exultare et excurrere virtus eorum et industria. Iuvat igitur hac scribendi occasione, quae commodum se mihi obtulit, periculum facere in illis ipsis versibus poetae nostri, in quibus subsistendum nobis fuit aliquantulum ob ferias Paschales, copiosius declarandis, ut cognoscant discipuli mei, quanta paucis hisce versibus, quos in scholis publicis breviter tantum a me illustratos esse probe tenent, amplius anquirendi et disputandi insit materies *). Quae cum ita sint, facile intelligitur, me toto hoc commentandi genere disciplinae meae alumnis tantum consultum velle, quorum commodis servire officii mei ratio postulat. Si qui sunt igitur, qui praeter eos hoc, quantulumcunque est, levis opellae nostrae inspicere non graventur, cogitent, alia dictata dari tironibus, alia proponi veteranis sive, quod Graecorum fertur proverbio, ἄλλο γλαυξ, ἄλλο κορώνη φθέγγεται.

Pervenimus autem in Aeneide usque ad illud episo- 7
dium, ubi Aeneas, Evandri hospitio comiter exceptus, epulisque sacrificalibus in honorem Herculis, qui Cacum,

*) Saepe iam subiit mirari, cum viderem multos mei ordinis et loci homines valde trepidare et aestuare in reperiundo aliquo commentationum suarum argumento satis probabili, qui factum sit, ut pauci admodum seligerent particulam aliquam eius auctoris, in quo publice explicando cum maxime versarentur, uberius et quasi speciminis loco discipulis suis enarrandam. Varium et multiplicem inde cum ad eos ipsos, tum ad auditores suos redundaturum esse fructum, satis liquet. Sed malunt plerique in alia omnia abire, et vel in arenam descendere et digladiari cum Theologis, dictum aut dogma aliquod sacrum secus, ac sibi videtur, exposcentibus, vel solennes illas naenias de vitiis et incommodis scholarum, quibus ipsi, si vellent, saepe mederi possent, iterum iterumque, praeficarum more, repetere. Imo satius foret loco talium nugarum, quas flocci faciunt iuvenes in scholis et plerumque cum Volusii chartis illuc abire iubent, quo saturi solent, recudendum dare carmen aliquod rarius veteris vel recentioris poetae, vel tabulas chronologicas et historicas, vel alium quemcunque bonae frugis libellum, unde utilitatis aliquid redire possit ad adolescentulos, quibus haec dividi solent. Sic novi qui hac occasione typis iterum exscribendum daret Hymnum illum in Cererem, Moscoviae repertum, nox Massiaei Caffeum et Vidae Bombycem. Adi sis virum doctum in commentariis Berolinensibus, qui bibliothecae Germanicae nomine prodeunt T. LXXV. p. 186.

deterrimam illius regionis pestem, averruncaverat, anniversaria solemnitate celebratis admotus, largiter se invitaverat cum sociis tergo bovis et extis lustralibus. Hic post pulcherrimam Evandri narrationem de Caci, rapacissimi mortalium, nece, est locus de hymno in Herculem (VIII, 281—305.) in quo percensendo hanc mihi scripsi legem, ut primo disputarem de iis, quae hymnum in Herculis laudes decantatum praecesserunt, deinde de ipso hymni argumento, quam dextre inventum, personaeque Herculis et Aeneae hoc in loco aptatum sit, nonnulla, quae quidem in angustias huius scriptionis caderent, adiicerem.

Iam sacer scyphus, poculi genus Herculi eximie carum, et hinc docte a Virgilio commemoratum *), vino im-
8 pletus fuerat, et libationes peractae, quibus non solum

*) De scypho Herculi sacro locus classicus et ab omnibus Intt. ad h. l. laudatus, est Macrobii V, 21. extr. *Σκύφος* a *κύφος*, *cavum*, e simplicitate prisca notat poculum quodcunque e ligno excavatum. Eiusmodi fuit haud dubie Eumaei subulci apud Homerum Od. ξ, 112. ubi primo occurrit haec vox. *Faginum* scyphum illustrat Brockhus. ad Tibull. I, 10. 8. Imprimis saepe occurrit *σκύφος κισσοῦ* vel *κίσσινον*, quod proprie appellabatur *κισσύβιον*, vid. Eurip. Cycl. 389. et. Andr. frag. XXVII, 2. adde VV. DD. ad Theocrit. I, 27. Postea vero, cum delicatior vita et luxuria in infinitum auxissent poculorum genera, scyphorum appellatio haesit capacioribus poculis, cuiusmodi vetustissima illa lignea fuisse verisimile est, et cum Herculis passim notaretur temulentia et *οἰνοφλυγία*, sedem propriam fixit in imaginibus Herculis, a poetis, pictoribus, et fictoribus effingendis. Notat diserte Macrobius l. c. *fictores Herculem cum hoc poculo effinxisse*. De pictoribus notatu dignus est locus Luciani in Conviv. c. 14. T. III. p. 428. ubi Alcidamas, Cynicus, Herculis simia, humi procumbit *ἔχων ἅμα τὸν σκύφον ἐν τῇ δεξιᾷ, οἷος ὁ παρὰ τῷ Φόλῳ Ἡρακλῆς ὑπὸ τῶν γραφέων δείκνυται*, ubi vid. Hemsterhus. in nota Reizii. De poetis sufficiat laudasse fragmentum Stesichori apud Athenaeum XI. 13. p. 499. B. unde pulchre illustratur locus ille Luciani, *Σκύπφειον δὲ λαβὼν δέπας ἔμμετρον ὡς τριλάγηνον πῖεν ἐπισχόμενος τό ῥά οἱ παρέθηκε Φόλος φήρ*. Sic enim emendandum esse notat Heyn. ad Apollod. p. 352. Suchfortus in Fragmentis Stesichori p. XIX. nullam plane loco corruptissimo fecit medicinam. Supersunt adhuc in anaglyphis et gemmis caelatae Herculis cum scypho figurae, id quod docuit iam Tristanus in Comment. Hist. T. II. p. 614. Hinc inclytus in primis posterioribus temporibus *Herculaneus scyphus* in historia ultimi illius Alexandri convivii, in quo cum Proteas hunc scyphum illi propinasset, *ἔσπασεν μὲν γενναίως, οὐ μὴν ἐπήνεγκεν* verba sunt Ephippi in loco classico apud Athen. X. 9. p. 434. A. Reliqua collegerunt Freinshem. ad supplementa Curtii X, 4. 19. et Lipsius ad Senecam ep. 83. p. 363. Paris. Denique huc etiam pertinet mythus ex ultima antiquitate petitus de Hercule, scypho a Sole sibi dato in Erythian traiiciente, de quo multi multa. vid. Suchfort. ad Fragmenta Stesichori p. XIV—XVII. Schellenberg. in Antimachi Colophonii reliquiis p. 74. et, qui unus sufficere poterit, Heyn. ad Apollod. p. 393. Recte etiam *εὐρὺν κοίλην* Mimnermi huc contulit Koeppen. ad Anthologiam suam Graecam Vol. II. p. 45.

heroicis temporibus, sed postea etiam semper epulae finiebantur apud Graecos. Sequebatur, ut extis, sive prosiciis in Ara maxima cumulatis, quod proprie in sacris Herculis *pollucere* appellabant (vid. Varr. de LL. V, 7. p. 54, et Scalig. ad Festum s. v.) adolerentur sacra, et solemnis circa aram duceretur chorus, hymno in laudes dei, cui haec sacra fierent, addito. Tenendum enim hoc est, post epulas demum sacrificales et libationes peractas, paeanas et hymnos in honorem illius dei, ad quem pertineret sacrificii solemnitas, cantari solitos esse. Hinc mirum, nulli interpretum, si ab Heynio discedas, suboluisse fraudem in versibus illis haud dubie insititiis: *instaurant epulas* cet. Patet autem vel e primo libro Iliados v. 470—75. fuisse hunc morem antiquissimum. Iuvenes ibi libatione rite perpetrata, epulisque absumtis *πανημέριοι μολπῇ θεὸν ἱλάσκοντο*. Incipit nunc ille locus, quem diligentius considerare in animo est, a v. 281—89. Sed praestat, ipsa verba poetae attexere, ne taedium obrepat lectori, in evolvendo saepius libro et inspiciendis versibus singulis.

Iamque sacerdotes, primusque Potitius ibant,
Pellibus in morem cincti, flammasque ferebant.
(Instaurant epulas et mensae grata secundae
Dona ferunt, cumulantque oneratis lancibus aras *).

*) Uncis inclusi versus, quos quovis pignore contendere ausim ipsum Virgilium, si ab inferis excitari posset, eiecturum esse illuc, unde malos pedes intulerunt. Miror, Heynium in nova recensione, ubi plura optimo consilio in textu emendavit, cum in priore religioni sibi duceret, discedere a recensione Heinsiana, hunc locum intactum praetermisisse. Verissimum enim, quod observavit Vir Summus in varietate lectionis, irrepsisse hos duo versus ab ora libri in textum. Alleverat forsitan margini ipse poeta. Absonum profecto et ridiculum est, hic instaurari epulas, cum omnia iam consumta fuisse liquido pateat e superioribus, nisi quis per iocum dicat, epulantes in sacris Herculis eadem *βουλιμίᾳ* laborasse, qua ingluvies dei voracissimi (vide sis post interpretes Callimachi, Wartonum ad Theocrit. XXIV, 136 et Brunck. ad Aristoph. *Σφηκ.* 60.) infinitis apud veteres locis salse perstringitur. Deinde valde molestae sunt h. l. *mensae secundae*. Nusquam nec in Homero nec in alio Aeneidis nostrae loco heroibus appositae memorantur mensae secundae, quibus semper significantur bellaria, *τραγήματα*, *ἐπιδορπίσματα*, ab heroicis temporibus, in quibus carne assa tantum vescuntur homines, plane aliena, quod notavit iam Feith. in Antiquit. Hom. III, 1. p. 175. adde fragmentum Tryphonis apud Athen. XIV, 10. p. 640. E. Nec possunt, quod suadet Heynius, explicari simpliciter de instauratione epularum, quam explicationem non admittit usus loquendi. Repugnat ipse Virgilii usus in Georg. II, 101. Nec possunt huc vocari poma et bellaria a Philemone diis apposita apud Ovid. VIII. Met. 673. Devertunt dii apud rusticum, quem poma afferre et fructus arborum, sane non est, quod miremur.

Tum Salii ad cantus, incensa altaria circum,
Populeis adsunt evincti tempora ramis,
Hic iuvenum chorus, ille senum: qui carmine laudes
Herculeas et facta ferunt.

Hic primo incurrit in oculos, probe distingui ab ipso poeta sacerdotes et Salios, quod cum non animadversum sit a plerisque interpretibus, multas peperit ineptias, quod mirum argutarentur in Saliis, Martis sacerdotibus, huc advocandis. Sed de his postea agendi locus erit. Agmen ducit Potitius, antistes sacrorum, *magistrum* appellare liceat ea significatione, quam docte illustravit Casaubonus ad Capitol. Antonin. c. 4. p. 304. Optime vero hic convenit poetae nostro cum Dionysio, qui in eo loco, ubi diligenter, ut solet, describit anniversariam Herculis solemnitatem I. 40. p. 103. Reisk. ab initio statim mentionem facit *Ποτιτίων ἡγουμένων τῆς ἱερουργίας καὶ τῶν ἐμπύρων ἀπαρχομένων*. Plura de Potitiis et ministris eorum Pinariis, quos sacerdotum nomine intellexisse videtur Virgilius, scire aventi, sitim explebunt laudati ad Liv. IX. 29. extr. Inscitiam eorum in cultu sacrorum gentilitiorum, quibus neglectis funditus extirpati fuerint, innuere videtur iocus Plautinus in Bacchid. I, 2, 15. Sed progrediamur. Prodeunt sacerdotes *pellibus in morem cincti*. Hic Cerdanus Herculiscos aliquos nobis effingit, omnibus ritu Herculis pelles leoninas circumdatas fuisse existimans. Unde tot leones in Italia? nec verisimile est, haec *πατροπαράδοτα* fuisse ex Arcadia. Praestat accipere simpliciter de pellibus ferarum, vel hinnulorum adeo aut caprarum, ut fuerint *διφθέραις ἐνημμένοι* (vid. Casaub. ad Theophrast. p. 56. Fisch.). Causa tamen huius amictus pastoritii, ut appellatur a scriptoribus rei rusticae, quaerenda est in memoria Herculis colenda. Notissima est observatio, quam liceat verbis scholiastae ad Apollon. I, 324. exprimere, *σύνηθες τοῖς ἥρωσι τὸ δερματοφορεῖν* *). Omnia, quae ad

*) Nimirum Hercules ille antiquissimus, ferarum domitor et pestium, quae terras infestarent, averruncator, vel omnes potius rudium populorum Samsones, quos in unam Herculis Thebani personam fabulosa conflavit antiquitas, armis et corporis integumentis haud dubie usi sunt iis, quibus in remota antiquitate homines corpus muniisse et propulsasse a se iniurias, credibile est, pellibus scilicet et stipitibus, seu clavis. Cum aere et ferro invento arma fabricari coepta essent, potuerunt Herculi quoque

rem in vulgus iam notam observari possent, occupavit Goguetus in notissimo de originibus legum et artium opere, 11
quod miror a nemine adhuc post Hambergeri versionem ad priorem editionem factam, iamque paulatim obsolescentem, recoctum et auctariis, quae vel ex Heynii opusculis et commentationibus addi possent infinita, exornatum esse. Redeamus ad poetam nostrum. Potitius et Sacerdotes afferunt faces ardentes, quibus adolentur exta in altari pollucta. Quo facto, en, adsunt *salii* hoc est chori saltatorum et ludionum, e senibus et iunioribus compositi. Subiecimus Saliorum vocabulo eam notionem, quam, neglectis Macrobii super hanc rem nugis in Saturn. III, 12., ob adspersa tamen veterum scriptorum quantivis pretii fra-

---

affingi arma eiusmodi, quod factum est in nobilissimo carmine, quod scuti Herculis nomine tribuitur Hesiodo v. 140, seqq. ubi *in Anthologia carminum Graecorum* Vol. I. p. 122. laudavit Koeppenius Strabonis et Athenaei loca, quibus demonstratur, insignia illa Herculis, pellem et clavam, fuisse a Stesichoro primum et recentioribus poetis conficta, cum antiquiores aere et ferro armatum illum fuisse tradiderint. Iuvat ipsum audire Athenaeum XII, 1. p. 512. F. τοῦτον sc. Herculem, inquit Megacides, unus convivarum, οἱ νέοι ποιηταὶ κατεσκευάζουσιν ἐν ληστοῦ σχήματι — ξύλον ἔχοντα καὶ λεοντῆν καὶ τόξα· καὶ ταῦτα πλάσαι πρῶτον Στησίχορον τὸν Ἰμεραῖον, καὶ Ξάνθιον μελοποιὸν πρεσβύτερον ὄντα τοῦ Στησιχόρου. Sed pulchre docuit amicissimus *Schlichtegrollius* in commentatione, super scuto Herculis nuper edita (*Ueber den Schild des Hercules ein antiquarischer Versuch*, *Gotha* 1788.) p. 137—48. haec, quae adversis frontibus pugnare videntur, bene conciliari posse, si plures Hercules et tempora, in quae poetae facta eorum collocant, probe distinguas. Uti poterat vir limatissimi iudicii etiam hoc nostro Virgilii loco. Incerta quidem est aetas hymnorum Orphicorum, quos tamen cum cl. Tiedemanno antiquiores putem, quam Schneidero visum est et Meinersio. Extat in his hymnus in Orpheum n. XI. p. 202. Gesn. ubi notatu dignus est versus 15. Ἐξέλασον δὲ κακὰς ἄτας, κλάδον ἐν χερὶ πάλλων. Gesnero Herculis Ἀπομυίου imago ibi ob oculos versata imposuit, ut scriberet *quasi muscae abigendae essent*, cum κλάδος simpliciter sit clava, quod docuit etiam, si auctoritatibus opus esset, Salmas. ad Capitolin. Antonin. c. 12. T. I. p. 279. Et sic ὄζος ἐλαίης in loco ab aliis iam laudato Apollonii IV, 1439. *Maenalius ramus* Propert. IV. 9. 15. unde apparet, vix potuisse ad μυϊοσόβην aliquam vel flabellum e frondibus arborum factum respicere auctorem hymni, qui nescio an fuerit antiquior Stesichoro. Singulare est, nec facile alias obvium, quod Dionysius, ubi accurate exponit de caede Caci I, 39. p. 99. addit ἐπικατασκάπτει τῇ καλύροπι τὸ σκήλαιον. Notatur ibi, in Vaticano esse τῷ κλωπι, quod haud dubie ortum ex interpolatione, quod *pedum pastorale*, καλάβροπα vel καλύροκα (vid. Hemsterhus. ad Lucian. DD. XX. 5. p. 257. et Lennepium ad Coluth. Animadv. I, 15. p. 68—70) de clava Herculis dici, ineptum videretur. Sed praeivit Dionysio in hac significatione vocis rariore Apollon. II, 33. ubi Amyco tribuit καλαύροπα τρηχεῖαν ὀριτρεφέος κοτίνοιο, ex oleastro clavam, qualem Herculis fuisse tralatitium est, vide v. c. Musgravium ad Eurip. Herc. Fur. 471.

gmenta non plane abiiciendis, primus, quod sciam, pul-
12 chre enucleavit Iosephus Scaliger, promus condus vocum cascarum et remotissimae antiquitatis optimus in castigationibus ad Catullum p. 22. seq. Otium hic fecerat omnibus, qui post eum hanc vocem explicaturi essent. Dici tamen non potest, quam supine et oscitanter in eadem voce illustranda versati sint posteriores interpretes. Compilavit Scaligerum *Cerdanus*, sed quae, ne asymbolus accederet, ipse contulit, viro docto plane sunt indigna. Excitavit enim, ne quid deesset, e latibulis suis apud Ammianum Marcellinum Francos Salios. *Catroeus*, interpres poetae nostri non ineptus, e Turnebi Adversariis parum, ni fallor, intellectis, multa nugatus est de Salio quodam Arcade, a quo tanquam a capite et ἀρχηγῷ foecunda Saliorum in omne aevum propullulaverit progenies (*Poésies de Virgile, avec des notes et dissertations* T. IV. p. 184. seqq.). Fefellit eum ratio in eo quoque, quod Dionysium huius rei auctorem perhibet, cum referatur a Servio et Plutarcho in Numa p. 68. E. Turpius adhuc hallucinatus est, qui peculiari libello exposuit de Saliis, *Gutberlethus* (dissert. de Saliis c. VIII. in Poleni Supplement. T. V. p 701, 2.). „Nescio, inquit ille, quid Turnebum moverit, quando monet, Virgilium vocis Salii usum hic extendere praeter solitum, nempe in genere pro quocunque saltante sacerdote, cum poeta de proprie dictis Saliis cecinerit." Nempe illevit haec chartis, poeta non inspecto. Non venerat in mentem viris doctis, quod hodie ubique iam inculcari solet et infigi teneris tironum animis, omnia haec explicanda et diiudicanda esse e moribus priscorum hominum. Factum autem est felicitate quadam seculi nostri, ut, qui in his aliquid sapere videri vellent, vestigia principum in his litteris virorum sequuti, omnia, quae abhorrerent ab institutis posteriorum seculorum, ex ingenio rudium nullaque cultura expolitorum populorum metienda et interpretanda esse, passim traderent. Innumera sunt, de quibus hodie melius praecipere possumus et disserere, postquam Homii, Fergusonii, Robertsonii, Herderi, Meinersii, et, qui hic quoque familiam ducit, Heynii studiis patefactus est aditus ad cognoscenda ingenii humani inde a primis incuna-

bulis incrementa, mores, inventa; *historiam hominis* vulgo appellant. Multum lucis affusum antiquissimo cuique poetarum veterumque populorum ritibus e comparatione gentium barbararum, plagas alio Sole calentes terrasque longissime a nobis dissitas incolentium, diligenter instituta. Sic, ut hoc uno exemplo defungar, ad interiorem principis poetarum, Homeri, sensum recludendum 13
non Eustathii tantum et quos Villoisonius cum maxime constipavit, scholiorum thesauros, sed itineraria etiam et commentarios eorum, qui peregrinabundi remotas terrarum oras pervagati sunt, adeundos esse et pervolutandos, neminem hodie fugit *). Quod ut dilucidius appareat tironibus, age, immoremur paululum Saliis hisce nostris apud Virgilium. Sic, quomodo in his versandum sit, optime poterunt intelligere. Salius, a salire, ἅλλεσθαι, (vid. Salmas. ad Scriptt. H. A. T. I. p. 279. et ad Tertull. de Pallio p. 345.) simpliciter notat ὀρχηστήν, *saltatorem*, id quod ex etymo vocis aperte iam declararunt Dionysius et Plutarchus. Saltationibus, in primis armatis, peragebantur sacra vetustissima. Hinc Salii sunt ludiones in sacris, praecipue vero armati. Quae posterior vocis potestas mansit in Saliis Martis sacerdotibus. Virgilius, qui probe perspectam haberet vim vocis, usus est hoc loco significatione latiore et antiquiore. Saepe autem hoc factum in vocibus sacrificulos et res sacras significantibus, ut a generaliori notione deflecterent paulatim ad specialiorem aliquam, priore illa penitus oblita et evanescente. Exemplo est, ut hoc utar, κῆρυξ in sacris Eleusiniis, et, quod proxime

*) Mirum sane videri potest in hoc, quod ubique fervet, Homericorum carminum studio, de quo, nisi deferbuerit ille aestus, priusquam ad maturitatem perducta sint omnia, egregia augurari licet φιλομήροις omnibus, repertum esse adhuc neminem, qui data opera hoc ageret, quod in codice sacro illustrando factum esse ab Harmaro, Fabro, Eichhornio aliisque cognovimus, ut *Homeri carmina e recentioribus itinerariis illustrata* publicaret. Operae pretium facturum esse, quicunque hanc provinciam sibi imponi pateretur, vel ex eo constat, quod, quae passim adsperserunt hanc in rem viri docti, v. c. Koeppenius in libro nuperrime edito, qui inscribitur *Ueber Homers Leben und Gesänge.* (*Hannover* 1788.) p. 138. seqq. ab idoneis harum rerum arbitris omne punctum tulisse, accepimus. Contulit etiam nonnulla Villoisonius in Prolegomenis ad editionem Homeri, iam, quod omnes gratulamur poetae, e prelis emissam, plura et uberiora, si, quod solet, promissis staturus est, olim daturus.

abest a nostro *κουρήτων* vocabulum in orgiis veterum. Insignis est in hanc rem locus Dionysii II, 70. p. 386. *εἰσὶν οἱ Σάλιοι κατὰ γοῦν τὴν ἐμὴν γνῶσιν Ἑλληνικῷ μεθερμηνευθέντες ὀνόματι, κούρητες, ὑφ' ἡμῶν μὲν ἀπὸ τῆς ἡλικίας οὕτως ὠνομασμένοι* (vide omnino Heynium in commentatione infra laudanda in Comment. Soc. Gotting. T. VIII.
14 p. 5, 6.) *παρὰ τοὺς κούρους, ὑπὸ δὲ Ῥωμαίων ἀπὸ τῆς συντόνου κινήσεως.* (*πυρρίχην* diserte appellat Plutarchus in loco classico de Saliis in Num. p. 69. B.) Iam, quod de Saliis ex etymologiae rationibus et accuratiore antiquissimorum rituum cognitione a nobis traditum est, confirmari etiam potest ex amica conspiratione omnium populorum, quos in remotis orbis terrarum partibus ab elegantiore humanitatis cultu alienos adhuc degere, constans fama est. Procedit omnis religionis cultus apud rudes illos homines a sensu aliquo laetitiae multis ex causis, quas ordine percensere hic nihil attinet, ortae, qua impleti et concitati mirum in modum gestiunt, exultant, tripudiant. Ipsa vero natura duce ad motus istos concitatiores auferri videntur et abripi, quod consentaneum sit, quorum indomitam vim vastosque impetus nondum fregerit et mitigarit cultura animi humanitatisque temperamentum, incredibili aviditate ferri in vehementiores corporis sanguinisque motus, quibus exhausti et defatigati concidant, et sopore languido, quo maxime delectari dicuntur, obtorpescant. Atque ex his ipsis motibus existunt varia saltationum genera, rudi arte, (quam nitidissimis versibus depinxit iam Lucretius V, 1378—97.) sed agilitate membrorum maxima, rotatione capitis, brachiorum iactatione, lumborumque crispatione agitari solita. Nec desunt, quae, quod aiunt, oleum camino addant, et furibundos saltatores magis incendant, incitamenta. Audiuntur modulationes et cantus absoni; perstrepunt vocum boatibus et stridulis instrumentorum tinnitibus choreae; vibrantur tela, colliduntur gladii, concrepant arma, quaecunque fors aut loci ingenium illis obtulerit. Hinc derivandae sunt pyrrhichae sive saltationes armatae, quas in antiquissimo orbe iuxta ac in recentiori apud feros et rudes populos ubique cernere est et reperire. Quas quidem ipsas ad deorum cultum ubique relatas esse,

nemo mirabitur, cum omnes a natura ita comparati simus, ut numen, quodcunque tandem mente nobis effingamus, facile ex nostro ingenio metiamur, et, quicquid animos nostros suaviter permulceat et exhilaret, idem divino numini oblectamento fore putemus. Iam, cum barbarae gentes ob ferociam indomitam pariter atque praedae cupiditatem insatiabilem perpetuis discordiis agitentur et idem fere sentiant, quod pulchre expressit in scolio lepidissimo Hybrias Cretensis (apud Athenaeum XV, 15. p. 695. F. cf. Cl. Koeppenium in Anthologia Vol. II. p. 107. et Cludium de scoliis Gr. in Biblioth. Literat. vet. Gotting. P. III. p. 54.)

Ἔστι μοι πλοῦτος, μέγα δόρυ, καὶ ξίφος,
Καὶ τὸ καλὸν λαισήϊον, πρόβλημα χρωτός.
Τούτῳ γὰρ ἀρῶ, τούτῳ θερίζω —

facile apparet, arma, quibus praecipue sese venditent et efferantur, nec a saltationibus suis religiosis abesse posse. Atque hinc explicandi sunt in antiquitate, quod pulchre monuerunt viri docti *), omnes illi Curetum, Corybantum,

*) Primo loco hic nominanda est egregia Heynii ad locum Strabonis X. p. 714. *de religionibus et sacris cum furore peractis* disquisitio in commentationibus Soc. Reg. Gotting. T. VIII. p. 1—24. quam a Lenzio, quem e disciplina Heynii magna laude cumulatum prodiisse laetantur Musae, versioni vernaculae libri utilissimi Baronis de Sainte Croix, *Recherches sur les mystères*, subiectum iri, valde gaudemus. Caeterum loca classica de saltationibus cum apud recentiores tum antiquiores populos collegit, vir vastae lectionis, Meinersius in libello, cui titulum praefixit: *Grundriss der Geschichte der Menschheit* c. VIII. p. 135. Posse haec in infinitum augeri, facile intelligitur. Restant, quod ad causas et origines antiquarum saltationum attinet, in doctissimo Luciani hac de re libello T. II. p. 265—316. Reiz. et in alia, (quam Gesnerus, nescio quo iure, abiudicavit Luciano), dissertatione de Dea Syria T. III. p. 451. haud pauca, quae ad normam illam, ab Heynio propositam, diligenter exacta, multum suavitatis habitura essent et fructus liberalioris. Nam, quae a Meursio, Burettio, Rambachio ad Potterum aliisque hanc in rem congesta est exemplorum farrago, vanno critica opus habet, quae mendis eam purget, et paleis, quibus abundat, inanibus. Quod superest, discipulorum meorum causa, qui mihi in lingua Anglicana addiscenda in primis hanc ob causam operam dederunt, quod scirent, magnum inde ad liberaliora studia parari praesidium, adscribam locum e libro, qui nuper admodum prodiit, lecta iucundissimo: *An account of the Pelew Islands, by G. Keate* (Basil, 1789.) ubi describitur saltatio bellica in Insulis Palao dictis ab aboriginibus illius regionis coram Anglis instituta, unde, praesertim si conferantur cum iis, quae in observationibus in Periplo orbis terrarum factis tradidit Forsterus p. 412. vers. vernac. ipsos Salios nostros et chori ab illis instituti rationem luce aliqua collustrari posse putarim. Extat descriptio illa in cap. XI. p. 114. seqq. „*In the evening our people were entertained with a dance of the warriors. The dancers have a quantity of plaintain leaves brought to them, which they split, and shiver into*

Thyadum aliorumque ὀργιασμοὶ et saltationes cum furore et armis peractae. Hinc provenerunt etiam Salii, hoc est, saltatores armati, quos tamen in hoc choro et hymno Herculis celebrando armis instructos fuisse non crediderim, licet Arcades, quos hic in Evandri consortio cogitare debemus, non solum musices et saltandi artibus a pueris imbutos, (vide locum eximium apud Polyb. IV, 20. T. I. p. 462. Ern.) sed etiam pyrrhichis et ἐνοπλίοις ὀρχήσεσι prae caeteris nobilitatos fuisse pateat e Xenoph. in *Ἀναβ.* VI, 1. p. 215. Lips.

16 Sed sufficiant haec dicta de Saliis. Restat, ut quomodo chorus circa altare ab iis institutus fuerit, paucis videamus. Cum in orbem ille circa aram duceretur, apparet fuisse saltationem cyclicam, quam propriam et primariam τοῦ χοροῦ, *chori* apud Graecos et Latinos significationem, diu est quod illustrarunt docti veterum poetarum interpretes *). Quod autem memorantur in hoc loco iuvenes et senes, errasse puto Cerdam aliosque, qui vestigia eius premunt, quod γεροντικὰς χορείας Laconum huc
17 attulerint. Senes simpliciter sunt seniores, viri, ephebis (ἡϊθέοις Apollon. I., 22. cf. Spanhem. ad Call. p. 83.

---

the form of ribbands, these they then twine and fix round their heads, wrists, waists, ankles and knees. They make also bunches or tassels of the same, which they hold in their hands. When drawn out, they form themselves into circles of two or three deep, one within another. In general an elderly man amongst them begins, in a very solemn tone, something like song, or long sentence, and when he comes to a pause, or what we should call the end of a stanza, a chorus is struck up and the dancers all join in concert, still continuing their figure. Their dancing does not so much consist in capering or aglity, as in a particular method they have of ancing bal themselves, and this frequently very low sideways, singing together all the while; during which they will flatten their circles, so as to bring themselves face to face to each other, lifting up the tassels, they hold in their hands, and giving them a clashing or tremulous motion; after this there will be a sudden pause, and an exclamation from every voice, weel! Then a new sentence or stanza is repeated, and danced to as before, and the same ceremony continued, till every man, who is engaged in the dance, has in his turn had his repetition and chorus."

*) E multis, quos ambitiose in re trita et vulgata laudare nostra aetate merito putidum habetur et ridiculum, consulendus est inprimis Spanhemius ad Callim. H. in Dian. 267. p. 364. Ern. Agebantur hi chori, περιβώμιοι et ἐγκύκλιοι dicti, manibus saltatorum inter se connexis, quod praeclare docuit ex illustri loco Aristophanis in Θεσμοφ. 963. L. Kusterus ad eiusdem *Πλουτ.* 761. p. 13. ubi declarat, quid differant ὀρχεῖσθαι et χορεύειν. Hinc κύκλος, κυκλώσασθαι, de choris eiusmodi

Ern.) oppositi. In proclivi foret, accumulare loca, ubi diversae aetatis chori in iisdem sacris προσόδια, hymnos cecinisse et saltationibus vacasse perhibentur. Quid? si dicamus respexisse Virgilium ad pompas Circenses, in quibus chorum triplicem saltatorum πρώτους μὲν ἀνδρῶν· δευτέρους ἀγενείων· τελευταίους δὲ παίδων commemorat Dionysius VII. 72. p. 1487. Maior difficultas oritur ex eo, ut definiamus, quomodo hi duo chori circa aram in unum orbem coierint. Optime, ni fallor, expediamus rem, si cogitemus, eos ita descriptos et dispositos fuisse, ut unus alterum includeret et complecteretur, ambo vero ad eundem numerum circa aram saltarent. Sed desidero exempla, vel e scriptoribus vel e monumentis veteribus in medium proferenda, quibus stabiliri et confirmari queat haec explicatio. Non dubito tamen, inveniri posse, praecipue in numis. Et subit animum recordatio duplicis eiusmodi chori in numo, quem dedit Spanhemius in epistolis numismaticis ad Morellium. Sed in angustiis rei librariae, quibus oppressus quotidie hic sortem meam deploro, nec iste liber ad manus, nec Raschii, quod consultum oportuit, Lexicon Numismaticum. Possit etiam sic explicari, ut dicamus, omnes unum tantum orbem effecisse ita ut cohaererent nexu mutuo manuum vel digitorum, ἀλλήλων ἐπὶ καρπῷ χεῖρας ἔχοντες, ut canit Homerus in describenda saltatione iuvenum et puellarum in clypeo Achillis Iliad. Σ, 594. Utcunque, tamen hoc satis apparet, ipsos inter saltandum cantasse hymnum, qui iam sequitur in laudes Herculis. Multos in errorem abduxit hic nota Servii: „fuere saliorum 18
duo chori: senum, qui tantum voce laudes Herculis exsequebantur: iuvenum qui gestu corporis facta eius monstrabant." Sed nullam in his temporum antiquissimorum *)

circa aram in orbem ductis saepe occurrunt. v. Wesseling. ad Diod. T. 1. p. 269. Caveant autem tirones, ne cum choris in honorem deorum a sacrificantibus circa aram agitatis confundant choros ad rem scenicam pertinentes, de quibus conferant saltem, qui ad manus est, Ernest. ad Xenoph. Mem. p. 120. Ipse Spanhemius ab hoc errore sibi non cavit, cum κυκλιοδιδασκάλους et χορους κυκλίους de choris dithyrambicis, tragicis vel comicis intelligendos (vide, quos laudat *Ill. Beckius*, cuius magna in re quoque extant beneficia, ad Aristoph. *Ορν* p. 96. et 150. seq.) traxerit ad hos choros in solemnibus sacrificiis agitari solitos.

*) Abhorret profecto haec mimica saltandi ratio a simplicitate aevi illius, et in universum ab hymnis in deorum sacrificiis. Sedem illa ab ini-

habuit rationem, et ignoravit choros illos in sacrificiis, ubi hymni canerentur, pertinuisse ad speciem *ὑποροχηματικὴν, ἐν ᾗ ᾄδων ὁ χορὸς ὀρχεῖται*, verba sunt Athenaei XIV. 7. p. 631. C. Alia et plane diversa ratio fuit, cum multis seculis post a Pantomimis sub Caesaribus Herculis quoque facta gestu corporis monstrata sunt. Diserte enim in orbe illo valde memorabili fabularum, quas saltarent pantomimi, refertur a Luciano de Saltatione c. 41. T. II. p. 293. *Ἡρακλῆς σὺν τοῖς ἄθλοις αὐτοῦ ἅπασιν.*

Sed restat iam altera huius commentatiunculae pars pertractanda, in qua de hymno ipso in Herculis honorem decantato, et summo poetae, quo in eo adornando usus est, artificio copiosius exponere constitueram. Hic vero in breviorem gyrum me plura dicere parantem redigunt, et evagatorem, quod ille ait, animum coercent angustiae huius libelli, quas egredi nefas. In pauca igitur me conferam, plura alii occasioni servaturus. Cum omnes, quotquot ad nos pervenerint, veterum hymnorum reliquiae ad duplex genus referri possint, lyricum vel epicum, lyricum vero antiquissimum fuerit et in sacrificiis maxime celebratum *);

---

tio statim habuit in re scenica et histrionia veterum, quanquam hic quoque verum, quod monuit Lucianus de Salt. c. 30. *πάλαι μὲν αὐτοὶ ᾖδον καὶ ὠρχοῦντο*, adde VV. DD. ad Liv. VII. 2. In scena quidem apud Romanos histriones *saltasse cantica* tantum, quae recitarentur a tragoedis vel cantoribus, notum vel ex antiquitatum compendiis. Exhausit hoc argumentum iam dudum Salmas. ad Vopisc. Carin. c. 19. p. 829—44. Haack. Atque idem in more positum fuit apud Graecos in choris tragicis, de quo nuperrime iterum exposuit Cl. *Ilgen.* in commentatione: *chorus Graecorum tragicus qualis fuerit* (Lips. 1788.) p. 11.

*) De hymnis in universum qui scripserint, longum foret commemorare singulos. Omnes, qui quidem, cum haec scriberet, innotescere illi potuerunt, diligentissime percensuit Vir eruditionis fama, et genere inclytus, cui plurimis nominibus me obstrictum esse gratus profiteor, *Blankenburgius* ad Sulzeri Theoriam Artium, T. II. p. 525. seqq. cf. in Supplementis T. IV. p. 664. De hymnorum origine, eorumque in sacris usu antiquissimo scite exposuit Groddeck. in commentatione de hymnorum Homericorum reliquiis p. 14. seqq. Varia hymnorum genera e praeceptis rhetorices enarravit Menander Rhetor. c. 1. p. 26. seqq. ed. Heeren. Vestigia antiquissimorum hymnorum extant adhuc in choris Tragicis, de quibus docte et subtiliter disputavit, omnibus, qui in Aeschyli, Sophoclis, Euripidis tragoediis ad nos pervenerunt, ad certas classes et ordines revocatis Cl. *Heeren* in dissertatione *de chori Graecorum Tragici natura et indole, ratione argumenti habita.* Gotting. 1784. ubi multa etiam de hymnorum divisione in lyricos et epicos acute monuit. Heerenium in multis *κατὰ πόδα* sequutus est *Fr. Snedorfius* in dissertatione: *de Hymnis veterum Graecorum*, Hafn. et Lips. 1786. Ex his tirones, quibus

apparet, priori illi generi adscribendum esse hunc quoque, in quo explicando versamur, hymnum in Herculem. Nec 19
haerere debemus in eo, quod pro simplicitate illius aetatis tibiae huic hymno accinuerint, non lyra. Convenit enim iam dudum inter eruditos, illos quoque hymnos, quos, tibiis interea canentibus (*αὐλούμενοι ἐν ταῖς πρὸς τοὺς θεοὺς προσόδοις* verba sunt Xenoph. in *Anaβ.* VI., 1. p. 215.) cantare solebant, ob argumenti similitudinem lyricos appellandos esse. Iam quod ad argumentum hymni ipsius attinet, iuvat primo audire Heynium, qui, „quae sequuntur, inquit, v. 288. seqq. hymnorum veterum in Herculem argumenta sunt, oratione a poeta praeclare in hymni formulam conversa v. 293. seqq. (*Tu, nubigenas, invicte, bimembres Hylaeumque, Pholumque manu, tu Cresia mactas Prodigia* caet.) ut ipsa narratio dramatis naturam induat." Verissima sane sunt, quae de exordio monet Vir Summus. Versus enim — ut prima novercae

> Monstra manu geminosque premens eliserit angues;
> Ut bello egregias idem disiecerit urbes
> Troiamque Oechaliamque; ut duros mille labores
> Rege sub Eurystheo, *fatis Iunonis iniquae* *),
> Pertulerit —

quis non videt, magis appellandos esse *προοίμιον* maioris alicuius hymni, quam hymni ipsius nomine censendos. Hinc magnam huic exordio similitudinem intercedere arbi- 20
tror cum fragmento Hymni in Herculem in Hymnis Homericis XIV. p. 91. Ern. in quo pariter fabularum in am-

---

volupe est ad satietatem usque sitim explere rerum pulcherrimarum, plura haurire poterunt.

*) Novercalia Iunonis odia inde ab Homero (vid. *Hermanns Handbuch aus dem Homer und Hesiod. p.* 148. *seqq.*) in narratione factorum Herculis commemorari, solenne fuit. Hinc a poetis Graecis, qui Heracleas condiderunt, quales fuerunt Panyasis, vid. Heyn. ad Apollod. p. 326. et Pisander Camirensis, vid. Heyn. ad Virgil. T. II. p. 283—88. et novius. Groddeck. *ueber die Argonautika des Apollonius* in Bibliotheca veteris literaturae et artium Gottingensi P. II. p. 104. seqq. primas Iunoni, in Hercule odio inexpiabili vexando, partes demandasse, coniectura facile assequi possumus. Easdem partes in Aenea per maria et terras cogitando in Aeneide ubique tribuisse Virgilium, nemo nescit. Adde, si libet, Heynium ad Virgil. T. II. p. XXXI. et 127. seqq. Ex his luculenter apparet, quam apte hunc hymnum in praesentia Aeneae a saliis decantari finxerit et quam convenienter statim in exordio verba: *fatis Iunonis iniquae*, addiderit poeta.

pliori hymno exponendarum prima tantum spargi videas semina, ut in illis v. 4. seqq.

Ὅς πρὶν μὲν κατὰ γαῖαν ἀθέσφατον ἠδὲ θάλασσαν
Πλαζόμενος πομπῇσιν ὑπ' Εὐρυσθῆος ἄνακτος (manifesta imitatio Homeri Iliad. Θ. 363. τειρόμενον ὑπ' Εὐρυσθῆος ἀέθλων)
Πολλὰ μὲν αὐτὸς ἔρεξεν ἀτάσθαλα, (δεινὰ, stupenda facinora) πολλὰ δ' ἀνέτλη.

Non possum enim assentiri Cl. *Groddeckio*, qui in *Commentatione de hymnorum Homericorum reliquiis* p. 48. putat, hoc fragmentum non esse hymni alicuius, sed carminis epici, Heracleae, exordium. Rationes angustiae huius scriptionis non capiunt. Magis arridet sententia Koeppenii in Anthol. Vol. I. p. 69. qui prooemium fuisse censet rhapsodi in sacrificio privato. Hymnodos dicere debuisset, de quibus vide, quae observat Spanhem. ad Callim. p. 27—29. Sed ut ad Virgilium, unde deflexit oratio revertatur, mirum sane videtur, omnes, quos quidem consulere licuit, interpretes silentio praeteriisse causas, quibus permotus poeta acutissimus ex amplissimo, quae de Hercule praedicari possent, laudum cumulo ea tantum delibaverit et selegerit, quae hic paucis commemorata leguntur? Cum enim praestantissimi poetae vel praecipuum in eo spectetur artificium, ut, quaecunque vel in ipsis adeo episodiis carmini suo intexuerit, locis tamen, personis et tem-
21 pori apta et accommodata reperias; hic quoque eum sibi constitisse nec temere, quae primum animo poetico furore afflato obversata fuerint, effudisse, credibile est. Fateor mihi quoque accidisse, quod accidit forsitan reliquis interpretibus, ut cum primum hunc locum auditoribus meis enarrarem, ad causas, quibus inductus haec potissimum in Herculis laudibus commemoravit poeta, animum parum attenderem. Acquiescendum mihi esse putaveram in eo, quod facile mihi in mentem venire poterat, colorem duxisse poetam doctissimum a carmine aliquo Graeco, iam deperdito, et quae ibi de factis Herculis ex ingenti numero decerpta essent, suo quoque inseruisse carmini *). Hic quo-

*) Extat praeclarus in Herculem hymnus in choro tragico apud Eurip. in Herc. Fur. 348—427. Sed cum longe aliud in eo concinnando

memor eram praecepti a praestantissimo interprete in
uisitione I. de carmine Epico Virgilii p. XXXIX. nobis
liti, *in Aeneide vix locum aliquem esse notabilio-*
, in quo non poetae alicuius Graeci vestigia agno-
s. Sed cum iam in eo essem, ut, quae praemeditatus
esseram, traderem auditoribus, animum interpretandi
ore iam iam incalescentem subito pupugit cogitatio *):
possunt haec adumbrata esse simpliciter ad exemplar
archetypum aliquod Graecum. En tibi in ipso car- 22
e vestigia haud obscura, quibus cum sollertia aliqua in-
atis, facile perspicere poteris mentem poetae. Atque
c mihi deprehendere visus sum in fine totius hymni: *su-*
omnia Caci speluncam adiiciunt, spirantemque ig-
us ipsum. In postremis hisce verbis subobscure in-
it, nisi fallor, poeta, quicquid in praecedentibus alla-
sit e laboribus et factis Herculis, ob notabiliorem ali-
m cum Caci nece similitudinem commemoratum esse,
lectis et praetermissis reliquis, quibus haec similitudo
inesset. Videamus singula, sed carptim et summa-
, ne fines transiliamus scriptionis. Arctissimo brachiorum

---

ilium sequutus sit Euripides, (est enim epicedii genus sive Aelinos in
ulem, quem ab inferis nunquam rediturum esse, dolent senes The-
), a Virgilio adumbrari illum non potuisse, liquido patet. Parum
facit etiam locus nobilissimus apud Sophoclem in Trachiniis 1069—
. ubi Hercules vestis venenatae doloribus excruciatus omnes, quas
essus sit, aerumnas ordine percenset, conversus ille a Cicerone in
ul. II. 8. et ambitiose expressus a poetis recentioribus, Ovid. Met.
196. seqq. Seneca in Hercule Oetaeo passim, in primis a v. 1237.
tamen apud Euripidem in Herc. Furenti v. 1266—78. locus notabilis
llo, quem inspicere potui, interpretum allatus, ubi Hercules omnia
eodem ordine, *τνφῶνας* etiam et *Ἅιδου πυλωρὸν κύνα* enumerat, quae
rgilio prolata sunt. Respexisse hunc Virgilium, non plane negave-
sed totus locus hinc explicari nequit.

*) Nullus dubito, fore plerosque bonarum literarum in scholis magi-
, qui saepe idem experti sint, quod mihi in vera huius loci inter-
tione indaganda usu venisse, libere professus sum. Oratoribus sa-
saepe id accidere prodiderunt testes harum rerum locupletissimi, ut,
subtiliter invenissent, et acriter limassent, cum commentandi causa
lerent, eadem tanquam ieiuna et tenuia abiicerent in ipsa perorandi
se, cum circumfusae multitudinis favore et fervore loquendi excitati
t latentes in animis nostris *ἐνθουσιασμοῦ* ignicili et semina. Idem
thedra nobis quoque inprimis in enarrandis poetis et oratoribus inter-
tecidere, consentaneum est. Nimirum hic quoque valet illud: *pectus*
quod disertos facit. Haec ideo addenda esse duxi, ne frivolae et
περιαυτολογίας studio, ea, quae supra scripsi, a me prolata esse,
malevoli.

nodo Cacum ita constrinxerat Hercules, ut gutture sicco et elisis oculis animam efflaret monstrum immanissimum. Iam vide, quam pulchre cohaereant cum hac Caci nece, in cuius memoriam anniversaria haec solemnitas cum saltatione et hymno instituta fuerat, 1) angues in incunabulis iam elisi v. 289. quibus, ut pulchre ait Seneca in Herc. Fur. 221. *prolusit hydrae*, 2) taurus Creticus, 3) leo Nemeus, 4) hydra Lernaea, atque ipse horrendus Orci ianitor, 5) Cerberus, quos omnes lacertorum robore compressos vel edomuit vel interfecit Hercules. 1) De anguibus illis ab infesta Iunone immissis monuit ipse poeta, quem, quod obliti sunt annotare interpretes, ad verbum fere expressit Statius III. Sylv. 1. 47. 2) De tauro Cretico (quem, si credimus veri aliquid subesse nec Bergierii recentissima de laboribus Herculis somnia amplecti velimus in libro, cui titulus: *de origine deorum paganismi* T. II. p. 388. vers. vernac., urum vel bisontem fuisse, veri simile est), omnes qui labores Herculis descripserunt, consentiunt, lacertorum viribus ab Hercule illum compressum et vel ad Eurystheum abductum, vel statim interfectum esse. Unum laudasse sufficiat Quint. Smyrnaeum VI. 236. in loco pulcherrimo de Herculis XX laboribus in scuto Eurypyli expressis, quem merito contra Reinesium vindicavit doctiss. *Tychsenius* in *Commentatione de Quinti Smyrnaei Paralipomenis* p. 21. ubi diserte:

23 *Γνάμπτε βίῃ κρατεροῖο κεράατος, οἱ δέ οἱ ἄμφι*
ἀκάματοι κυῶνες ἐρειδομένοιο τέταντο.

Caeterum nolo definire, utrum τὸ *mactas*, quod addidit in loco nostro Virgilius monstro Cretico, pluribus tantum membris sit accommodatum an aliam fabulam sequutus sit. Nemesianus in carmine in laudes Herculis v. 136. (in Wernsdorfii poetis min. T. I. p. 292.) pariter devertit a vulgatiore mytho: — „artus constringens fortibus ulnis, Igniſluos flatus, *animamque in pectore clausit.*" 3) De leone Nemeo nexibus brachiorum enecto, e monumentis (v. Drakenb. ad Sil. III, 33. ubi numi) et scriptoribus (vid. Heyn. ad Apollod. p. 342. ubi tamen lapsus est vir summus memoria in mentione leonis Marathonii e Plutarcho facienda) pervagata et trita sunt omnia. Unum locum, a nemine

quod sciam observatum, addere lubet e Geoponicis II. 42. p. 166. Niclas. ubi τὸν Ἡρακλέα πνίγοντα λέοντα ζωγραφεῖν suadet Sotion ad depellendam herbam leguminibus noxiam. 4) Quod ad hydram Lernaeam attinet, constat quidem, non elisam illam esse, sed clava et igne (addere licet χρυσέαις ἅρπαις ex Eurip. Ione 191. et Quinto Smyrnaeo VI. 218. quae loca subnectenda sunt iis, quae de armatura Herculis observata sunt superius) deletam, sed memores simus verborum Apollodori II, 5. 2. ἐκβαίνουσαν αὐτὴν κρατήσας κατεῖχεν. Atque ex eodem 5) notemus, verba de Hercule Cerberum coercente l. c. §. 12. κρατῶν ἐκ τοῦ τραχήλου, καὶ ἄγχων ἔπεισε, sive quod Galeus coniecerat, unice verum, ἐπίεσε. Verum enimvero dicat aliquis: quid sibi volunt Centauri, quid Troiae Oechaliaeque excidium? putasne, Centauros etiam, Laomedontem et Eurytum nexibus Herculeis peremtos esse? Non puto; sed inest nefario Caci furto criminis aliquid, quod exitium etiam attulit 1) Centauris, 2) Laomedonti et 3) Euryto. Violaverat Cacus turpissimo furto ius hospitii, quo pertinet *sceleris* appellatio in narratione huius facinoris apud poetam nostrum v. 206.; *furto polluit ille Iovem* de eadem re canit Propert. IV, 9, 8. quod, post Scaligerum, de Iove ξενίῳ Caci rapacitate violato scite exposuit N. Heinsius in Adversar. I, 17. p. 183. Iam vero ob idem ius hospitii vel vi, vel dolo et periuriis violatum poenas exegisse fertur Hercules ab iis, quos indicavit in versibus nostris Virgilius. 1) Hospitio exceperat in spelunca sua Herculem Pholus, 24
cum reliqui Centauri odore vini irritati, repente in illum coorirentur, vid. Apollod. II, 5. 4. Nec est, quod miremur, Hylaeum Pholumque secundum hos versus Virgilii Herculis manu cecidisse, cum alibi ab ipso poeta in Georg. II, 457. et ab Ovidio Met. XII. 306. in pugna cum Lapithis caesi vel fugati esse, referantur. Solemnis haec est Κενταυρομαχίας in Arcadia ab Hercule editae et Lapitharum proelii in Thessalia confusio, (vid. Heyn. ad Apollod. p. 351.) a Tragicis Graecis, ni fallor, derivanda; vid. Eurip. in Herc. Fur. 371. et 182. Sed meliora de his docebit Cl. Hermannus in mythologia Tragicorum, quam ipsis his nundinis Lipsiensibus prodituram esse, laetabundi ac-

cepimus. 2) Notissima sunt *Laomedonteae periuria linguae*, I. Georg. 502. Solenne adeo poetis, a Laomedontis periurio derivare omnia mala, quae deorum ira Troianis inflixisse fertur, vid. Cl. Ian. ad Horat. III. Od. 3, 24. Hinc etiam, quod probe notandum, Troiae ab Hercule dirutae mentio in hoc hymno facta non potuit offendere Aeneam. Sed potest alia praeterea reddi causa primi Troiae excidii, hic a Virgilio memorati. Primae post Herculem in illo partes fuerunt Telamonis (vide loca Pindari ab Heynio laudata ad Apollod. p. 446.). Telamon ibi potitus fuerat Hesione, ad quam visendam cum iter fecissent in Graeciam Priamus et Anchises, hospitii necessitudine cum Anchisa coniunctus fuerat Evander, id quod ipse narraverat supra v. 185. sqq. Poterat igitur vel hoc nomine non ingrata esse Aeneae, Troiae ab Hercule captae commemoratio. 3) Eurytus rex Oechaliae defraudaverat Herculem promissa Iole filia, *ξένον παλαιὸν ὄντα*, verba sunt Sophoclis in Trachin. 266. Notatu digna sunt verba Senecae in Hercule Oetaeo 161. *Muros Oechaliae corpore propulit*, quod nescio an alibi legatur. Diodorum enim, qui iam non ad manus, consulere non potui. Dignus certe locus, qui conferatur cum verbis Ovidii in narratione de Caci spelunca expugnata I. Fast. 565. *Nititur hic humeris — et vasto motu collabefactat onus*, cf. nostrum v. 237. Atque hinc nova, si argutari vellem, exsculpi posset similitudo. Caeterum nobilissima fuit haec Oechalia expugnata, et vel hoc nomine non indigna, quae huic hymno insereretur. Argumento est carmen non ignobile Creophyli, *Οἰχαλίας ἅλωσις* inscriptum, de quo vide loca a Barnesio ad Euripid. Herc. Fur. 473. laudata. De Oechaliae huius Euboicae cum aliis urbibus homonymia docte egit *Schoenemannus* in excursu peculiari ad *Commentationem de Geographia Homeri* p. 80. sqq. Sed quid Typhoeo faciendum est in hoc hymno? *Non te ullae facies, non terruit ipse Typhoeus.* Verba sunt Virgilii nostri, in quibus multum desudarunt interpretes, quod Herculis, cuius non contemnendae partes fuerunt in Gigantomachia, vid. Heyn. ad Apollod. p. 73. et 449., in proeliis deorum cum Typhoeo vel nulla plane mentio fiat, vel parum honorifica, quo pertinet insigne frag-

mentum Eudoxi Cnidii apud Athen. IX, 11. p. 392. E. quod egregie illustravit magnus Iablonskius in Pantheo Aegypt. V, 2. p. 52. seq. Sed salva res est, et pulchre procedunt omnia, si, quod ab initio posui, omnia in his referenda esse ad Cacum, hic quoque sumas. Evomit fumi volumina, flammis commixta Cacus. Quis nescit Typhoeum ingentes flammarum globos in Olympum iaculantem, deosque metu perculsos de statu deiicientem? Ponamus saltem versus elegantissimos Aeschyli in Prom. Vinct. 371.

Τοιόνδε Τυφὼς ἐξαναξέσει χόλον
θερμοῖς ἀπλήστου βέλεσι πυρπνόου ζάλης.

ubi vide, quos laudat Schuetzius V. Cl. Cum igitur quaereret Virgilius, ecquod factum Herculis aliud in mythis veteribus compararet cum intrepida illius fortitudine, qua Cacum flammis et fumi caligine eludentem impetus suos oppresserit, incidit statim in Typhoeum, cuius praeclaram et ad terrorem incutiendum egregie compositam descriptionem in Theogonia Hesiodi 820—80. (vid. Heyn. in Comment. Societ. Gotting. T. II, p. 151.) haud dubie saepe admiratus fuerat. Nec multum laboravit in eo, quasnam partes Herculi in proelio cum Typhoeo demandaverint mythi antiquiores. Forte recordabatur etiam loci Euripidei supra in notis laudati in Herc. Fur. 1271. ubi Geryonem vocat *τριςώματον τυφῶνα* ipse Hercules. Pulchre etiam huc facit versus Ovidii, qui potuit legere haec Virgilii, antequam sua scriberet, in Fastis, loco supra laudato v. 572. — *flammas ore sonante vomit* (sc. Cacus); *quas quoties proflat, spirare Typhoea credas.* Sed haec hactenus. Aut egregie fallor, aut omnes, qui quidem haec perpendere et reputare secum in animo velint, facile mihi largientur, respexisse poetam, quo nemo melius *reddere personae scit convenientia quaeque*, in singulis hymni huius partibus ad victoriam de Caco ab Hercule ubique *πάλιν ἵκῳ* reportatam. Quod si quis sit, qui ne sic quidem hoc persuaderi sibi patiatur, permutet, quaeso, haec, quae sunt loco et tempori convenientissima, cum aliis ex *δωδεκαθλίᾳ* vel undecunque tandem petitis, (cuiusmodi 26
multa promiscue exaggerata extant in Senecae tragoediis

v. c. in Herc. Oetaeo 15—30. in Herc. Fur. 213—50. in Agamemnone 803—55.), fingat in hoc etiam hymno aves Stymphalidas, cervam aeripedem, poma Hesperidum, Busirin, Acheloum, equos Diomedis et id genus alia commemorata, et, nisi plane est hebeti et obtuso ingenio, statim videbit, ridicula haec fore et nullo plane modo ferenda. Accedit, quod multa intacta reliquerim, quae splendide potuissent exornari, verbi causa, Cerberi super ossa recubantis comparatio cum Caci spelunca, tabo fluente, et affixa hominum capita praeferente.

IV.

QUAM VIM AD RELIGIONIS CULTUM HABUERIT HOMERI LECTIO APUD GRAECOS PUERORUM INSTITUTIONEM AB HOC POETA AUSPICARI SOLITOS *).

3 Cum nuper Aristophanis fabulam, quae Pluti nomen praefert, tironibus nostris explicaremus: incidimus etiam in loca nonnulla unicuique, qui facetissimum poetam vel a limine salutaverit, facile obvia **), in quibus deorum gentilium ineptias, ridiculasque Atheniensium superstitione occoecatorum de rebus divinis fabellas mirifice deludit et irridet. Subiit igitur mirari, qui factum sit, ut hanc linguae intemperantiam impune exerceret poeta comicus. Noveramus Atticae plebeculae ingenium, quam cultui deorum a maioribus accepto inprimis addictam et δεισιδαιμονίᾳ, ceu morbo quodam hereditario, affectam fuisse, e veterum monumentis abunde constat. Quo magis mirum videbatur, poetam,

*) Prodiit haec prolusio Gorlicii ad indicendam panegyrin scholasticam Gubenensem a. 1790.

**) Conferat, cui otium est, in Pluto nostro v. 124—26. ubi Iovis imperium et fulmina triobolaria fore pronuntiat, si Plutus aliquantulum dispexerit, v. 706. ubi Aesculapium vocat σκατοφάγον, *merdivorum*, et in fine fabulae Mercurii cum Carione servo confabulationes.

qui tanta licentia in deos patrios grassaretur, nec e scena a spectatoribus indignitate rei exacerbatis eiectum et lapidatum *), nec ab Areopagitis vel Heliastis potius, qui in impios severe animadverterent, poenis coercitum esse gravissimis. Cum vero nostrum esse putaremus, tironibus, quos dicteria ista in deos coniecta concoquere non posse cognoveramus, causas huius licentiae et impunitatis exponere diligentius, et quae alii ad hanc rem explanandam contulissent, dispicere, reperimus, saepius iam hanc quaestionem a viris doctis agitatam, sed a nemine, quantum investigando assequi potuimus, plane expeditam et ad liquidum perductam esse **). Nec mirum, homines, qui sibi totam rem scenicam veterum vel universum artium liberalium 4
orbem commentariis suis explicandum sumserant, fugisse taedium et laborem haec singula exquirendi et de quaestione, quam subtiliorem spinosioremque esse intelligerent, iudicium interponendi suum. Operae pretium igitur nobis facturi esse videbamur, si, quae alii vel carptim tantum perstrinxissent, vel plane silentio praetermisissent, excuteremus accuratius et ad examen revocaremus. Sed non capiunt eam disputationem huius libelli angustiae, quo more tralatitio indicenda nobis est orationum ab iis, qui scholae nostrae vale dicent, habendarum solemnitas. Qua-

*) Hoc ne quis durius a nobis dictum esse putet, sciat, invaluisse hunc morem veteribus theatris, ut malos poetas loco φυλλοβολιῶν (vid. D. Voss. ad Caes. de Bell. G. VIII, 51. p. 335.) lapidibus peterent. Illustraverunt hunc morem post Casaubonum ad Athen. VI. 12. p. 431. et ad Sueton. Calig. c. 4. Interpretes Petronii c. 90. p. 437. et quos ibi laudavit Burmannus.

**) Brumoeus, de quo paulo inferius dicendi locus erit, diserte commemorat: *les railleries, qu' Aristophane fait des dieux*, Vol. V. p. 247. et passim in Volumine VI. Sulzerus in Theoria artium s. v. Aristophanes T. I. p. 150. ed. nov. se quaestionem propositurum esse ait antea intactam: *Wie hat eine so grosse Schmähsucht gegen die vornehmsten Männer des Staats und sogar gegen die Götter so ungerochen hingehen können?* Sed, quae respondet, ad priorem tantum quaestionis partem pertinent, et cur poetae licuerit primores civitatis viros morsibus appetere, docte explicant. Iniquius paulo iudicium ob eandem rem de nostro tulit acutissimus Wielandus in comparatione Luciani cum Aristophane ad theotiscam Luciani versionem Vol. II. p. 5. „*Nur sehr selten entschlüpft ihm ein Aristophanischer Zug: aber auch diese wenigen, wie unschuldig und züchtig sind sie gegen die unartigen Zoten, die der attische Scurra seinem Bacchus in den Mund legt, um die Hefen des Cekropischen Pöbels in wieherndes Gelächter aufbrausen zu lassen.*" Cf. eiusdem Prolegomena ad Lucianum Vol. I. p. XXXVI.

propter separatim illa tractare, iisque, quibus haec pro more seculi non plane sordent, disceptanda proponere, apud animum nostrum constituimus *).

Nunc unam aliquam super hac re sententiam referre, et quae ad illam confirmandam probabiliter dici posse videntur, lubet anquirere. Notissimus et, si ab idoneorum in hac re iudicum sententia stare velimus, utilissimus est liber Brumoei, patris e societate Iesu in Francogallia literatissimi, quo docte complexus est totam rem scenicam veterum Graecorum, fabulis etiam, quae quidem tanquam pretiosissimae tabulae e communi veterum literarum naufragio ad tempora nostra emerserunt, in compendium redactis et in vernaculum sermonem conversis **). Huius igitur viri, qui posterioribus duobus voluminibus de Comoedia vetere et Aristophane nostro accurate egit et festivissimi poetae ingenium, per singulas fabulas eundo, quasi in tabella depictum lectoribus proposuit, hoc quoque inter alia, quae nunc commemorare nihil attinet, extat iudicium ad eam fabulam, in qua Herculem et Bacchum miris modis ludos fecit poeta, ad Ranas T. VI. p. 364, *causam, cur Aristophanes deos patrios tam effrenate in scena traducere ausus sit, praecipuam cerni in prima puerilis aetatis apud Graecos institutione.* Satis habuit vir elegantis et subacti iudicii digitum intendere ad hanc causam, utpote qui ad finem operis festinaret et vela iam contraheret. Nobis in usum tironum nostrorum, cui hoc qualicunque commentandi labore inserviendum esse putamus, quam ille vix attigit causam, copiosius declarare in animo est.

Pueris, postquam prima literarum elementa didicerant, statim in manus dabantur Homeri et Hesiodi princi-

*) Prodibit libellus impensis Hilscheri nostri Lipsiae mercatu proximo, cui titulum fecimus: *Aristophanes deorum gentilium callidus irrisor*, in quo causas huius licentiae, qua intemperanter usus videtur poeta noster, enucleare conati sumus.

**) Titulus libro praefixus sic habet: *Traduction du théâtre des Grecs, par le Père Brumoy*, Parisiis 1749. VI. Volum. octonis. Iterum recensuerunt, adscititioque variorum supplementorum ornatu nitide perpoliverunt doctissimi Galli *de Rochefort, du Theil et Prevost*, Parisiis 1785. seqq. X. voll. Inter multa supervacanei operis additamenta praeclaram etiam ab his viris Theatro Graecorum navatam esse operam, fando accepimus; ipsius enim libri inspiciendi nulla adhuc nobis facta est copia.

pum poetarum carmina *). Haec quotidie lectitabant; haec ediscebant et recitabant; haec in omni rudium animorum informatione utramque faciebant paginam. Iam vero Homerum miras de Iove ceterisque diis confinxisse vel tradidisse certe in carminibus suis fabulas, eorumque rixas, iras, caedes, concubitus, adulteria, pugnas aliaque id genus portenta nitidis ubique depinxisse coloribus, neminem, qui vel levissimo non dicam Homeri, sed omnis omnino antiquitatis gustu imbutus fuerit, fugere potest **). Non est nostrum, tantas, quae ingentibus animorum studiis prisco et recentiore aevo super hac re agitatae et in utramque partem disceptatae sunt, componere lites ***). Non po-

*) Pueros ubique in Graecia, et in primis Athenis, in ludis literariis studia sua auspicatos esse ab his poetis, non est, quod multis ambitiose demonstremus. Post Reimannum, Kusterum, Blakwallium aliosque nuper id docuit Schottus initio elegantissimi libelli, quem in sinu gestare debent tirones φιλόμηροι: *über das Studium des Homers in niedern und höhern Schulen* p. 4—12. Sed facere non possum, quin duo addam loca admodum luculenta e Platone et Luciano. Platonis locus, quem laudavit etiam in hanc rem Meinersius in historia illa bonae frugis refertissima: *Geschichte der Wissenschaften in Griechenland u. Rom*, T. II. p. 62. extat in Protagora p. 325. E. Frf. sive Vol. III. p. 118. Bip. οἱ διδάσκαλοι — ἐπειδὰν αὐ γράμματα μάθωσι, καὶ μέλλωσι συνήσειν τὰ γεγραμμένα, παρατιθέασιν αὐτοῖς (sc. pueris) ἐπὶ τῶν βάθρων ἀναγιγνώσειν, ἀγαθῶν ποιητῶν (h. e. ut paulo post explicat, Homeri et Hesiodi) ποιήματα, καὶ ἐκμανθάνειν ἀναγκάζουσιν. Apud Lucianum in Anacharsi s. de Gymnasiis c. 21. T. II. p. 902. Solon de prima Atticae iuventutis institutione ἅψωδοῦμεν αὐτοῖς, inquit, οἷα πολλὰ Ἡσιόδός τε ἡμῖν καὶ Ὅμηρος ἐποίησαν. Sed conferendus est totus locus, et saepe alibi huc respicit lepidissimus dialogorum artifex, v. c. in Prometheo c. 3. T. I. p. 187. cuius loci leporem pulchre ostendit Wielandus in versione T. II. p. 13.

**) Celeberrimi sunt versus Xenophanis apud Sextum Empiricum adv. Phys. I. 193. p. 593. Fabric. πάντα θεοῖς ἀνέθηκαν Ὅμηρός θ' Ἡσιόδός τε, Ὅσσα παρ' ἀνθρώποισιν ὀνείδεα καὶ ψόγος ἐστὶν κλέπτειν, μοιχεύειν τε καὶ ἀλλήλους ἀπατεύειν; cf. Henr. Stephani fragmenta poeseos philosophicae (Paris. 1573. 8.) p. 104. Platonis loca infra laudabuntur. Sed unus omnium optime ridendo hoc demonstravit Lucianus. Instar omnium esse poterit dialogus eius de Sacrificiis, quo quid acrius ad poetarum, Homeri in primis, mythos exagitandos scribi potuerit ab homine Christianorum sacris non addicto, vix intelligo. Vide omnino Wielandum in versione T. V. p. 215.

***) Imo plane iam compositae sunt, ni fallor, et consopitae virorum doctorum haec e genio seculi Homerici illustrantium sagacitate. Facem, ut inter omnes constat, reliquis praetulit magnus Heynius cum in iis dissertationibus, quae insertae leguntur Commentationibus Societatis Gottingensis (vid. Schott. l. l. p. 315.), tum in commentatione de Apollodori biblioth. myth. P. III. not. ad Apollod. p. 911. ss. Sequuti sunt docti eius discipuli *Schow* Comm. de Allegoriis Homeri adiecta Heraclidi Pontico p. 235. *Hermannus* in disputatione de diis Homericis, Mythologiae

tuit Homerus aliter haec fingere. Sed quamcunque tandem in illo vindicando viam ineas, hoc certe apparet, non potuisse haec magnam in puerorum mentibus vim non exserere, quippe teneris, ut Quintilianus de eadem re loquitur, et tracturis altius, quidquid rudibus et omnium ignaris insederit. Vero igitur tam simile est, quam quod simillimum, eosdem cum adolevissent, in corroborata quoque aetate parum offensos esse, si quos in Homero suo, ceterisque, qui toti ab illo pendent, poetis turpibus criminibus inquinatos et vilissimis ministeriis fungentes vidissent deos, in scena etiam eodem nomine traducerentur et ridiculo haberentur a poetis Comicis. Nec tamen hoc eam vim habuisse putaverim, ut omnibus omnino Atheniensibus matura illa carminum Homericorum aliorumque poematum lectione a teneris iam deorum cultus evilesceret, et quae a maioribus traditae sanctissime observarentur, in contemtum abirent religiones *). Refragatur enim omnis veteris aevi memo-
7 ria; obstant, quae de Atheniensium δεισιδαιμονίᾳ et in superstitionibus mordicus retinendis pertinacia ubique reperiuntur testimonia. Et fuerunt sane in publica et privata illius populi disciplina ludi, pompae, dies festi, ceremoniae, aliaque instituta innumera, quibus, si quid lectio poetarum dubii afferret in diis recte existimandis, statim tolleretur et penitus obliteraretur **). Hoc igitur haud dubi-

---

eius Homericae praefixa, et *Koeppen über Homers Leben und Gesänge*, p. 152. seqq.

*) Non possumus assentiri Viro ingenii acumine et solertia nemini secundo, sed novarum sententiarum nimium cupido, Excellentissimo *de Pauw* in libro, qui nuper prodiit Francogallico sermone compositus, sic inscriptus: *Reckerches philosophiques sur les Grecs*. Is in eo capite, quo de educatione Atheniensium multa ingeniose, ut solet, argutatus est, pueris etiam magnum Homeri lectione scrupulum iniectum esse putat, quod multa ab illo tradita reperirent, deorum personis indigna. Sed ponamus ipsa verba Vol. II. Part. II. p. 230. s. „La première lecture de ces poè„mes a dû exciter dans l'esprit des enfans de la Grèce une sensation „difficile à définir: ils y voyoient ces divinités qu'on leur ordonnoit „d'adorer, absolument avilies et tournées en ridicule: car Homère a rendu „les Dieux plus petits, plus foibles, plus vicieux et même plus impolis „que les hommes. Jupiter ne parle jamais à Junon sans lui dire quel„ques injures, et jamais Junon ne répond sans en dire aussi à son tour „cet." Nam sunt plura, quae contulisse non pigebit. Sed vide notam sequentem.

**) Vix animum inducere possum, ut credam, sensisse omnino pueros, qui sub magistri ferula ista recitarent et discerent, eorum turpitudinem.

tanter affirmare possumus, multitudinem (τοὺς πολλοὺς) ridiculis istis de deorum conditione et moribus apud Homerum fabellis minime offensam, sed, dum mentibus illas infigerent in tenera aetate, superstitionibus magis magisque devinctam esse et illigatam *). Nec abhorret a vero, hanc ipsam ob causam Aristophanis iocos, quibus 8 ansam praebuerant poetarum mythi, nullam indignationem movisse plebeculae eiusmodi fabellis innutritae. Sed ponamus fuisse haud paucos acrioris in primis ingenii et erectioris indolis pueros, in quorum animis lectio ista, non promiscue, sed cum delectu quodam et paulatim tantum impertita **), hanc vim haberet, ut portentosas illas de diis

---

lne vel maxime horum figmentorum illecebris delinitos esse et captos probabile est. Fraudi fuit Pauwio aliisque, qui sententiae eius calculum addiderunt, quod, quae ipsi sentirent, cum ista legerent cum maxime, in pueros Graecos bona fide transferrent. Sed videat mihi aliquis pueros, non dicam nostrates, sed a parentibus prognatos, qui Pontificiorum sectae addicti sunt. Quam absurda hodieque in scholis illorum venditantur Sanctorum nescio quorum miracula, *Legendas* vocant. Quotusquisque illas, nisi aliunde lumen affulgeat, in dubium vocare audet! Inhiant illis, et pro Sibyllae foliis habent, quae bonus edixerit vel praelegerit magister. Sic fit hodie. Sic factum est olim!

*) Atque hoc ipsum spectasse videtur callidissimus quisque legislatorum veterum, qui haec carmina in scholis legenda esse praeciperent. Οὐ γὰρ (ut verbis utar Strabonis I. p. 36. C. ed. Alm. ubi palmaria est viri sapientissimi de mythis poeticis disputatio, digna quae uberiore commentario illustretur) ὄχλον τε γυναικῶν καὶ παντὸς χυδαίου πλήθους ἐπαγαγεῖν λόγῳ δυνατὸν φιλοσόφῳ, καὶ προκαλέσασθαι πρὸς εὐσέβειαν (καί ὁσιότητα καί πίστιν) (duo postrema vocabula a Christiano librario haec ad marginem appingenti profecta esse, coniiciebat Beckius V. Cl.), ἀλλὰ δεῖ καὶ διὰ δεισιδαιμονίας, τοῦτο δὲ οὐκ ἄνευ μυθοποιΐας καὶ τερατείας. Cf. Maximum Tyrium acute super hac re disputantem Diss. X. T. I. p. 175. edit. Reisk.

**) Fuisse enim grammaticos vel praeceptores, qui non omnia statim pueris traderent carmina Homeri et Hesiodi, sed qui prudenter seligerent et decerperent loca praestantissima, e pluribus locis veterum satis constat. Non latuit hoc sagacissimum veteris Graeciae indagatorem, Barthelemyum in excellentissimo illo opere, quo omnes harum deliciarum amatores immensum quantum beavit, integro capite de educatione Atheniensium pulchre agentem. Temperare mihi non possum, quin locum excerpam, qui huc pertinet. Finxit ibi, Anacharsin narrare, quo pacto adolescentulus, amici filius, Lysis, ab incunabulis educatus fuerit. „Pour exercer la mémoire de leurs élèves, les professeurs de grammaire leur font apprendre des morceaux tirés d' Homère, d' Hésiode et des poètes lyriques. (Plat. de rep. II, 377.) Mais, disent les philosophes, rien n'est si contraire à l' objet de l' éducation. Comme les poètes attribuent des passions aux dieux, et justifient celles des hommes, les enfans se familiarisent avec le vice, avant de le connoître. Aussi a-t-on formé pour leur usage des recueils de pièces choisies, dont la morale est pure: (Plat. de LL. VII, 811.) et c' est un de ces recueils que le maître

opiniones in dubium vocarent, et quae passim ab antiquissimis poetis ad risum iocumque apta proponi viderent, ipsi quoque deriderent, nonne vero consentaneum est, hos 9 cum provectiore aetate *) spectatores assiderent comicorum fabulis, vel maxime plausisse poetae, mira dicacitate vel scurrilibus adeo iocis vana de diis commenta, quae ipsi vilipenderent, in scena exagitanti. Patet igitur, vel sic quoque morem illum legendi cum pueris Homerum multum profuisse Comico, ut impune ista rideret. Sed, ut diximus, vix vero similia nobis dicere videntur, qui pueros iam τὸ ἀλλόκοτον in diis Homericis deprehendisse et ad saniorem de diis doctrinam amplectendam hac re commotos esse contendunt. Legat mihi aliquis insignes illas et luculentas ῥήσεις Platonis **), quibus in praeclaro opere de optima republica graviter invehitur et stomachatur in poetas, quod fabulis eorum et portentosis de diis mendaciis animi iuvenum corrumpantur, anilibusque superstitionibus impleantur. Temperavisset sane ab hac iniuria sibi Plato, nec Homerum, e cuius uberrimis fontibus pluscula se in scripta sua derivasse probe norat, ex illo reipublicae statu, quem mente conceperat pulcherrimum, extorrem agen-

---

de Lysis avoit mis entre ses mains." *Voyage du jeune Anacharsis en Grèce* Vol. III. c. XXVI. p. 19. edit. minoris Paris 1789.

*) Fabulas scenicas in adulta aetate hominibus scriptas fuisse, colligitur e nobilissimo apud Aristophanem nostrum loco in Ranis, ubi pulchre disserit de poetarum, Homeri etiam, (v. 1034—36) ad corrigendos homines vi atque virtute — τοῖς μὲν γὰρ παιδαρίοισιν, Aeschyli verba sunt (v. 1054. s.), Ἔστι διδάσκαλος, ὅστις φράζει, τοῖς δ' ἡβῶσίν γε ποιηταί sc. τραγῳδοδιδάσκαλοι καὶ κωμῳδοδιδάσκαλοι, de his enim sermonem ibi esse, patet e serie orationis. Non arcebantur tamen pueri et adolescentuli a theatris. Locus classicus in hanc rem est apud Lucianum in Anachars. s. de Gymnas. c. 22. T. II. p. 904.

**) Platonis quae huc faciunt, loca e libro II. et III. de Republica depromta diligenter collegit et excussit Eruditissimus Beckius, cuius amicitia gloriari nunquam desinam, in disputatione aditiali: *Examen causarum, cur studia liberalium artium in primisque poeseos a philosophis veteribus aut neglecta aut impugnata fuerint* (Lips. 1785.) p. 38—42. Unum e multis, quae in promtu sunt, adscribam e libr. II. de Republ. p. 604. B. Frf. seu Vol. VI. p. 246. Bipont. μάλιστα τότε (cum nondum ephebis excesserint) πλάττεται καὶ ἐνδύεται τύπος ὃν ἄν τις βούληται ἐνσημήνασθαι ἑκάστῳ. Ἆρ' οὖν ῥᾳδίως οὕτω παρήσομεν τοὺς ἐπιτυχόντας ὑπὸ τῶν ἐπιτυχόντων μύθους πλασθέντας ἀκούειν τοὺς παῖδας καὶ λαμβάνειν ἐν ταῖς ψυχαῖς ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ἐναντίας ἐκείναις, ἃς, ἐπειδὰν τελεωθῶσιν, ἔχειν οἰησόμεθα δεῖν αὐτούς.

dum esse censuisset *), nisi lectione Homeri teneris puero- 10
rum mentibus frivolas de diis opiniones instillari et superstitionis rubiginem affricari, quae vix sanioris disciplinae placitis detergi possit, plane perspectum habuisset et cognitum. Quae cum ita sint, liquido apparet, potuisse vel hanc ob causam veteres Comicos impune illudere diis patriis, quanquam eorum fanis, imaginibus, sacris plena erant omnia. Assueverant spectatores a tenera aetate ridiculis illis poetarum de numinibus opinionibus et imaginibus, ab augusta, quam sapientiores iam tum de deo animis suis informabant, specie maxime discrepantibus et remotis. Ferre poterant deos palam ludibrio expositos. Consentanea erant illa ludibria fabulis, quas cum lacte materno quasi suxissent et omni deinceps in ludis Grammaticorum institutione penitus imbibissent, dum nemo aut deos illos esse negaret, aut numina, peregrinitate vel novitate exosa et invidiosa induceret.

Restat, ut rem, de qua hactenus disputavimus, exemplis aliquot ex Aristophane nostro petitis illustremus. Sic non temere haec a nobis affirmata, patebit dilucidius. Maximo cultu dignabantur Athenienses Mercurium, et sta-

*) In nobilissimo illo loco, quem certatim laudaverunt veteres et recentiores de Republ. III. p. 617. A. Non nescio, Beckium, V. Cl. in disputatione modo laudata p. 42. n. 4. monuisse, hunc locum non de Homero, sed de poetis Tragicis tantum intelligendum esse. Sed, pace dixerim Viri Excellentissimi, e cuius commentariis historicis et philologicis me quotidie aliquid discere gratus profiteor, vix omnibus probare poterit hanc sententiam. Tragicos Platoni in mente fuisse e serie orationis certo demonstrari non poterit, et repugnant alia loca, in quibus Homeri carmina exulare iubet e civitate bene constituta. Nec pro nihilo habendus est consensus veterum, qui Homerum hic significari uno ore omnes affirmant. Vide loca, quae congesserunt VV. DD. ad Maxim. Tyr. Diss. XXIII. T. I. p. 446. et T. II. p. 463. Reisk. Sed movet me in primis etiam auctoritas Dionysii Halicarnassensis, laudati ibi a Beckio. Nam cum hic quoque locum acceperit de Homero, grave hinc factum esse praeiudicium fatebuntur omnes, qui ἀκριβειαν norunt acutissimi Critici. Nimirum dignus est iste locus, qui post repetitas curas Graevii Lectt. Hesiod. c. 25. p. 127. Fraguerii, Massiaei T. I. et Comment. Acad. Inscript. Paris. Meinersii, Barthelemyi (Voyage du jeune An. IV. 371.), Beckii, Viri Summi, adhuc sub examen revocetur. Cogitandum est in primis, claudere ibi Platonem universam de poetis proscribendis disputationem, et sic ἐπιφώνημα illud de poeta coronando et unguentis perfundendo, non ad Tragicos solum, quos verbis proxime antecedentibus perstrinxit, sed ad principem etiam poetarum omnium referendum esse. Sed haec iam non sunt huius loci.

tuis, aris, festis diebus venerabantur *). Sed memoriae mandaverant iidem a teneris suavissimam Demodoci cantilenam de Venere et Marte in furto amatorio a Vulcano deprehensis. Norant, quae Mercurius ibi respondet Apollini. Plausu forsitan et cachinnis exceperant salacissimi dei
11 verba in lupanari vix hodie ferenda **). Legerant si non omnes, at nonnulli certe, antiquissimum hymnum in Mercurium, qui vulgo Homero tribuitur, et quae rudimenta mirae ὀξυχειρίας iam in incunabulis posuisset, cognoverant. Audiverant illa haud dubie in conviviis lepide exagitari et variis modis risus captandi causa exornari (vid. VV. DD. ad Horat. I. Od. 10.). Nonne igitur vero simile est, iisdem Atheniensibus cum in theatro spectarent Mercurium διακονικόν deum (vid. Lucianum DD. XXIV. p. 275. lepidissime haec ridentem) ad vilissimum ministerium viscerum expurgandorum detrusum, (apud Aristoph. in Plut. 1170. seqq.) vel meretriculae complexus alteri conciliantem ***), statim succurrisse ea, quae in Homero suo iam olim legerant ac eo lubentius animis infixerant, quo procliviores omnes sumus a natura ad carmina, quae fomitem subiiciunt libidinibus et permulcent animos voluptatum illecebris, alacriter arripienda? Addamus exemplum alterum a Baccho petitum. Ridicula admodum et scurrilis est licentia, qua Aristophanes in Ranis Bacchum, hoc est, numen illud, in cuius honorem celebrarentur Dionysia et ludi ede-

*) Prostabat statua Mercurii Propylaei in augustissimo arcis sacrario (Pausan. I, 22. p. 53. Kuhn.). Hermarum primi inventores Attici, πρῶτοι ἀκώλους (ἐποίησαν) Ἑρμάς. Pausan. I, 24. p. 56. et IV. 33. p. 161. cf. *Harlesium de Mercurii ante fores statuis in Opusc.* p. 474. seqq. Ephebi celebrabant quotannis Hermaea, vid. Meurs. Graec. Feriat. et ex ea Potterum. Variis eum prosequebantur cognominibus. Vid. Spanhem. ad Plut. Aristoph. 1154. seqq. sed cui non cantatus hic Hylas?

**) Odyss. Θ. 339—43. Multum hoc loco abusos esse eos, qui verbis praetextatis titillarentur, colligi potest e dialogo Philopatri c. 7. ubi perstringitur Mercurius ἀσελγομανῶν ἐπὶ τοῖς μοιχικοῖς, cf. Hemsterhus. ad Lucian. DD. XVII. T. I. p. 246. Atque hinc morem ductum esse putaverim, Hermas fingere ἀνδροσάθεας. Vid. Herod. II, 51. ubi Wesseling. et Larcher. ad illum locum T. II. q. 267.

***) Apud Aristoph. in Pace, ubi deae Irenes personam sustinere fingitur vilis meretricula, quam Trygaeus opitulante et conciliante Mercurio in terram deducit v. 728. seqq. collatis v. 848. ubi verba illa, quibus petulantius nec cogitari quicquam potest. Servus Trygaei:

Οὐκ ἂν ἔτι δοίην τῶν θεῶν τριώβολον,
Εἰ πορνοβοσκοῦσ', ὥσπερ ἡμεῖς οἱ βροτοί.

rentur scenici, in scena spectatoribus ludendum et ridendum propinat. Absurdum et, si rem ex nostris moribus metiamur, turpissimum esse videtur, deum in scena exhibere trepidantem, vapulantem servilibusque plagis male mulcatum, qualem in fabula illa Bacchum nobis finxit Aristophanes. Nec indignati tamen sunt hac ignominia in deum coniecta Athenienses. Imo mirum in modum exhilaratos et in cachinnum effusos esse hoc spectaculo credibile est. Plures, eaeque satis idoneae huius rei afferri possunt causae *). Sed si quis opiniones lectione Homeri a tenera iam aetate susceptas huc referat, nec ille multum 12
a veritate aberrare mihi videbitur. Vix ullam in Bacchum contumeliosiorem scenam reperias, quam ubi in vestibulo inferorum Empusae terriculamentis mire agitatur et consternatur Bacchus. Prae metu vix apud se est miser, pallet, trepidat, quaerit, quo se abscondat, latebras (in Ranis v. 285—311.). Potestne quicquam ignominiosius et turpius dici de deo, qui triumphans orbem terrarum peragravit, et ad extremam cum copiis victricibus penetravit Indiam? Sed didicerant spectatores ex Homeri carminibus, formidolosum esse deum et quovis hinnuleo fugaciorem Bacchum, quippe qui minis Lycurgi exterritus fuga salutem petiisset turpissima et in gremio bonae Thetidos deli-

*) In hunc censum in primis referendus est mos ille veteris Comoediae, Tragicorum fabulas ioculari imitatione ad ridiculum sensum detorquendi. Cum igitur Tragici saepe deos inducerent in fabulis suis, non potuit fieri, quin Aristophanes festive omnia in risum et iocum converteus, quae graviter dixissent Tragici, deos etiam, quos a Tragicis cothurnis ad soccum et Comoediam traduceret, multa ridicula et perpeti et perpetrare fingeret. Sic, cum Bacchum ad inferos descendentem inducit Aristophanes, detorquet ad comicas facetias argumentum a Tragicis saepe tractatum, qui fabulam illam de desoensu Bacchi ad inferos ad arcessendam Semelen (vid. Heynium in notis ad Apollod. p. 579. et quem ibi laudat Wesselingium), non minus exornaverant, quam Herculis et Thesei καθόδους. Iam quae in Tragicorum fabulis omnia graviter dixerat feceratve Bacchus apud inferos, Aristophanes consulto fecit turpia, foeda, ridicula. Hoc tenendum est in tota Ranarum fabula, nec dubitare possumus, quin plures Comici ex hoc uberrimo facetiarum fonte hauserint. Nam de Comicorum eiusmodi fabulis intelligo dictum Cleanthis, qui, cum in gratiam rediisset cum poeta, a quo vituperatus fuerat, ἄτοπον εἶναι, inquit, τὸν μὲν Διόνυσον καὶ Ἡρακλέα φλυαρουμένους ὑπὸ τῶν ποιητῶν μὴ ὀργίζεσθαι, αὐτὸν δ' ἐπὶ τῇ τυχούσῃ βλασφημίᾳ δυσχεραίνειν; apud Hesych. Miles. de viris illustr. p. 32. Sed uberius de hoc dicteriorum Aristophanis in deos fonte egimus in libello supra indicato.

tuisset pavore exanimatus, Iliad. 2, 135—137. (ubi vid. Koeppen Vol. II. p. 165.).

— Διώνυσος δὲ φοβηθείς,
Δύσεθ' ἁλὸς κατὰ κῦμα. Θέτις δ' ὑπεδέξατο κόλπῳ
Δειδιότα, κρατερὸς γὰρ ἔχε τρόμος ἀνδρὸς ὁμοκλῇ.

Plura exempla, quae in promtu sunt, afferre nihil attinet. Ex his enim, quae allata sunt, abunde patet, Homeri lectionem, qua puerilis aetas apud Athenienses imbueretur, multum contulisse ad licentiam illam, qua in deos quoque abusa est vetus Comoedia, augendam et promovendam. 13 Et cum Homerus cum Hesiodo et Lyricis fundamenta quasi iecisse putandus sit, quibus posterior aetas omnes de diis superstrueret fabulas et mythos: facile intelligitur, causam, cur Aristophani licuerit illudere ipsis diis, primariam ita etiam explicari posse: plura, quae nobis parum decore, imo impie et nefarie de diis dicta esse videantur apud poetam nostrum, plebeculae Atticae, cuius plausus vel in primis sectabatur noster, atque in universum populo Atheniensi, e lectione Homeri a teneris assueto eiusmodi ineptiis, longe aliter se habere visa esse. Brevi: ferebat haec religio Atheniensium et vana utique, quam de diis sibi induerant, persuasio.

V.

ARISTOPHANES

IMPUNITUS DEORUM GENTILIUM IRRISOR *).

I.

3 Explicavimus nuper in scholis nostris suavissimam festivissimi poetae, qui familiam ducit in vetere Comoedia, fabulam, Pluti nomine inscriptam, magnumque inde ad disciplinae nostrae alumnos cum iucunditatis tum utilitatis redundasse fructum, cum voluptate quadam sensimus. Al-

*) Prodiit haec prolusio Lipsiae ad indicendam panegyrin scholasticam Gubenensem a. 1790.

liciebat eos Attica suavitas, et tincti lepore sales, quibus exuberat et abundat Aristophanis ingenium. Admirabantur festivitatem hominis ex omni materia risum iocumque captantis et quicquid vellet, quocunque intendisset animum, mira arte extundentis omnia. Hinc, quicquid inter legendam ex indagandis verborum rariorum notionibus et extricandis structuris difficilioribus suboriretur taedii et laboris, facile devorabant, certo persuasi, hac tantum via muniri sibi aditum ad veneres facetiasque lepidissimi poetae penitius contemplandas cognoscendasque. Et est quidem Pluti fabula ea, quae magis placere possit tironibus, quam reli- 4
quae eiusdem Poetae comoediae, quae quidem ad aetatem nostram pervenerunt. Arctissime illae cum toto civitatis Atheniensium statu connexae sunt et copulatae. Cleonas, Lamachos, Hyperbolos aliosque factionum in turbulentissima tum civitate principes convitiis lacerant et proscindunt maledicentissimis. Ubique respiciunt ad belli Peloponnesiaci eventus, insidias, inducias et id genus alia. Haec omnia penitus perspecta et quasi in numerato habere oportet, si, quam tantopere admirati sunt veteres in Aristophane nostro, vim comicam et leporem vere Atticum plane cognoscere cupiant et intueri propius *). Atqui haec omnia fere absunt a Pluto nostro, quam in illa secunda ἐκδόσει ultimam earum fabularum, quae aetatem tulerunt, docuisse poetam, e Petiti et Palmerii computationibus constat. Fabulae argumentum est simplex, purum et a turbis civilibus maxime alienum. Restituuntur Pluto lumina, quibus captus fuerat. Insignis inde oritur rerum apud pauperes et locupletes conversio. Habes tribus verbis totum fabulae argumentum **).

*) Difficultates, quibus laborant fabulae Aristophanicae, breviter sed pulchre adumbravit criticus quidam in Commentariis literaturae veteris (*Bibliothek der alten Litteratur und Kunst*, *Götting.*) P. I. p. 126. seq. Nec contulisse pigebit acutissimum Britannum, Blairium in institutionibus vernaculo sermone scriptis *H. Blair's Lectures on Rhetoric and belles Lettres* Vol. III. p. 352. ed. Basil.

**) Unicum est, ni fallor, Plutus eius comoediae, quae media vocatur, exemplar. Atque hinc, credo, factum est, ut, qui primi inter Italos prelo subiecerunt nostri fabulas, Aldi et Iuntae, Plutum, omnium postremam Fabulam reliquis praefigerent, praeposterum in hoc sequuti ordinem librariorum, qui hanc fabulam intellectu enarratuque facillimam reliquis spinosioribus difficilioribusque priorem esse iusserant. Sed de his disputandi iam non est locus.

Quae cum ita sint, nusquam fere in lectione eius adhaeserunt nostri. Offendebant tamen primum et nauseam aliquam movebant dicta nonnulla nimis scurrilia, e Cloacinae illa, non Veneris et Musarum sacrariis petita. Sed facile intelligebamus, condonanda haec esse seculo, in quo scripsit Aristophanes, et dandum fuisse aliquid spectatorum ingenio, cui inserviendum esset, si stare vellet fabulas suas poeta. Comparabamus etiam licentiam scenicam, quam maiorum memoria apud nostrates etiam obtinuisse accepimus, cum moriones et circulatores circumforanei diludiis suis et mimis, *(Possenspiele)* ad quos nares saepe obturandae essent homini ingenuo, suavissime permulcerent auriculas non tunicati tantum et vilis popelli, sed amplioris etiam ordinis hominum *). Sed fuit aliud, quod admirationem iniiceret tironibus nostris, quos ipse ad hoc animum advertere, et quantum id abhorreret a nostro ingenio et sensibus, observare iusseram. Videbant scilicet, Aristophanem ne diis quidem parcere, sed eadem licentia, qua, quod de Lucilio Romanorum Aristophane narrat Horatius,

6 primores populi arripuit, populumque tributim,

grassari etiam in numina, non peregrina illa et adventitia, quod merito laudi vertit nostro iam Cicero **), sed antiquis-

*) Praelegebamus aliquando, ut haec dilucidius apparerent, specimina quaedam casci illius et obsoleti leporis apud maiores nostros, quae animi oblectandi causa proposuit Lessingius in libellis rem scenicam complectentibus: *theatralische Bibliothek* IV. Voll. Berol. 1754. et *Beyträge zur Historie und Aufnahme des Theaters, von Lessing und Mylius.* Stuttg. 1750. Monebamus etiam tirones nostros, e turpibus eiusmodi et obscenis verbis, quae palam proferrentur, non colligi posse, mores hominum, qui haec audire non erubescerent, magis perditos fuisse et corruptos, quam nostra aetate, quae ambagibus utitur et circuitione in his exprimendis; imo maiores, qui scapham scapham appellarent, reapse fuisse verecundiores, quam posteros eorum, qui quo studiosius haec *ἐνφημισμῶν* involucris abscondunt, eo acriori eorum sensu se titillari ostendunt. Vide, quae scite in hanc sententiam disputavit *Herderus* in libro novissimis Viri Summi scriptis aequiparando: *Kritische Wälder*, Vol. II. p. 142. seqq.

**) De Legibus II, 37. c. 15. ubi sermo est de peregrinis diis et *παννυχισμοῖς* e civitate bene ordinata proscribendis: „Novos deos et in his colendis nocturnas pervigilationes sic Aristophanes facetissimus poeta veteris comoediae vexat, ut apud eum Sabazius et quidam alii dii peregrini iudicati e civitate eiiciantur." Locus, quod monuerunt etiam VV. DD. ad h. l. in undecim fabulis, quae integrae ad nos pervenerunt, non extat; licet in iis quoque crebro sugilletur bonus Sabazius. vid. Beck. ad *Ορν.* 874. Sed e fragmento quodam (T. III. p. 276. ed. Brunck.) divinare possumus, respicere Ciceronem ad *Ὥρας* poetae nostri, saepius veteribus laudatas, praesertim si compares cum alio fragmento, eoque lon-

simis ceremoniis adorata, sed urbis tutelaria et πατρῷα, festis diebus, sacrificiis et pompis religiosissime culta. Atqui audiverant olim et legerant nonnulli e coetu nostro vel in exordio memorabilium Socratis, capital illi fuisse, abolere deos patrios. Cognoverant vel ex Nepote, diris denotatum esse Alcibiadem ob violata sacra Cereris. Sciebant omnes, me admonente aliaque exempla ex historia cum sacra tum profana suggerente *), tenacissimum fuisse populum Atheniensem rituum et ceremoniarum sacrarum. Quo magis mirum videbatur, unum Aristophanem insignes contumelias, quibus in theatro ob os totius populi deos cooperiret et ludificaret, impune tulisse, nec poenas luisse impudentissimae audaciae. Iam cum viderem, haec paulo altius 7
esse repetenda, copiosiusque edisserenda, nec interpretationis tenorem, interposita uberiore eius rei disquisitione, turbare vellem et interpellare, satis habui monere, diiudicanda haec esse e genio temporum illorum, et moribus veteris comoediae, plura pollicitus, si tempus et ratio ferret. Quapropter peropportune hanc mihi oblatam esse putavi occasionem fidei, quam nuper in explicando Aristophane obstrinxeram tironibus nostris, liberandae. Investigare igitur constitui causas, quibus impunitatem deos patrios in theatro coram populo vexandi consequutus sit Aristophanes, aliique veteris comoediae auctores. Scio, qui de Aristophane vel re scenica veterum scripserint, attigisse etiam impunitam hanc, qua quilibet nostrûm offenditur, quaelibet de diis garriendi fingendique licentiam. Sed cum plerique, nescio quo fato, iniquius de poeta nostro ferrent iudicium propter inimicitias, credo, quas exercuit cum Socrate, pauci admodum huic argumento immorari sustinuerunt, scurram eum et canem, qui deos hominesque allatraret, appellasse contenti. Exorti quidem sunt nostra etiam

---

gusculo apud Athen. IX, 3. p. 372. cum nota Casaub. Iacturam huius dramatis compensavit quodammodo Lucianus, diligentissimus Aristophanis imitator. Habemus in operibus eius T. III. p. 527. seq. *Deorum concilium*, in quo vestigia illum pressisse poetae nostri, vel ex hoc fit perspicuum, quod ibi c. 9. p. 533. Σαβάζιον e coelo eiiciendum esse, suadet Momus.

*) De famosa Atheniensium δεισιδαιμονίᾳ laudabam loca, quae facile consulere possent, ex Aeliani Var. Hist. V, 17. et A. A. XVII, 22.

tempestate, qui ab iniuriis imperitae multitudinis illum vindicare, et maculas, famae eius inustas, diligenter eluere studerent et delere *). Sed plerique hoc tantum egisse vi-
8 dentur, ut Socratis condemnationem ab illo ortam esse, negarent, et maledicendi libidinem, cuius infamia flagrat, excusarent. Qui vero hoc argumentum, quod explicandum nobis proposuimus, peculiari disputatione illustraverit **), quantum indagare potuimus et resciscere, repertus est nemo. Atque ut ordine et via procedat disputatio nostra, ita in ea versabimur, ut primo impietatis nostrum accusari non potuisse ex ipsa criminis illius, quale Athenis habebatur, declaratione ostendamus, deinde causas explicemus, quibus adductus poeta noster deos in fabulis suis ludos fecit, quas duplices esse reperiemus, vel in more veteris comoediae, vel in opinionibus de diis et rebus divinis, quibus tunc imbuti erant homines, positas.

II.

Non erat, quod valde laboraret noster de fama et salute, quod ne diis quidem in fabulis suis parceret. Nullum enim ab
9 illis legibus, quae ius iudiciumque dabant Athenis in impios, poetae imminebat periculum. Quod ut melius intelligatur,

---

*) Vide Brownium, Hurdium aliosque, quibus testimonium denunciavit V. S. Blankenburgius in observatis ad Sulzeri Theoriam Artium T. I. p. 152. et in Supplementis T. II. p. 566. quibus iam addi potest ipse Blankenburgius in nota doctissima ad Gilliesii Historiam Graeciae Veteris e Britannico in vernaculum sermonem conversam T. II. p. 279. seqq. et Harlesius, qui partim in programmatibus quibusdam Academicis, partim in huperrima Nubium editione summa ope enixus est, ut irrisi et condemnati Socratis a poeta nostro amoliretur invidiam.

**) Attigerunt enim complures. Excusare conatus est dicacitatem nostri in ipsos deos, causa tantum addita, quod sic ferret effrenis Attici theatri licentia, acutissimus Gallus, *Boivinius* in dialogo, *Avium versioni vernaculae* (Paris. 1729.) subiecto p. 241. *Les railleries qu'il fait des dieux* passim commemorat, qui rem scenicam Graecorum pluribus voluminibus complexus est, *Brumoeus* (*le Théâtre des Grecs par le P. Brumoy*) Vol. V. p. 247. et in primis Vol. VI. p. 300—305. ed. in 8. Sulzerus in Theoria artium s. v. Aristophanes T. I. p. 150. ed. nov. se quaestionem propositurum esse ait antea intactam: *Wie hat ihm eine so grosse Schmähsucht gegen die vornehmsten Männer des Staats und sogar gegen die Götter so ungerochen hingehn können?* Sed, quae respondet, ad priorem tantum quaestionis partem pertinent, et, cur licitum fuerit poetae primores civitatis viros morsibus appetere, docte explicant. Attigit etiam et acriter hoc nomine perstrinxit nostrum *Wielandus* ad Luciani versionem vernaculam in Prolegom. ad Tom. I. p. XXXVI. et in Tom. II. p. 5.

iuvat pauca hic de crimine impietatis, capitali illo apud Athenienses et severissimis poenis coërcito, delibare, eos, quorum interest haec penitus cognoscere, ad Meursium, Petitum, Sigonium, Heraldum, qui iustis voluminibus iurisprudentiam Atticam exposuerunt, ablegantes. Habuerunt Athenienses *actionem in impios*, γραφὴν ἀσεβείας (Poll. VIII, 40.). Actio in impium, ἄθεον, petebatur apud illum Archontem, qui secundus erat ordine, et quod sacrorum curam gereret, quae olim ad reges pertinuerat, βασιλεὺς appellabatur (Poll. VIII, 90.). Archon actionem introducebat in forum, et celeberrimo Athenis tribunali, quod Heliasticum appellabatur, tradebat *). Sed in omni rerum Atticarum memoria eos tantum impietatis arcessitos esse reperimus, qui disputationibus cultum deorum popularium tollerent, ut Diagoras Melius, Protagoras, Anaxagoras, Socrates, vel Cereris mysteria profanaverant, ut Aeschylus, Andocides, Alcibiades **). Observandum etiam,

*) Tralatitius est et pervulgatus error, Areopagum iudicasse causas, quae ad cultum deorum et violatas religiones spectabant. Sed quamquam iniitias iri nequit, Areopagitas, morum in universum magistros, religionis etiam habuisse curam, ipsos tamen actiones impietatis et violatorum sacrorum iudicasse, nondum liquet. Diligenter observabant mores civium, et si quid impie dictum factumve esset, rem, quam iam penitus perspectam et exploratam habebant, deferebant vel ad Heliastas, vel ad populum in concione, qui pro re nata absolvere poterant aut condemnare reum. Sic explicari possunt omnia loca, quae de Areopago, in causis religionis iudicante, passim attulerunt viri docti, Demosth. in Neaer. p. 528. C. Iustin. Mart. or. I. ad Gr. p. 24. Harpocrat. s. v. ἐπιθέτους ἑορτάς, quibus addi potest locus de Euripide infra laudandus. Induxerunt, ni fallor, eruditos in illam opinionem de Areopagitis, quae narrantur de Socratis iudicio, et Lucae locus in A. A. XVII. 19. Sed Socratem in iudicio Heliastico condemnatum esse contra Meursium de Areopag. c. 5. (T. V. p. 2088. Thes. Gronov.) pulchre docuerunt Meinersius in Historia Lit. Gr. et R. (*Geschichte der Wissenschaften in Griechenland u. Rom*) T. II. p. 482. seq. et Vir Doctus, qui de iudicio Socratis disputationem instituit in Bibliotheca Literaturae et Artium Gottingensi (*über den Process des Socrates*) P. II. p. 5—10. Paulum vero non causae suae coram iudicibus perorandae causa Areopagum adscendisse, sed ut ab loco editiore ad turbam undique circumfusam verba faceret, post Bezam et Grotium vera et communis est recentiorum interpretum sententia. Ceterum de odio, quo ἀθέους vel novarum de rebus divinis opinionum studiosos exagitarent Athenienses, acerbissimo digna lectu nuper memoriae prodidit etiam Plessingius V. Cl. in libro, qui inscribitur: *Osiris und Socrates*. Sed haud scio an Socrati multa temere affinxerit, quae si cum testimoniis veterum comparentur, specie magis quam veritate delectare videantur.

**) Temperare mihi non possum, quin adscribam locum ex egregio opere, quo Barthelemyus nuperrime beavit omnes φιλέλληνας, quibus vo-

quod patet ex historia Periclis, Alcibiadis, Socratis, cui magnam ob Alcibiadem et Critiam discipulos olim suos invidiam conflatam esse constat, usos esse plerumque hac accusatione in civilibus discordiis factionum principes ad instigandas inflammandasque plebis iras in cives nobiliores et adversarum partium capita *). Iam vero facile intelligitur, auctores fabularum cum tragicarum tum comicarum impietatis accusari non potuisse, dum caute versarentur in mysteriorum earumque rerum, quae ibi docerentur vel repraesentarentur, commemoratione. Nam sive impia loquerentur in scena homines et argumentis refellere studerent insitas inveteratasque de diis popularibus opiniones, quod Socratem facere videmus in Nubibus, sive ridicula et absona de iis comminiscerentur poetae ad captandos spectatorum plausus et cachinnos, cuiusmodi sexcenta occurrunt in Ranis et Avibus Aristophanis, nullum impietatis crimen impingi poterat fabularum auctoribus. Nimirum magnum, ut par est, discrimen intercedere putabant Attici inter ea,

---

lupe est, universam Graeciam, quo tempore opibus et ingeniis maxime floreret, velut in tabella depictam perlustrare. „Le culte public étant „prescrit par une des loix fondamentales (Draconis scilicet, v. Porphyr. „π. ἀποχ. IV, 22. p. 179. Cantabr.) et se trouvant par là même étroitement lié avec la constitution, on ne peut l'attaquer sans ébranler cette „constitution. C'est donc aux magistrats, qu'il appartient de le maintenir. Ils ne soumettent à la censure, ni les histoires fabuleuses sur „l'origine des dieux, ni les opinions philosophiques sur leur nature, *ni „même les plaisanteries indécentes sur les actions, qu'on leur attribue;* „mais ils poursuivent, font punir de mort ceux, qui parlent ou qui écrivent contre leur existence: ceux qui brisent avec mépris leurs statues „(poterat, hoc quod ad solos Ἑρμοκοπίδας pertinet, commode omitti) „ceux enfin, qui violent le secret des mystères avoués par le gouvernement." *Voyage du jeune Anacharsis en Grèce* T. II. p. 40. c. XXI. edit. minoris Parisiensis. Sed adeundus est et ponderandus locus. Nobis gustu harum elegantiarum imbuisse sufficiat lectores, quibus opus illud oculis usurpare nondum contigit. De severa animadversione in eos, qui disputationibus περὶ τῶν φυσικῶν deos tollere putarentur, luculentus est locus apud Plut. in Nicia p. 538. E. Frf. quem miror fugisse Barthelemyi diligentiam.

*) Insignis hac de re locus extat apud Plutarch. in Pericle p. 169. D. E. Acute, ut solet, hoc quoque καταπολίτευμα notavit *de Pauw* in libro, qui inscribitur: *Recherches philosophiques sur les Grecs* III, 6. T. II. p. 46. Non negamus huic etiam libro, ut reliquis ingeniosissimi auctoris scriptis manifesta παραδοξολογίας, quibus saepe in transversum abripitur, et sublestae in laudandis veterum testimoniis fidei impressa esse vestigia. Sed in eo capite, quo impietatis crimen tractat, si ab eo discesseris, quod Socratem ab Heliastico iudicio condemnatum esse negat, praeclare sibi constant omnia.

quae scenae et personis convenientia confinxerant Tragici 12
aut Comici, et sententiam, quam quis e prava animi persuasione serio protulerat in sermonibus cum amicis vel disputationibus in discipulorum consessu institutis. In his, si quis sinistre de diis patriis iudicasset, poterat omnino impietatis accusari, quamquam hoc raro et post Socratis mortem, cum variae philosophorum familiae libere de diis disputandi ubique professi essent artem et disciplinam, vix unquam accidit, nisi in Theodoro Atheo (vid. Diog. II, 101. et ibi Menag. Athen. XIII, 9. p. 611. A. et bibliothecam literaturae et artium Gottingensem P. II. p. 20. seqq.). At in Comoediis, si παραβάσεις excipias et quae chorus interdum poetae nomine pronuntiat (v. c. in Nub. 517—62. Ran. 354—71.), nunquam ipse poeta loqui putandus est, sed quae personis, loco et toti dramatis καταδκευῇ apta sunt et accommodata, scenae attemperare et ad spectatorum voluptates architectari. Ad quam quidem rationem, si tanquam ad amussim pleraque, quae in Aristophanis fabulis perperam et nefarie dicta occurrunt de diis, diligenter exigas, facile tibi persuadebis, non potuisse irasci populum *), nec minitari poenas poetae, qui oblectationis gra- 13
tia morique veteris comoediae congruenter et convenienter

*) Imo, si coniecturae hic quoque locus relictus est, non abhorret a vero, favisse tum plebem Atticam Aristophani diis ubique obtrectanti secreta quadam ἐπιχαιρεκακίᾳ, quod ita dii e sublimi et invidioso quasi fastigio, quo superstitio hominum eos evexerat, detracti hominibus aequarentur. Nam si bene novi mores et ingenium plebis Atticae, quale nobis depinxit ipse Comicus in Equitibus in primis et Vespis, nihil magis eos urebat et male habebat, quam quantulacunque, qua quis reliquis antecelleret, excellentia. Hanc carpere et dente arrodere maligno, hanc insectari et insultare omnes. Quis nescit infamis illius Ostracismi, aliorumque institutorum, quae ad deprimendos cives opibus florentes et fama domi forisque parta inclytos inventa esse videntur, hinc derivandas esse origines? Nolebat igitur qui furor tum erat et ἐλευθεριομανία populi, deos ipsos esse grandiusculos, et plaudebant poetae, qui acerba dicacitate illos vellicaret et ad modulum pedemque reliquorum mortalium quasi redigeret. Hinc intelligitur, puto, cur Aeschyli tragoedia Prometheus Vinctus, in quo Iovis tyranni crudelitas acerbissime perstringitur, mire placuerit Atheniensibus. Nam quae Schutzius V. C. ad difficultatem illam tollendam monuit in Excurs. V. ad Prom. V. T. I. p. 200. sunt illa quidem vera, sed nondum plane in iis acquiescere possumus. Scio fore, qui tantam vecordiam in homines superstitiosos cadere posse negent. Sed nae illi parum intelligunt, tum quomodo mores fuerit plebs Attica, tum quomodo animati fuerint in deos suos.

eiusmodi monstra confinxisset *). Idem vero, cum dicenda tacendave calleret, et sensum spectatorum suorum nosset optime, diligenter sibi cavit, ne maligni de contemtu suo in deos patrios spargerentur rumores, et ne quid eorum ipse dixisse videretur ex animi sententia, quae scenae serviens
14 passim fabulis suis intexuit in deorum popularium contumeliam. Quin tantum abfuit, ut deos, quos patria fanis, aris, sacrisque dedicasset, ipse palam vilipenderet et in contemtum adduceret, ut potius in omnibus, quae adhuc manibus nostris teruntur, fabulis non adumbrata sed expressa animi sui a religionis sensu non alieni extare voluerit vestigia. Sic ubique perstringit pestiferas, quae hominum animis insedissent, superstitiones de diis tenui aliquo sacrificio in consortium scelerum, rapinarum, flagitiorum vocandis **). Sic passim intexuit comoediis suis gravissimas de diis scelerum ultoribus sententias, veraeque et non fucatae pietatis ubique sparsit semina ***). Sic reperias etiam in choris fabula-

*) Huc animum attendere iubet iam Plutarchus, seu quisquis auctor est libelli de audiendis poetis, qui in portentosis eiusmodi poetarum de diis commentis hoc semper spectandum esse monet, haec a poetis non ex animi sententia, sed tantum ad probabilitatem et *ψυχαγωγίαν* auditorum dici. Verba sunt c. II. p. 10. ed. Krebs. *ὅταν ἄτοπόν τι καὶ δυσχερὲς ἐν τοῖς ποιήμασι λέγηται περὶ θεῶν* (respicit auctor ad crebras Platonis obiurgationes v. c. de Rep. II. p. 604. B. vid. Cl. *Beckium* in *Examine causarum cur studia lib. art. et in primis poeseos a philosophis impugnata fuerint* [Lips. 1785.] p. 38. seq.) *ὑπ' ἀνδρὸς ἐλλογίμου καὶ δόξαν ἔχοντος, ὁ μὲν ὡς ἀληθῆ προσδεξάμενος λόγον οἴχεται φερόμενος· ὁ δὲ μεμνημένος ἀεὶ καὶ κατέχων ἐναργῶς τῆς ποιητικῆς τὴν περὶ τὸ ψεῦδος γοητείαν — οὐδὲν πιστεύσει φαῦλον.* Apte usus est hoc Plutarchi loco ad diluendam impietatis suspicionem in poeta nostro Brumoeus *Théâtre des Grecs* T. VI. p. 302. sed quae de religione mythica poetarum a religione populi plane diversa inde efficere conatur, hinc colligi non possunt. Sed de his infra dicendi locus erit.

**) Sic lepide ludit noster in superstitionem muliercularum, quae *καπήλιδες* appellantur (Hökenweiber, *les dames des Halles*) in Plut. 1122. ubi narrat Mercurius, sibi primo mane bellaria et liba ab illis offerri, quod sperarent scilicet, Mercurio propitio, plus sese hodie lucraturas esse e quaestu turpissimo commodi. Cf. 1140—46. ubi Carrio servus Mercurium, oblato libo, furtorum participem fecisse dicitur.

***) Insignis in hanc rem sententia est in fine eius fabulae, ob quam pessime audit noster, Nubium. Strepsiades ibi graviter conquestus erat, plecti se ob impietatem suam; respondent nubes v. 1456. *Ἀεὶ ποιοῦμεν ταῦθ' ἑκάστοθ' ὅταν τινὰ γνῶμεν πονηρῶν ὄντ' ἐραστὴν πραγμάτων, Ἕως ἂν αὐτὸν ἐμβάλωμεν εἰς κακόν, Ὅπως ἂν εἰδῇ τοὺς θεοὺς δεδοικέναι.* cf. v. 1478. 1506. Bene observat ad h. l. Brumoeus in libro laudato T. V. p. 548. in nota: „Mot remarquable pour faire voir, qu' Aristophane n' étoit pas un Athée déclaré, comme quelques-uns l'ont pré-

rum preces magnificas et carmina in honorem deûm iis verbis concepta, quae de θρησκείᾳ poetae omnem popularibus eius eximere poterant scrupulum. Atque id quoque neminem fugere potest, qui diligentius evolverit poetam nostrum, prudenter illum refrenasse linguae intemperantiam, quotiescunque de mysteriis et sacris, quibus initiarentur Attici, ceremoniis loquendi incideret occasio. Attigit aliquoties consuetudines ridiculas, quas cum sacris Eleusiniis coniunxerat frivola superstitio *), perstrinxit mollitiem et indomitam licentiam feminarum, qui Ἀδώνια, Θεσμοφόρια aliasque celebrarent παννυχίδας, sed leviter et quasi aliud agendo, quomodo ulcus tangere par est, cuius nimia frictione facile incrudescunt dolores. Nimirum sentie-

tendu." Laudavit hunc locum ob insignem gravitatem etiam Schutzius V. Cl. ad Aeschyl. Pers. 818. T. II. p. 106.

*) Sic in Pluto nostro facete ridet morem, quo mystae vestes, in quibus initiati essent, usu detritas deabus Eleusiniis dedicarent v. 846. et ibi Spanhem. Furta-amatoria in pompis Eleusiniis frequentari solita (adi pulchre haec explicantem *Pauwium* in Recherches philosoph. sur les Gr. T. II. p. 210. s.) tangit in eadem fabula v. 1014. ubi cf. Spanh. In χοροῖς μυστικοῖς (vid. Heyn. ad Tibull. in Observat. p. 90. et Meiners. in opusculis variis vernaculo sermone compositis [*Vermischte Schriften*] Vol. III. p. 262.) suaviter ludit in Acharnens. 764. seqq. ὄνος ἄγων μυστήρια risus materiam suppeditavit in Ranis 159. Sed quis non videt, in his impune ludere potuisse poetam, cum nihil revelaret ex ipsis mysteriis nec ritus sugillaret, ab ipsis mystagogis celebrandos. Extat tamen locus in Ranis 143. seqq. 274. seqq. 319. seqq. ubi in mysteriorum commemoratione parum caute versatus esse videtur. Exhibuit enim umbras apud inferos simulacra quaedam mysteriorum ludentes. Sed si rem accuratius excutias, nihil illic arcanae religionis evulgatum, nihil ex adytis productum esse a poeta deprehendes. Nam quae de misera conditione sceleratorum omnium omnino profanorum, et de prosperitate initiatorum apud inferos docerentur in mysteriis, omnium Atheniensium sermonibus tunc iactata fuisse, patet e locis Platonis (vid. in primis Plat. in Phaed. c. 13. p. 289. et Aeschin. in Axiocho c. 20. p. 164. et Fischerum V. Cl. ad utrumque locum in edd. noviss.) aliorumque scriptorum, quae diligentissime collegerunt Meiners. in collectione opusculorum supra laudata T. III. p. 284. seqq. et qui Meinersii de mysteriis sententiam paulo iniquiorem refutare conatus est, Plessingius in erudito opere, cui titulus *Memnonium oder Versuche zur Enthüllung der Geheimnisse des Alterthums* T. II. p. 240—43. Hinc poetam nostrum de industria scenam ita in Ranis instruxisse arbitror, ut spectatoribus, quos quidem tantum non omnes initiatos fuisse constat, (XXX millia mystarum fuisse in pompa Eleusinia probabili coniectura elicitur e loco nobilissimo Herodoti VIII. p. 647, 27. ed. Wessel.) delectationem afferret imaginibus et canticis ad initia Eleusinia caute adumbratis. Mihi quidem eadem voluptate plebs Attica affecta esse videtur, cum haec in scena repraesentata videret, quam cum audiret nobilissimos illos versus Sophoclis de mysteriis, quos servavit Plut. de aud. poetis c. IV. p. 30. Krebs. — οἱ τρισόλβιοι Κεῖνοι βροτῶν, οἱ ταῦτα διερθέντες τέλη Μολῶσ' ἐς ᾅδου κ. τ. λ.

bat poeta callidissimus, quam lubrica haec essent et periculosa, et, quae Aeschylo quondam, cum quaedam e mysteriis in scena enuntiasse videretur, acciderant, ignorare non poterat *). Atque ex his omnibus efficitur, novisse nostrum non solum, quae ad palatum facerent auditorum, sed etiam, quae tuto in scenam proferri possent, nec ne. Quae si quis diligenter apud animum reputet suum, profecto mirari desinet, cur in effrenata illa veteris comoediae maledicendi libidine, cui in deos quoque plurima licerent, quae postea severioribus legibus circumscripta exularunt e scena et consuetudine hominum, nusquam impietatis causam scriptam esse legamus Aristophani. Denique hoc etiam observandum esse videtur, cognitionem eorum, quae in scena turpiter vel impie dicerentur, non pertinuisse proprie ad Areopagum, aliosve magistratus civiles (licet hos quoque interdum iudicasse in ea causa, vel ex Aeschyli exemplo pateat), sed ad iudices peculiares, universae rei
17 scenicae a populo praefectos. Atque in his iudicibus magnum poetis paratum fuisse praesidium, Euripidis exemplo, quod infra ex Aristotele posuimus, demonstrari potest **).

III.

Ex his, quae iam in medium a nobis prolata sunt, hoc certe colligi posse arbitramur, nihil aut parum timendum fuisse poetae Comico ab ἀσεβείας γραφῇ. Nam in nostrum etiam convenire videtur, quod de omnibus poetis praedi-

*) Τὰ μυστήρια ἐπὶ σκηνῆς ἐξεπῶν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ κριθεὶς οὕτως ἀφείθη, ἐπιδείξας μὴ μεμνημένον, verba sunt Clementis Alexandrini de hac re in Strom. II. p. 387. A. Sylb. cf. Periz. ad Aelian. V. H. V. 19. et, qui pulchre totam rem enarrat, Barthelemy in Voyage du jeune Anacharsis en Grèce T. VI. c. LXIX. p. 21.

**) Sententia, quam Hippolytus pronuntiat in cognomine dramate v. 612. Ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος, valde displicuerat spectatoribus. vid. Valcken. et Beckium in ed. Lipsiens. T. III. p. 272. a. Refert Aristoteles in Rhet. III. 15. p. 602. ed. du Val. Euripidem ob hunc versum in Areopago impietatis arcessitum, rem ad iudices scenicos reiecisse, eorumque sententia liberatum esse. Dignus est in hac quoque historia, qui consulatur, Barthelemy in libro saepius laudato T. VI. c. LXXI. p. 160. ubi p. 77. seqq. scite etiam expedit rem totam de iudicibus scenicis, variis eruditorum controversiis, qui Archontem (vid. Harles. ad Aristot. Poet. c. V. p. 36. s.) cum iudicibus scenicis (vid. Beckius ad Aves 444. p. 45.) mirum in modum confuderunt, satis intricatam.

cavit Venusinus: — poetis Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas. Sed in promtu sunt aliae causae, quibus incredibilis illa Aristophanis aliorumque veteris comoediae auctorum *) licentia in irridendis ludificandisque diis popularibus explicari, impudentiaeque et scurrilitatis crimina 18
ob hanc licentiam in illos coniecta dilui possunt et refutari. Atque *has* quidem *vel in moribus veteris comoediae*, *vel in opinionibus de diis cerni*, supra iam monitum est. Progrediamur igitur ad priorem causam, quam e moribus et ingenio veteris illius comoediae, cuius princeps fuit Aristophanes, derivandam esse putamus. Atque hanc positam esse dicimus in solenni illa tragicorum παρῳδίᾳ per omnes, quotquot extant, Aristophanis fabulas perpetuo fusa atque ita implicata, ut, nisi lucem e comparatione Tragicorum accendas difficilioribus nostri locis, ubique coecutias, et quomodo te extrices, vix habeas. Scilicet quaecunque tandem fuerint origines veteris comoediae, (nondum enim post operosas doctissimorum virorum, Bentleii, Hurdii, Battesii, Cookii aliorumque ad nobilissimum Aristotelis de Poet. c. V. locum curas et disputationes ad liquidum omnia mihi perducta esse videntur, nec nostrum, tantas componere lites) hoc certe apparet, Aristophanem eiusque aequales ita se composuisse in scribendis fabulis, ut toti penderent ab imitatione Tragicorum, sed depravata illa et in iocum lusumque detorta, quam παρῳδίαν vocare liceat cum Quintiliano (VI, 3. 97.). Monstrat hoc universa dramatum, quae ab Aristophane ad nos pervenerunt, descriptio et singularum partium, chori, personarum ordo et distributio **). Monstrant hoc sexcenta in fabulis istis loca, 19

*) Nam non solum Aristophanem strinxisse dicacitatem suam in deos, sed alios etiam Comicos istius aetatis e pluribus, quae apud Athenaeum extant, eorum fragmentis luculenter, si hoc ageremus, demonstrari posset. Sic ut duo tantum, quae in manibus sunt, commemoremus, Cratinus in nobilissima fabula Νέμεσις dicta (vid. Koppiers. Observ. p. 120) fabulam illam de Leda ovum e concubitu cum Iove susceptum excludente lepide risit, vid. fragmm. apud Athen. IX, 4. p. 373. D. VIII, 3. p. 334. C. et Heyn. ad Apollod. p. 720. Sic Archippus Herculis voracitatem, foecundam iocis Comicis materiam, ludibrio habuerat in dramate Ἡρακλῆς γαμῶν, ut patet e fragm. apud Athen. XIV, 20. p. 656. B. Sed recentiorem etiam comoediam non plane abstinuisse ab eiusmodi dicteriis patet ex imitatione Terent. in Eun. III, 5. 40. seqq. ubi vid. Intt.

**) Scite hos veteris comoediae mores depinxit elegans rerum Grae-

in quibus manifestam versuum et verborum e Tragicis petitorum deprehendere possumus imitationem, longe plura deprehensuri, ni maxima pars tragoediarum temporis iniuria intercepta esset. (Vide, si tanti est, Valckenaerii diatriben in fragmm. Eurip.) In hoc mirum in modum sibi placet et exultat ingenium poetae nostri, ut ludicra ista imitatione risum excutiat spectatoribus, et quamquam nec Aeschylo parcit, nec Sophocli, praecipue tamen delectatur in fabulis et versibus Euripidis ad ridiculum sensum detorquendis *). Ponamus igitur hoc in universum, comoedias

carum scriptor Britannus *John Gillies* in historia vernaculo sermone scripta, qua facile palmam praeripuit omnibus, qui in eodem stadio cum illo decurrerunt, Goldsmithio, Robertsono, Mitfordio. Inscribitur opus: *The History of ancient Greece, its Colonies and Conquests from the earliest accounts till the Division of the Macedonian Empire in the East*, Lond. 1786. 4. Liceat hinc pauca excerpere, quae vel in primis huc faciunt, e Voll. II. p. 347. „It bore (sc. comoedia Aristophanis) the greatest re„semblance to tragedy, borrowing from that sort of dramatical compo„sition — the Conduct of the Whole as well as the proper Management „of the several parts, the Musik, the Chorus, the Masks, Ornaments „and Machinery, all these things being now disfigured by buffoonry and „burleskified in as high a degree, as would be thought fit to the pur„poses, the poet aimed at, in so much, that his Performances very of„ten were nothing, as Parodies of the most celebrated Tragedies of his „Contemporaries." Disputavit etiam de hac ludicra Tragicorum imitatione in poeta nostro ubique obvia elegans harum rerum spectator *Brumoeus* in libro saepius laudato Vol. VI. p. 140 seqq. et in primis p. 298—300.

*) In argumentis, unde risum captaverit, solemnibus ipse commemorat Aristophanes in Vespis 71. *ἀσελγαινόμενον Εὐριπίδην*, ubi vid. Brunck. T. II. p. 203. Et sic se res habet. In undecim Comici fabulis, quae aetatem tulerunt, duae extant hoc tantum consilio et argumento compositae, ut versibus et verbis Euripidis e variarum tragoediarum farragine consutis et conglutinatis mire abuteretur ad deridendum sapientissimum poetam, Thesmophoriazusas puta et Ranas. Nec obscure prae se tulit noster, cur tanto odio in eum exacerbatus fuerit. Ipse ostendit causam eius in fine Ranarum 1491. *χαρίεν οὖν, μὴ Σωκράτει παρακαθήμενον λαλεῖν ἀποβαλόντα μουσικήν*. Nimirum infensus erat Euripidi ob insignem, quo Socrates Euripidem complexus ferebatur, favorem. Hinc invidiosa illa impietatis criminatio in Thesmoph. 450—56. Sed in reliquis quoque fabulis ubique *ὑποτραγῳδεῖ* (liceat hoc verbo uti, quo in ludicra versuum Euripideorum imitatione, Aristophaneis non absimili, usus est Lucianus in Iove Tragoedo c. 1. T. II. p. 643. ubi vid. Gesn.) Euripidi poeta noster. Luculentum exemplum, ut alia omittam, est in Acharnens. 440. seqq. quem locum pulchre enucleavit Brumoeus T. V. p. 414—16. Verissimum igitur esse videmus, quod monuit Berglerus, vir de Aristophane quoque ut de omnibus, quos curis suis et versionibus illustravit, meritissimus, statim ab initio commentarii sui ad Plutum, „perpetuo hoc facere Aristophanem, ut seria Tragicorum in comoediam transferat ioci et ridiculi causa, in primis ex Euripide." Atque hinc utilissimus est, quod bene monuit in Praefat. Burmannus Secundus, Bergleri ad A. commentarius, quod ubique loca Tragicorum, quo respexisse Comicum in tanta deperditorum dramatum copia credibile est, diligentissime enotavit.

Aristophanis ubique continere ridiculas Tragicorum, Euripidis praecipue, imitationes, et referendas esse ad id genus carminum, quo poemata seria vel epica vel dramatica ad risum iocumque detorquentur, quae non nostra demum aetate, sed antiquissimis iam temporibus innotuisse et passim apud Graecos frequentata esse, non est, quod multis contra Vavassorem, qui hoc in elegantissimo de ludicra dictione libello (p. 251. ed. Kapp. et passim alibi) partium studio abreptus negavit, demonstremus *). Iam primo hoc neminem, qui veteres Tragicos inspexerit, ignorare 21
arbitramur, in multis eorum fabulis partes datas esse diis seu primarias, seu secundarias, ut Volcano et Mercurio in Aeschyli Prometheo Vincto, Minervae in Sophoclis Aiace Flagellifero, Baccho in Bacchis, Apollini in Oreste Euripidis, ad quem morem nimis fere frequentatum praeceptum pertinet Aristotelis (de Poet. c. 15. p. 108. Harl.) quo cavet, ne nodus solvatur μύθοις ἀπὸ μηχανῆς. Constat etiam ex innumeris veterum testimoniis, sumsisse Tragicos argumenta ex ipso quasi Olympo ducta, in quibus Iovis, aliorumque Olympiorum, non heroum tantum, amores, fata, et id genus alia accurate exponerentur. Atque argumentis eiusmodi delectatus esse videtur in primis Aeschylus.

*) Parodiae ab antiquissimis inde temporibus Graecis in deliciis fuerunt. Usus iis esse dicitur iam Hipponax. Nobilitatae sunt inprimis Matronis parodiae Homericae, quas cum aliis separatim edidit H. Stephanus. Stephani et Fabricii in bibliotheca Graeca (II, 7. 2.) scrinia compilavit Salierius, cuius de originibus parodiae commentatio legitur in Commentationibus Acad. Inscr. Paris. T. X. Sed peculiare παρῳδίας genus ortum esse videtur ab Aristophane aliisque veteris comoediae auctoribus. Nam quod hi risum captant e ridicula Tragicorum imitatione, peperit hoc novum ludicrarum fabularum genus, cui e mira centonum Tragicorum et lusuum Comicorum coagmentatione Ἰλαροτραγῳδίας nomen inditum est. Appellabatur etiam Rhinthonia ab inventore Rhinthone Tarentino, de quo vid. Cuper. in Observat. I, 10. p. 73. et T. Hemsterhus. ad Poll. X, 35. p. 1182. Nos hodie voce ab Italis, qui primi in hoc carmine inter recentiores excelluerunt, accepta travestimenta (*Travestirungen*) appellamus, de quibus omnia undique diligenter conduxit Kappius in Apparatu ad Vavassorem de arte Ludicra p. XXXIX—LXI. Nostra et parentum memoria fuere in Gallis, qui nobilissimis illius gentis Tragicis, Cornelio, Racinio, Voltario pari modo abuterentur, et illuderent. Adi sis, quos laudavit V. S. *Blankenburgius ad Sulzeri Theoriam* A. T. III. p. 535. et *Eschenburgius* in *Theoria artium* p. 87. edit. prioris. Ceterum, ut hoc addam, non veteris tantum, sed recentioris etiam comoediae poetas apud Graecos saepe cum irrisione quadam respexisse ad fabulas Tragicorum, evidenter apparet e luculento fragmento Timoclis, quod e Stobaeo dedit Brunckius in Gnomicis Gr. p. 201. seqq.

Evolvat, si cui otium est, catalogum dramatum deperditorum apud Fabricium, vel fragmenta tantum ad calcem
22 Aeschyli Stanleiani collecta, et plures ibi reperiet fabularum titulos ex orbe illo fabularum mythicarum ductos, veluti Alcmene, Danae, Europa, Nereus, Semele, Sisyphus. Quid mirum igitur, Aristophanem etiam ipsa fabularum quarundam argumenta ita effinxisse, ut diis Tragicorum more partes in iis demandaret. Sed cum hanc legem sibi scripsisset poeta facetissimus, ut omnia, quae traduceret e tragoediis, in risum iocumque verteret, et, si ita loqui fas est, syrmati Tragico caudam appenderet vulpeculae; facere non potuit, quin ipsos etiam deos, detracta illa severitate Tragica, fronte exporrecta et hilariori in scenam induceret, imo, quod par erat facere hominem e qualibet materia risus captantem et plausus plebeculae, turpitudine quadam insigniores redderet et ad vilissima ministeria detruderet. Atque argumenta quidem tragoediarum spectatoribus, tenuioris etiam conditionis hominibus pro admirabili, quo omnes flagrabant, in ludos scenicos studio cognita fuisse et perspecta, nullus dubito. Iam si deum aliquem in comoedia personam sustinere viderent valde ridiculam, vel turpem adeo et pudendam, non indignabantur poetae, qui haec inepte vel impie molitus esset, quod nos in ignoratione fabularum tragicarum facere consentaneum est; sed cum statim succurreret, vultum, quem tragica Musa prae se ferret egregie ad gravitatem compositum, distorqueri a comico in sannas et cachinnos; cum in promtu essent tragoediarum argumenta, quae ioculari imitatione expressisset, plaudebant ingenio poetae, non deos ipsos, quos summa in veneratione haberent, sed Tragicorum deliramenta in fabulis suis exornandis ridenti. Sed optime hoc declarabitur exemplis quibusdam ex Aristophane nostro. Indignis modis accipitur a poeta nostro
23 Bacchus in Ranis, quem ridicula Herculis persona indutum descendisse fingit ad inferos, ut arcesseret sibi poetam tragicum, quorum tunc mira Athenis esset penuria. Quo postquam pervenit, contremiscit miser et trepidat ad vanum Empusae terriculamentum, vestes commutat cum servo Xanthia, plagas patitur serviles, Aeschylique et Eu-

ripidis versus ad trutinam novo et ridiculo more pensitat et examinat. Haec quin nobis absurda, turpia, impia videantur, non intercedo. Sed aliter visum est Atheniensibus. Bene enim norant, poetae comico non hanc mentem fuisse, ut serio irrideret Bacchum, quippe in cuius tutela essent ipsi ludi et poetae scenici, sed ut ludibrio haberet ineptias tragicorum, qui Bacchi descensum ad inferos ad Semelen matrem e faucibus Orci eripiendam fabularum suarum elegissent argumentum *). Quod si adhuc extarent istae fabulae et a nobis legi possent, nullum mihi est dubium, quin, comparatione illarum cum hac nostri comoedia instituta, quae nunc absona nobis videntur nec ullo modo ferenda, facetissima esse arbitraremur et ad ridiculam imitationem scite composita. Videamus aliud. In fabula, quae Pacis nomine inscribitur, multa occurrunt in deos Olympum incolentes nequiter et ridicule dicta. Sed adumbravit priorem fabulae partem ludicra imitatione ad Belle- 24
rophontem, Euripidis fabulam **). Fecit igitur quae poetam decerent veteris comoediae. In risum iocumque vertit, quae graviter pronuntiaverat Euripides, plaudentibus et in cachinnos effusis Atheniensibus, quos verosimile est vel hanc ob causam favisse Comico insectanti Euripidem, quod nativa quadam animi malignitate inviderent Tragico, carminum praestantia apud cives et exteros celeberrimo ***). Sed

*) Celeberrima haec fuit κάθοδος Bacchi ad inferos Semelen, inde Thyonen vocatam, arcessentis; τοὺς περὶ Διόνυσον κατιόντας εἰς Ἅιδου habes apud Aeschin. in Axioch. c. 20. p. 165. Alia dabunt Heyn. ad Apollod. p. 579. et, quem ibi laudat, Wesseling. Nil mirum igitur, tragicos etiam hoc argumento usos esse. In tragoediis deperditis Aeschyli fabula commemoratur Semele. vid. Heyn. ad Apollod. p. 561. Induxerat ium poeta Tragicus, sive Aeschylus ille fuerit, sive, quod censet Brunoeus T. VI. p. 172. Euripides, Bacchum in scena Herculis insignibus exultum. Hinc facile ad ludibrium haec detorqueri potuerunt ab Aristophane. Pertinet huc, ni fallor, Διόνυσος καὶ Ἡρακλῆς φιλαρούμενος ὑπὸ τῶν ποιητῶν in responso Cleanthis philosophi apud Hesych. Miles. in vit. illustr. p. 32.

**) Manifesto hoc patet comparanti fragmenta e Bellerophonte in scholiis doctissimis Comici nostri servata (vid. Fragmentt. Euripidis in edit. Lipsiensi T. II. p. 431.) cum initio Pacis. Hinc intelligitur meram hanc esse parodiam Euripidis. Bellerophon insidet Pegaso, Trygaeus scarabaeo. Bellerophon arcetur a commercio deorum, nec Trygaeo eos convenire licet, quippe qui paulo ante in ipsum coeli meditullium et altissimum fornicem se contulerint. Pegasus retinetur a Iove. Scarabaeus pariter. Hoc unum si tenueris, omnia a principio plana sunt et expedita.

***) Urit enim splendore suo, et praegravat, quod supra nos positum

quod in genere observatum est de totis fabularum argumentis, a poeta nostro callide in ludum iocumque conversis, singillatim etiam dici potest, si reliquis dramatibus scenas vel versus singulos intextos reperias, in quibus admissis, quod aiunt, habenis invehitur et illudit in deos. Quos quidem si diligentius expendas et examines, ubique fere risum captasse poetam et oblectationem spectatorum e ludicra Tragici vel Lyrici etiam imitatione, facile invenias. Et suggerebat haud dubie memoria spectatoribus statim ea loca, quae Comico ludenti in his ob oculos versata fuerant. Tenendum enim est id, quod supra monuimus, Athenienses incredibili in ludos scenicos amore incensos fuisse, tantoque studio poetis Tragicis, qui bis fere quotannis fabulas docerent *), operam dedisse, ut non versus tantum singulos, sed totas fere fabulas memoriter recitare possent cum in sermonibus apud domesticos, tum in peregrinas regio-

---

est. Quadrat hoc in Athenienses, qui parum faverent ob gloriam, qua oculos eorum praestringeret, Euripidi. Sic bene totam rem explicat Brumoeus T. VI. p. 299. cuius verba hic adiicienda esse duxi: „Comme les „tragédies d' Eschyle, de Sophocles, d' Euripide avoient beaucoup de „vogue, et qu'on les savoit par coeur, les parodies, qu'on en faisoit de„voient autant intéresser et plaire, que les feroient les grimaces d' un „bon Comédien, qui contrefereit finement une personne respectable. Telle „est la malignité humaine. Elle aime à rire de ce qu' elle estime le „plus. Elle se dédommage en quelque manière du tribut involontaire, „qu'elle paye au mérite." Recordemur autem, saepius veteres conquestos esse de livore, insito Atheniensium animis vitio. Sic Aelianus nobis depingit *Ἀθηναίους — φύσει φθονερούς ὄντας, καὶ τοῖς ἀρίστοις βασκαίνειν προαιρουμένους, οὐ μόνον τοῖς ἐν τῇ πολιτείᾳ καὶ ταῖς ἀρχαῖς, ἀλλ' ἔτι καὶ πλέον τοῖς εὐδοκιμοῦσιν ἢ ἐν λόγοις ἀγαθοῖς, ἢ ἐν βίου σεμνότητι.* V. H. II, 13. p. 74.

*) Lenaeis sc. sive *τοῖς κατ' ἀγροὺς Διονυσίοις*, et magnis Dionysiis sive *τοῖς κατ' ἄστυ*. Scio, tria plerumque sacra statui Bacchica, quibus quotannis fabulas docuerint tragoedi, et discerni Lenaea ab iis, quae *ἐν τῷ Πειραιεῖ* celebrarentur, quam sententiam nuperrime etiam amplexus est *Barthelemy* in libro saepius laudato Vol. VI. p. 69. seqq. Sed re diu multumque pensitata, nondum mihi persuadere potui, *τὴν ἐν Πειραιεῖ* pompam diversam fuisse a Dionysiis *τοῖς κατ' ἀγροῖς*, de quibus commode mihi explicari posse videntur loca Aeliani et Demosthenis ad stabiliendum discrimen illud laudari solita. Uberiorem hac de re disputationem hic locus non capit, quanquam hic post ea, quae Scaliger, Corsinus in Fastis Atticis, VV. DD. in Memoriis Academ. Inscriptt. Paris. T. XXXIX. aliique protulerunt, nondum omnia excussa esse puto. Adeat, si quis penitius haec cognoscere vult, quae monuerunt Triumviri Batavi, Hemsterhus. ad Lucian. T. I. p. 166. seqq. Valckenar. in Diatribe in Eurip. perd. dram. reliqu. p. 14. et in primis Ruhnkenius in Auctar. Emendat. ad Hesych. T. II.

nes delati apud exteros *). Cogitandum est, identidem 26
repetitas esse et in scenam reductas optimas Aeschyli, Sophoclis, Euripidis fabulas **), quo factum est, ut maiorem indies cum iis contraherent familiaritatem spectatores, et quae comicus poeta ridicula imitatione exprimeret, loca, statim in promtu haberent. Atque hinc optime intelligitur, quo pacto eiusmodi parodiae in deos e versibus Tragicorum ductae omnibus arridere, ingentes plausus concitare, et vernaculo quodam Atticae urbanitatis sapore condire possent lepidissimi poetae fabulas. Paucis exemplis hic quoque defungamur in re iam satis explanata. Notissimum est, poetam nostrum, ut invidiam faceret Socrati, in famosa illa fabula, qua acerbissime illum exagitavit, finxisse, 27
Socratem, spretis diis patriis, adorare Chaos, aërem, nubes. Chorus ipse conflatus est e Nubibus, quae cum ex more hymnos canant in deos, impia passim dicta effutiunt in deos; v. 568. invocantes inducuntur patrem suum Aethera, — *μεγαλώνυμον ἡμέτερον πατέρ' Αἰθέρα σεμνότατον.* Sentiebant Athenienses, qui haec audirent, cum Socrate irrideri hic etiam Euripidem, quippe qui vocabulum *σεμνὸν* fere ubique iungat in fabulis suis *τῷ αἰθέρι* ***) (v. c. in

*) Locus memoratu dignus in hanc rem est apud Plutarch. in Nicia p. 543. C. Frf. ubi sermo est de infelicissimo exitu expeditionis contra Syracusanos, quem in tironum gratiam excerpere non pigebit: *ἔνιοι* (sc. captorum Atheniensium) *καὶ δι' Εὐριπίδην ἐσώθησαν. μάλιστα γὰρ ὡς ἔοικε τῶν ἐντὸς Ἑλλήνων* (h. e. eorum, qui propiores maris mediterranei oras incolerent, sic *ἡ ἐντὸς θάλασσα*. v. Wesseling. ad Diod. IV, 18. T. I. p. 264, 7.) *ἐκόθησαν αὐτοῦ τὴν Μοῦσαν οἱ περὶ Σικελίαν.— τότε γοῦν φασι τῶν σωθέντων οἴκαδε συχνοὺς ἀσπάσασθαι τὸν Εὐριπίδην φιλοφρόνως καὶ διηγεῖσθαι τοὺς μὲν ὅτι δουλεύοντες ἀφείθησαν ἐκδιδάξαντες ὅσα τῶν ἐκείνου ποιημάτων ἐμέμνηντο, τοὺς δ' ὅτι πλανώμενοι μετὰ τὴν μάχην τροφῆς καὶ ὕδατος μετέλαβον τῶν μελῶν ἄσαντες.* Sed conferenda etiam sunt sequentia de nave Cauniorum ad litus Siciliae eiecta et de vectoribus Euripidis cantica recitantibus. Ceterum ex hac consuetudine Atheniensium carmina Tragicorum memoriae infigendi et ubique iactitandi sermonibus intelligitur etiam, cur Demosthenes aliique oratores, quorum adhuc leguntur actiones, in primis Lycurgus, tam saepe usi sint in causis forensibus perorandis versibus Tragicorum, quod concoquere non poterat Reiskius.

**) Non est quod multis exemplis hoc probemus. Res ipsa clamat, populo quae placuissent, iteratas esse fabulas. Tamen si quis auctoritates postulet, illustris locus extat apud Demosth. de falsa legatione p. 282. B. ed. Frf. Patet hoc etiam e narratione de Polo histrione apud Gell. VII, 5. cf. Barthelemy I. I. p. 78.

***) Hinc intelligitur etiam, quam acerbe Euripidem Socratis sectatorem et amicum ut *ἄθεον* perstrinxerit noster in Thesmophoriazusis, ubi

Helen. 872.) non nesciebant. Turpissima apud Atticos periuro inurebatur infamiae macula. Sed aperte periurio patrocinari videtur ipse Bacchus in fine Ranarum 1469—71. ubi Euripides Bacchi fidem obtestatur, quam iureiurando interposito sibi obstrinxisset:

Εὐρ. Μεμνημένος νῦν τῶν θεῶν, οὓς ὤμοσας,
ἢ μὴν ἀπάξειν μ' οἴκαδ', αἱροῦ. τοὺς φίλους.
Διον. Ἡ γλῶσσ' ὀμώμοκ', Αἰσχύλον δ' αἱρήσομαι.

Non tulissent profecto Athenienses sententiis eiusmodi ab ipso deo in fabulis prolatis infringi et debilitari fidem publicam, nisi probe tenuissent, parodiam hanc esse poetae, qua explodendum et exsibilandum proponeret infamem illum Euripidis versum, ob quem male audiisse Tragicum et in impietatis suspicionem vocatum esse ab ipsis Areopagitis veteres constanter affirmant, in Hippolyt. Cor. 612. quem saepius perstrinxisse nostrum patebit conferenti Ran. 102. Thesmoph. 272. (cf. Spanhem. ad priorem locum).
28 Mirum, potuisse Aristophanem salva Herculis reverentia, quam maximam fuisse Athenis vel inde colligere possumus, quod Marathonii primi omnium cultu divino illum prosequuti esse dicuntur (Paus. I, 15. p. 37. et c. 22. p. 79. Kuhn.) illudere gulae eius *), nec offensam esse plebem Atticam indomita hac linguae petulantis libidine. Sed praeiverant hic quoque, ni fallor, poetarum *κωμικοτάτῳ* Tragici et Lyrici **), quorum vestigia ita sibi premenda

---

Euripides hoc iureiurando se obstfingit Mnesilocho v. 272. *ὄμνυμι τοίνυν Αἰθέρ', οἴκησιν Διός.* Saepius occurrit *Διὸς αἰθὴρ* in fragmentis Euripidis, veluti in Chrys. fr. VII. et in fragm. inc. CXXXVIII.

*) Conferenda sunt omnino loca suavissima in Ranis 549—78. ubi mulierculae, ciborum apud inferos venditrices, mira narrant de Herculis ingluvie facinora, et in Avibus 1578—1640. ubi fingitur deus *βουφάγος* opimo culinae nidore illectus causam patris sui Iovis, a quo orator missus erat ad pacis conditiones ferendas, turpiter prodere. Hinc ortum est proverbium *Ἡρακλῆς ξενίζεται.* Adde Vespas 60. ubi Herculis edacitas inter solemnia argumenta refertur, quibus ad risum captandum usi sint poetae comici. cf. Beckium ad Aves p. 174.

**) Manifesto enim ad morem *μελοποιῶν* aetatis suae respicit Pindarus Olymp. I, 82. *ἐμοὶ δ' ἄπορα Γαστρίμαργον μακάρων τιν' εἰπεῖν*, quibus verbis poetas lyricos vel dithyrambicos vellicari, qui Herculis edacitatem praeconiis celebraverant, liquido patet. Ipsum tamen Pindarum ab hoc argumento tractando alias non abhorruisse, e fragmento eius apparet apud Athen. X, 1. p. 411. C. *σαρκῶν ἑνοπὰν ἠδ' ὀστέων στεναγμὸν βαρὺν ἦν ἰδόντα διακρῖναι*, quod miror a Cl. Schneidero in *Car-*

esse duceret, ut quae illi forsitan non inepte et personae Herculis satis convenienter intulissent scenae vel carminibus, amplificaret et ad cachinnos spectatorum deflecteret. Et legitur adhuc in Euripide locus, quem his iocis de Hercule usum nostro praebuisse, probabili coniectura ducti affirmare possumus. Extat in nobilissima fabula, Alcest. 747—60, ubi cum magna admiratione narrat minister Admeti, quam largiter cibo sese invitaverit, et vino ingurgitaverit hospes Admeti, Herculus (cf. Brumoeum in Theatr. Gr. T. III. p. 140. VI, p. 184.). Sed sufficiant haec exempla, quae nullo negotio in innumerum augeri posse, neminem, qui poetam nostrum attigit, praeterire potest. Quis nescit convitia et criminationes eorum, qui adversa fortuna iactati, exulcerato doloribus animo deos malorum auctores lacessunt et opprobriis onerant in Aeschyli, Sophoclis, Euripidis tragoediis? Quis nescit, plura ibi quoque deorum ministerio fieri (vide quae de Mercurii et Vulcani partibus in Aeschyli Prom. V. disputat Schutzius V. Cl. in Excurs. V. p. 197.) quae, si ad saniorem rationem exigas, in deum cadere non posse facile intelligas. Arripuerunt haec Comici, novoque ac ridiculo more exaggerata populo his cupide inhianti deridenda propinaverunt. Atque hoc est, quod demonstrare fuit in animo, primam causam ludibriorum, quibus deos in scena cooperuerint comici, inveniri in *παραβάσι* Tragicorum *).

29

IV.

Restat altera causa, qua intelligitur, potuisse Aristophanem impune et cum voluptate quadam spectatorum carpere deos in scena et turpissima quaeque iis affingere. Diximus *hanc contineri in vulgaribus, quae tum obtinerent, de diis eorumque conditione et potestate opinio-*

---

nem *Pindaricorum fragmentis* (Arg. 1776. 4.) omissum esse. Ceterum Aristophanem nostrum saepe lyricis etiam et *διθυραμβοδιδασκάλοις* illusisse, satis constat. De Ione Chio locus est luculentus in Pace 830. seq. sed Pindari etiam imitatorem nostrum fuisse, discitur e doctissimis scholiis eius ad Equit. 623. Nub. 223. Acharnens. 637. et passim alibi.

*) Idem significare voluit Celeb. Beckius in Prolegg. ad Aristophanis Aves n. 10. ubi disputans de licentia poetae, qua etiam in deos grassatus est, observat illum *tetigisse tantum mythologiam Tragicorum.*

nibus. Scilicet in omni vita cavendum, quod sapientes monent, ne ex nostro ingenio metiamur alios. Hoc in pri-
30 mis valet in moribus et opinionibus hominum prisci et recentioris aevi diiudicandis et inter se comparandis. Potuerunt et possunt adhuc aliis multa placere, quae nobis maxime displicent, possunt exosculari et in deliciis habere, quae nos aversamur et despuimus *). Potuerunt igitur plebi Atticae, cui poetam nostrum velificatum a scurrilibus etiam et frigidiusculis iocis non temperasse sibi in confesso est, in fabulis eius pulchre inventa, scite prolata, bella et nitida videri, quae nos in tanto temporum intervallo, in tanta morum, religionis, disciplinae privatae et publicae diversitate, vilia, plebeia, imo e trivio et sterquilinio petita esse clamamus. Sed haec sexcenties iam monita et inculcata sunt ab iis, qui inde a Frischlini vindiciis **) infa-
31 mem illam Aristophanis *βωμολοχίαν* excusare et malignas de laudibus eius detrahentium cavillationes refellere studuerunt. Nos hoc tantum videamus, an spectatores, ad quos oblectandos variisque dicteriorum leporibus titillandos totum se componere debuit Comicus, pari modo liberrimis istis in deos iocis offensi sint, ac nos hodie haec le-

*) Bibliothecae indicem conficiat oportet, qui vel titulos tantum librorum, quibus hoc argumentum expositum, necdum exhaustum est, ordine percensere velit. Sed neminem contulisse poenitebit, quae subtilissimus Scepticorum in Pyrrh. Hypotyp. III, 24. p. 233. seqq. ed. Fabr. de diversis gentium institutis, praesertim circa religionem, disputavit. Inter ea, quae nostrates multifariam super hac re prodiderunt, nil elegantius me legere memini, quam fragmentum *Sturzii de pulchritudine.* Sturzens Schriften I. Samml. p. 222—32. ed. prior.

**) Omnibus, qui Aristophanem nostrum a Plutarchi recentiorumque cavillationibus vindicare conati sunt, palmam praeripuisse et quae ad causam suam defendendam pertinerent, optime intellexisse videtur Nicodemus Frischlinus, cuius vindiciae leguntur etiam in editione Aristophanis Kusteriana. Nimirum hic quoque verum esse deprehenditur, quod in proverbium abiit, *ὡς αἰεὶ τὸν ὅμοιον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὅμοιον.* Vix enim, si a Footio, Britannorum Aristophane, discedas, ullum unquam recentioribus temporibus vixisse reperias comoediarum scriptorem, in quem Aristophanis animam una cum salibus et facetiis magis commigrasse putes, quam Frischlinum, cuius comoediis et satyris vix quicquam facetius cogitari potest. Quis ignorat Priscianum eius vapulantem? Sed dignus est Frischlinus scriptis et vita miris infortuniis iactata, cuius fata et scripta iusto volumine explicentur. Hoc tantum addere iam liceat, celeberrimum Wielandum ob eandem fere rationem unum omnium optime suscepisse patrocinium Luciani sui in Prolegg. ad versionem vernaculam Opp. Lucian.

tes offendimur. Atque hic statim percipiemus illud, dem nobis fieri a similitudine verborum, quibus, cum ie eadem significare videantur, aliam tamen ac longe rsam notionem subiecisse veteres Graeciae et Latii po-, aliam nostrae aetatis homines subiicere putandi sunt. uerunt alii, sed subinde repetiit et peculiari disserta- e docuit Heynius *), nos cum dei nomen appellemus vel amus, de numine divino longe aliam animo informare ginem, quam veterum, cum eadem vocabula frequen- nt, obversata sit mentibus. Operae pretium igitur erit ire notionem, quam de diis suis concepit plebs Attica, nanc enim, ut repetamus id, in quo cardo totius dispu- nis versatur, referenda sunt omnia, quae de diis ludi- in scena obnoxiis hic disserimus, non ad pauciores il- qui ultra vulgum saperent, philosophos et cives pru- iores, rebus domi forisque gerendis idoneos. Puta- igitur credidisse, qui tum in cavea consedissent, ple- ue, Iovem, Mercurium, Neptunum, Minervam et sic o, esse longe maiori quidem potestate et augustiore 32 ie, quam mortalibus inesse solet, praeditos, sed in omnibus rebus hominum naturae simillimos, quippe fame et siti discruciari, debilitate membrorum et nae- nsignibus deturpari, libidinibus in formosos pueros et eres ferri, ira, odio aliisque cupiditatibus accendi, li- ob hominum res prosperas suffundi, iurgiis et convi- nutuis lacessi, versutia Promethei, Sisyphi aliorum- veteratorum decipi multisque aliis vitiis et erroribus in rversum agi, mille poetarum et sacrificulorum fabulis pissent, et mature, cum pueris iam Homeri, Hesiodi, mque poetarum, qui ab his pendent, carmina lecti- a et ediscenda traderentur, penitus imbibissent **). At-

*) Adi sis commentationem I. in Opusc. Academ. Vol. III. quae ti- praefert: *vita antiquissimorum hominum Graeciae ex ferorum et bar- um populorum comparatione illustrata*, inprimis p. 9. seqq. et in tro p. 31. seqq.

**) Celeberrimi sunt versus Xenophanis apud Sextum Emp. adv. Phys. p. 593. Fabr. *πάντα θεοῖς ἀνέθηκαν Ὅμηρος, Ἡσίοδός τε Ὅσσα ἀνθρώποισιν ὀνείδεα καὶ ψόγος ἐστὶ Κλέπτειν, μοιχεύειν τε καὶ ἀπατεύειν.* „Iam vero quae nos ad pueritiae institutionem in a," verba sunt Heynii in praeclara commentatione *de efficaci ad linam publicam privatamque vetustissimorum poetarum doctrina* in

33 que haec omnia, quae trita et in vulgus nota esse non ignoro, hic coacervanda esse visa sunt, ut uno obtutu, quam vim et potestatem Attica plebecula diis suis tribuerit, conspici posset et sub examen revocari. Nec omittendum est hoc loco, quod magis reconditum est et a vulgari opinione remotum, omnes hos deos, si ab heroibus et mythorum genere heroico discesseris, ortos esse e rudi antiquissimorum Graeciae incolarum religione, qui *primum* saxa, arbores, ligna aliasque id genus informes figuras, vel aërem etiam, astra et rerum naturalium mille species, ad
34 quas obstupescerent vel contremiscerent animo, adorarent, *deinde* eadem incantamentis, vaticiniis, furoribus entheis,

---

Opusc. Vol. I, p. 172. „ad ethicam e sacris profanisque litteris hauriri solitam referimus, ea petebantur a poetis, inprimis ab Homero et Hesiodo." Non nescio prudentiores in ludis Grammaticis praeceptores caute explicasse haec carmina pueris, et selectis tantum locis praestantissimis, iis proposuisse ποιητικὴν διδάσκουσαν ἤθη καὶ πάθη, καὶ πράξεις μεθ' ἡδονῆς, ut verbis utar Eratosthenis apud Strab. I. p. 29. A. Pulchre hoc ostendit in Lysidori, sui educatione personatus Anacharsis Barthelemii Vol. III. p. 19. Sed paucos tantum pueros ita institutos esse putaverim, et audiamus etiam, quae acute monuit *de Pauw* in *Recherch. Philosoph. s. l. Gr.* T. I. p. 250. s. „La première lecture de ces poèmes „(Homeri) a dû exciter dans l'esprit des enfans une sensation difficile „à définir: ils y voyoient ces Divinités qu'on leur ordonnoit d'adorer, „absolument avilies et tournées en ridicule: car Homère a rendu les Dieux „plus petits, plus foibles, plus vicieux, et même plus impolis, que les „hommes." Hoc certe apparet, his opinionibus a tenera aetate Athenienses fere omnes imbutos fuisse. Quorsum enim assiduae Platonis aliorumque philosophorum, qui illum asssectati sunt, querelae de corruptione iuventutis e lectione poetarum orta, quas diligentissime collegit et explicavit Beckius in *Examine causarum, cur studia liberalium artium inprimisque poeseos a philosophis veteribus nonnullis aut neglecta aut impugnata fuerint* (Lips. 1785.) p. 39—42. Quid mirum igitur, opiniones eiusmodi de diis e poetis, quorum ubique summa esset auctoritas, haustas, penitus insedisse animis plebis Atticae. Nec assentiri possum iis, qui opiniones illas et fabellas diis indignas refutatas esse autumant et extirpatas ex animis Atheniensium, cum in mysteriis initiarentur. Nondum enim etiam post nuperrimas virorum doctorum hac de re disputationes, praesertim Hessingii (qui puriorem aliquam et saniorem religionis notionem mystis traditam esse operose demonstrare conatus est in libro theotisce scripto *Memnonium oder Versuche zur Enthüllung der Geheimnisse des Alterthums*. II. Voll. Lips. 1787.) mihi persuadere potui, ut praeter symbolicas quasdam doctrinas de frugum et artium inventione et conditione defunctorum hominum apud inferos praeclara de veriore numinis, cultu placita ibi propagata esse credam. Potuerunt forsitan cum Epoptis communicari quaedam vulgari superstitioni refragantia, quod negare vix poterit, qui loca a Meinersio in Opusc. T. III. p. 291. seqq. laudata considerraverit. Sed arcebantur ab his maioribus mysteriis e plebe homines et mystae. Mysteria, quibus hi initiabantur, non delebant, sed angebant superstitionem. Vide totum caput de mysteriis pulchre tractantem de Pauw in libro laudato T. II. p. 216. seqq.

orgiis, aliisque id genus praestigiis celebrarent, et genios humana natura potentiores et efficaciores illis rebus inditos esse et affixos crederent, atque hos genios *denique ἀνθρωποφόρους* efficerent, omnibusque dotibus et facultatibus, quas sibimet ipsi inesse viderent, benigne instruerent *). Has deorum maiorum, quos Graecia coluit, esse puto origines. Heroum enim, Bacchi, Herculis, Castorum cet. *μυθολογήματα* aliam plane fabularum complectuntur seriem. Atque ex his religionis apud Graecos originibus derivanda sunt monstra illa opinionum, quae principum poetarum ingenio aucta et exornata penitus insederant cum reliquorum Graecorum, tum Atheniensium animis, posse deos istos includi et defigi in locum aliquem, v. c. in statuas, imagines, templa, arbores, posse etiam, si quid ab iis peccatum vel perperam administratum esset, poenis et ignominia adfici, verberibus castigari, lapidari **), quemadmodum nostra etiam tempestate a gentibus barbaris et humanitatis cultu destitutis rudes illas imagunculas vel qua- 35
lescunque rerum figuras, quas Lusitanico nomine *Fetissos* appellare obtinuit, si rem male gesserint, male mulcari et de sedibus suis deturbari, peregrinatores, qui oras

*) Scio hanc sententiam multum discrepare a vulgata deorum origines vel ab hominum prosapia (*ἀνθρωποφυίας* Herod. I, 130.) vel a physicis rationibus (Heraclides Pont. de Alleg. Hom.) repetentium opinione. Sed quo acrius huic rei, dignae sane, quae accurate diuque perpendatur, animum intendi, hoc magis mihi persuasi, hanc veram esse omnis *μυθολογίας* veteris indagandae viam et rationem. Multa ad hanc sententiam stabiliendam peti possunt ex Heynii, Viri Summi, disputationibus in Opusc. Acad. et Commentationibus Soc. Gotting. Sed consuluisse etiam super hac re neminem pigebit librum Francogallico sermone scriptum, qui Brossio (*des Brosses*) imputatur, in vernaculam iam linguam conversum hac inscriptione: *über den Dienst der Fetischengötter*. Berl. 1785. et quae interpres illius, Pistorius, docte et acute in Supplementis attexuit.

**) Vide insignem in hanc rem locum apud Theocrit. VII, 106. seq. (cf. Schol. et Wartonum) unde discimus, Panem scillis flagellatum esse ab Arcadibus, si parum e voto succederent, quae concupivissent. Huc pertinet e sequentibus temporibus Augusti factum, qui teste Suetonio c. 16. classe tempestate perdita, proximis Circensibus Neptuni simulacrum pompae detraxit, cf. Sueton. in Calig. c. 5. Respicit hoc Seneca I. de Clem. 25. „*diis ipsis manus intentantur.*" Comparanda sunt cum his, quae in recentiorum Itinerariis de feris et barbaris populis passim memoriae prodita leguntur, v. c. quae de Ostiacorum deastris pessime habitis refert Pallas (*Pallas Reisen durch verschiedene Provinzen des russischen Reichs*, in Auszuge T. III. p. 59.) Adde Brossii libellum de cultu Fetissonum, supra laudatum p. 74. et passim in sequentibus.

illas peragravere, uno ore omnes affirmant. Haec et sexcenta alia, ridicula illa et parum probabilia, si ad nostram de his philosophandi rationem exigantur, sed vera et ubique in veteribus obvia, ponenda nobis sunt ob oculos, si quid spectatores in cavea de diis ab Aristophane in scenam productis senserint, exputare velimus et comprehendere animo. Nam quam Brumoeus in opere saepius iam commemorato (T. VI. p. 300—305.) ad hanc difficultatem expediendam iniit rationem, eam calculo nostro comprobare non possumus. Distinguendam esse arbitratur religionem, quam vocat, poeticam, hoc est, narrationes de diis in carminibus poetarum occurrentes, et religionem, quae maiorum institutis et disciplina publica recepta fuerit in civitatibus. Risisse Aristophanem tantum poetarum commenta de diis et rebus divinis, quorum futilitatem et vanitatem populus quoque perspectam habuerit et exploratam, sed diligenter cavisse sibi a dicteriis et iocis in
36 deos, quos vere tales haberet et veneratione ac cultu prosequeretur populus *). Sed primum illusit Comicus iis etiam diis, quos urbis tutelares sanctissime colerent Attici, ut Iovi, Apollini, Minervae **). Deinde certo certius est, pleraque illa poetarum commenta arctissime apta et copulata fuisse cum persuasione, quam vulgus sibi induisset de diis et rebus divinis ***). Quae cum ita sint, facile appa-

*) Iuvat ipsa verba apponere p. 303. „On passoit aux poètes leurs „imaginations sur les dieux, comme des choses, qui n'intéressoient rien „le culte reçû. Sur ces principes il y avoit chez les payens deux sortes „de religion, une religion poétique, et une religion réelle: une religion „de Théâtre, et une religion de pratique." Sane discrimen intercessit maximum inter religionem, qualem philosophi sibi in animo instituerent, et superstitiones vulgares, seu cultum deorum a maioribus propagatum. Posteriorem vero optime congruisse et concordasse cum mythis vel fabulis poeticis, quibus tanquam fundamento superstructus esset, vix fugere poterat virum in omni antiquitate versatissimum.

**) Incubatio in templo Aesculapii profecto non fuit fictio poetica. Nihilo secius tamen Aesculapium, summa veneratione a plebe habitum, foedissimo convitio appellat *σκατοφάγον* noster in Pluto 706. Sed legat aliquis unam tantum Aristophanis fabulam, quae Avium nomine inscribitur, et, an poeticos tantum deos riserit Comicus, videat. Sic, ut uno tantum ex ea exemplo defungar, ridetur ipsa Pallas *πολιοῦχος*, sanctissima urbis praeses et dea tutelaris v. 825—30. Sic ibidem v. 727. Iupiter ludificatur *σεμνυνόμενος παρὰ ταῖς νεφέλαις*. Atqui legenda est tota fabula, in primis versus finem. cf. Beckium, V. Cl. in Prolegomenis n. 10.

***) Clamat hoc tota antiquitas, et putidum foret, in re nota con-

ret, multa hodie in Aristophanis fabulis in iis locis, ubi de 37
diis sermo est, nobis foeda, absurda, ridicula videri, quae plebi Atticae, eiusmodi de diis opinionibus innutritae, nullam movere potuerint nec admirationem nec indignationem. His igitur praemissis, age examinemus iam unum atque alterum locum in poeta nostro, ubi deos aperte deridet, et an absona et insulsa vel nefaria adeo videri potuerint spectatoribus, anquiramus. Atque hic circumspicienti mihi, quae potissimum eligam, adsunt enim innumera, commodum se mihi offert locus suavissimus in Nubibus 608 —26. Exponunt ibi auditoribus *Νεφέλαι* deae, quae Luna dea illis mandaverit ad Athenienses perferenda. Ringi illam et valde irasci populo Attico, quod fastos et temporum ordinem ita perturbassent, ut qui dies sint festi, 38
qui profesti, ipsa iuxta cum ignarissimis ignoret. Hinc stomachari etiam et graviter cum Luna expostulare deos reliquos, qui diem festum adesse rati, inhiassent nidori victimarum, sed, forum Athenis litibus fervere con-

---

gerere exempla. Conferat, si cui otium est et suaviter ridendi lubido, vel dialogos Lucianeos, cum parvos illos, in quibus deos coelestes, marinos et inferos confabulantes et lepide garrientes inducit, tum maiores ad perstringendam superstitionem, quae Luciani adhuc aetate penitus infixa esset et inveterata in plurimorum animis, scite compositos. Laudasse sufficiat sermonem de sacrificiis c. 1—9. T. I. p. 525. seqq. et Iovem Tragoedum in T. II. Diversa paulum ratio fuit religionis publicae apud Romanos, de qua diserte monet in nobilissimo loco Dionysius Halic. lib. II, 18. p. 272. seq. Reisk. (*Romulus*) *τοὺς παραδεδομένους περὶ αὐτῶν* (sc. *θεῶν*) *μύθους, ἐν οἷς βλασφημίαι τινές εἰσι κατ' αὐτῶν καὶ αἰτιογοῖαι, ἅπαντας ἐξέβαλε.* Sed adeundus est ipse locus et comparandus est cum Mucii Scaevolae pontificis iudicio, quod e Varrone nobis servavit Augustin. de Civit. Dei IV, 27. p. 465. ed. Viv. At nihilo secius superstitionibus oppleta etiam fuit multitudo apud Romanos, quod pulchre docuit, causis subtiliter indagatis, *Beckius ad Fergusonum.* Quod si vero quis dubitet, potuisse Atheniensium animos, tot artibus et literis limatos, frivolis de diis fabulis et superstitionibus praepediri, is cogitet pudenda Pontificiorum de divis et miraculis eorum mendacia, et meminerit, quantum homines in aliis rebus satis perspicaces et oculati in his, quae cum lacte materno quasi suxerint, coecutire soleant. Non possum mihi temperare, quin adscribam verba sagacissimi Wielandi in Prolegg. ad vers. Luciani T. II. p. 7. „Wie abgeschmackt es uns also auch vorkommen „mag, dass das griechische Volk jemals an die wundervolle Geburt des „Bacchus oder der Minerva, oder an irgend eines der kindischen Mähr„chen, über welche Lucian spottet, buchstäblich geglaubt haben sollte; „so können wir dies doch eben so wenig läugnen, als dass eine Zeit „war, wo beinahe die ganze Christenheit an das Mährchen vom grossen „Christoffel, und an hundert andere eben so glaubwürdige Geschichtchen „buchstäblich glaubte."

spicati, tristi domicoenio affecti essent. Conferenda sunt loca similia in Plut. 1115. Av. 1231. seqq. 1266. seqq. ubi deorum nidorem victimarum avide exspectantium graphice depinxit imagines. Quae quidem loca, ubi misellos deos opima victimarum spe deiectos, indignantes et stomachabundos conspicimus, tantum abhorrent a notionibus, quas animis nostris de divino numine informavimus, ut non solum impia, sed frigida etiam et longius arcessita nobis videantur. At longe secus se habuit in Atheniensium populo. Vere illi celebrabant Deorum *πανδαισίας*, quas Romanorum ritu lectisternia appellare liceat, norant coenas et comissationes Iovis *μετ' ἀμύμονας Αἰθιοπῆας*, revocabant sibi in memoriam Homericum illud: *νίσσῃ δ' οὐρανὸν ἶκεν ἐλισσομένῃ περὶ καπνῷ* *). Optime igitur haec congruebant cum notionibus de diis, quibus a teneris adsuevissent,
39 nec indignari poterant, quod audirent, deos parasitorum instar spe culinae frustratos subirasci quidem, sed mussitare tamen iniuriam a plebecula Attica illatam. Videamus aliud exemplum. Deo prorsus indigna perpetrat et patitur Bacchus in fabula omnium, si quid sentio, suavissima Ranarum. Toto corpore cohorrescit et pavitat miser ad Empusae spectrum v. 285. seqq. Idem verberibus male mulcatur una cum petlissequo suo Xanthia, nec hiscere audet, sed Spartana nobilitate plagas ab Aeaco sibi inflictas concoquit v. 631. seqq. Sed poterant ridere et sine indignatione videre Athenienses deum formidine expallescentem et vapulantem. Probe enim meminerant eorum, quae dudum in Homero suo legerant. Noverant inde Bacchum, Lycurgi minis exterritum, delituisse in gremio Thetidos, Iliad.

*) Ridiculam illam et anilem fabellam de diis nidorem victimarum avide captantibus, quam a sacrificulis propagatam mordicus retinuisse videtur vulgus hominum, multo sale ubique defricuit alter Aristophanes, Lucianus. Lepidissime ridet in libello de Sacrific. c. 9. T. I. p. 533. *οἱ δὲ θεοὶ παρὰ Ζηνὶ καθήμενοι ἀποσκοποῦσιν ἐς τὴν γῆν, καὶ πάντη περιβλέπουσιν ἐπικύπτοντες εἰκοθεν ὅφονται πῦρ ἀναπτόμενον, ἢ ἀναφερομένην νίσσαν, ἐλισσομένην περὶ καπνῷ· κἂν μὲν θύῃ τις, εὐαχοῦνται πάντες, ἐπικεχηνότες τῷ καπνῷ, καὶ τὸ αἷμα πίνοντες τοῖς βωμοῖς προσχεόμενον, ὥσπερ αἱ μνῖαι.* Gesnerus ibi laudavit locum Arnobii adv. gent. p. 212. qui sane est classicus. Sed conferat etiam, si quis delectatur facetissimi irrisoris urbanitate, Lucianum nostrum in Tim. c. 9. T. I. p. 116. in Iove Tragoedo c. 22. T. II. p. 667. in Prom. c. 19. T. I. p. 202.

Z. 135—37. *Κρατερὸς γὰρ ἔχε τρόμος ἀνδρὸς ὁμοκλῇ.* Succurrebat forsan ex eodem poeta Iliad. *Φ.* 490—93. Diana arcu a Iunone circa aures verberata in famosa illa *θεομαχίᾳ*, subibant alia complura in pompis, statuis, imaginibus repraesentata. Unum addam exemplum ex ea fabula, quae Pacis nomen praefert. Trygaeus ibi, cum scarabaeo vectus evolasset in coelum, sciscitatur a Mercurio, quem solum offendit in atrio Iovis, causas profectionis deûm. Respondet deorum officiosissimus, commigrasse deos in coeli fornicem altissimum, ubi proelia cernere et voces supplicantium exaudire non possent, v. 207—9. Minime haec concordant cum purioribus, quas Socrates iam de deo usquequaque nobis circumfuso aliique Aristophanis aequales sibi informaverant, notionibus. Sed cogitemus Aristophani rem fuisse praecipue cum viliori plebecula, quam his iocis minime offensam esse, credibile est. Sic fingebat sibi deos suos. Quorsum enim illae *ἐπιφάνεια* deorum dearumque praesentium, quorsum festi dies *Ἐπιδήμια* et *Ἀποδήμια* dicti, quorsum hymni et *προσόδια* in adventum deorum decantata, quorsum ridicula illa consuetudo, templa et statuas deorum funibus constringendi, (v. Herodot. I, 27. et Freinshem. ad Curt. IV, 3. 22.) quorsum persuasio, deos ex urbibus, captis emigrare (v. Aeschyl. S. c. Theb. 219. et Schutz. ad illum l. Heyn. ad Virgil. II. Aen. 351. et qui *de evocationibus deorum* scripserunt, Schwarzium, Leisnerum, alios), quorsum, inquam, haec omnia, nisi opinio illa, deos certis limitibus circumscriptos in uno tantum loco commorari, nec, quae alibi terrarum gerantur, percipere posse, omnium tum penitus pervasisset animos? Hoc certe cum ex iis exemplis, quae pauca admodum ex immensa copia hic proferre licuit, tum ex antecedentibus liquido apparere arbitror, loca, in quibus impie in deos lusisse dicitur Comicus, plurima hac explicandi ratione mitigari et invidiam poetae hoc nomine conflatam multum levari posse, et in universum vera esse, quae posuimus ab initio, alteram, eamque maxime idoneam causam dicteriorum comicorum in deos cerni in inveteratis de deorum vi et natura apud homines illius aetatis opinionibus.

V.

Restant alia quaedam, argumento, in quo versata est hactenus disputatio nostra, valde affinia. Sed cum uberiorem eorum disquisitionem libelli huius angustiae non capiant, carptim tantum ea perstringere, in animo est. Primum quaeri potest, quo pacto effugere potuerit Aristophanes iras et calumnias sacerdotum, quibus vel maxime bilem commovere debuit Comicorum dicacitas. Actum erat de illis, si iocis illis et salibus deorum obsolesceret auctoritas. Sed ponamus securos fuisse de deorum suorum dignitate, qui ferre poterant dicteria in ipsos coniecta, quibus auriculas eorum passim radere consuevit poeta noster. Et deos quidem, si flocci penderentur, populoque deberent ludibrium, nullam a contemtore suo repetiisse vindictam, nil mirum, quippe qui nulli essent. Sed sacerdotes, quo nullum in terris vivit genus hominum irritabilius, tot opprobria et contumelias aequo tulisse animo, nec coelum, quod aiunt, terris miscuisse, quod tantum scelus non in solas deportaretur terras, haec vero est prodigiosa patientia et vere, quod Satyricus ait, Thuscis digna libellis. Multa tamen ad hanc rem explicandam observari possunt e moribus et institutis Atheniensium, quibus patet, errare, qui haec e genio posteriorum seculorum diiudicanda esse censeant. Duplex fuit eorum, qui sacra administrarent et curarent, ut omnes rite peragerentur cerimoniae, sacerdotum ordo. Unus, quem in summa veneratione fuisse vero consentaneum est, Cereris sacerdotum, Hierophantarum, Eumolpidarum, virginum sacrarum. Ab his diligenter dentem abstinuit poeta noster. Probe tenebat, quam periculosum esset, illos arrodere, qui diris devovere possent. Sed fuerunt alii etiam inferioris ordinis sacerdotes, ἱερεῖς, quos eodem loco et numero habitos esse putarim Athenis, quo aruspices, sacrificuli et id genus homines apud Romanos. His adscribendi sunt haud dubie aeditui, extispices, harioli, somniorum coniectores, oraculorum institores (μάντεις καὶ χρησμολόγοι) aliique huius farinae nebulones plurimi *). Hos ubique acriter insectatur, horum fraudes

*) Vide sis, praeter Potterum in Arch. II, 3. loca, quae diligenter

et praestigias aperit Aristophanes. Aedituus (*πρόπολος*, *νεωκόρος*) est in templo Aesculapii, quem notat noster in Pluto 668—85. loco sane suavissimo, unde nocturnas fraudes hominum istorum in templis liba suffurantium optime perspicere potest. *Χρησμολόγους*, quorum tunc largissimus Athenis fuisse videtur proventus, lepide deridet in Avibus 960. seqq. in Pace 1045. et alibi. His impune illudere potuisse poetam, nemo non intelligit. Odio enim et taedio fuisse civibus, quibus praestigiae eorum et offuciae dudum suboluissent, non est, quod dubitemus. Deinde considerandа est summa, quae in libera civitate tunc obtinuit, omnis ordinis civium aequalitas. Iam cum reliqui cives non indignarentur poetae, famosis versibus, quoscunque arripuisset, passim proscindenti: non poterat sane iure suo postulare sacerdotum ordo, ut sibi uni parceretur. Adde, quod a principio huius libelli monitum est, Aristophanem, poetam scenicum, *ἀσεβείας* omnino non potuisse accusari*).

Discedentibus nobis ab hac disputatione manum iniicit 43
et retrahit alia quaestio. Sed ad hanc quoque digitum tantum intendisse sufficiat. Nimirum si quis hodie uno tenore perlegat comoedias, quotquot exstant, Aristophanis, omnesque sales et facetias, quibus deos patrios adspersit, diligenter animadvertat; non poterit non in eam incidere sententiam, multum contulisse has fabulas ad eradicandas evellendasque ex animis ridiculas de diis opiniones et superstitiones **). Non alienum igitur foret ab hoc, quod explica-

---

collegit Saubertus in libello utilissimo *de sacrificiis* c. 6. Alia, sed adscititiis ornamentis plus iusto interpolata invenies in commentatione Academiae Parisiensis: *Eclaircissemens généraux sur les familles sacerdotales de la Grèce*, Hist. de l'Acad. d. Inscript. T. XXIII. p. 51. seqq. Adde *Barthelemy* in *Voyage du jeune Anach.* c. XXI. T. II. p. 397—400.

*) Patet etiam ex historia Alcibiadis nunquam detulisse sacerdotes nomen impiorum ad populum, sed e plebiscito tantum devovisse damnatos. vid. Plut. in Alcib. p. 200. C. 202. E. Hinc Lampon etiam *μάντις*, cuius arietinum monstrum arguta argumentatione confecerat Anaxagoras, impietatis philosophum arcessere non ausus est, sed tum demum plebem in eum concitavit, cum infesto in Periclem animo amicos eius persequeretur. vid. Plut. in Pericl. p. 155. A.

**) Attigit hoc Beckius in Prolegg. ad Aves n. 10. cuius verba hic adiicere visum fuit: „Debebat plebs etiam per Comicum, suo modo, h. e. „irridendo, avocari ab illis fabulis ad veriorem de numine sententiam. „Nam profecto religionis scientia cum reliqua rationis cultura aequis pas„sibus procedere debet." Atque a parodiis etiam, quibus omnes Aristo-

vimus, argumento, in vim, quam habuerint eiusmodi dicteria in spectatorum animis religionum metu exsolvendis et ad saniorem numinis cultum revocandis, accuratius inquirere. Nec dubito, fuisse haud paucos acrioris in primis ingenii et emunctioris naris homines, qui facetiis et salibus poetae ideo delectarentur, quod ipsis vulgaris religio propter absurdas et insulsas fabellas deridiculo esset et contemtui, fuisse etiam, in quorum animis aculeum ista dicteria relinquerent et semina spargerent doctrinae solidioris de diis et rebus divinis e philosophorum scholis, quae mox ubique aperirentur, hauriendae. Nolim tamen nimium tribui huic argumento. Effusos plebis Atticae cachinnos
44 aliasque favoris significationes venabatur poeta. Hos tum quoque, cum deos in scena traduceret, consectabatur. De reliquo, an infixa haec haererent auditorum animis et frivolarum superstitionum contemtum ingenerarent, parum fuit sollicitus. Sed ponamus, fuisse hoc consilium poetae, ut quam absurda sint et nugatoria, quae vulgo traderentur de diis, ridendo demonstraret. Vix quicquam illum in rudis plebeculae erroribus profligandis profecisse putarim. Dici non potest, quantum ineptiarum in religionis cultu ferre et concoquere possint inferioris ordinis homines, opifices (*τὸ βαναυσικὸν πλῆθος*), qui ultra crepidam vix quicquam sapiunt. Argumento esse possunt egregii illi mimi, seu ludi scenici, quos nostra adhuc aetate a Loiolitarum alumnis in urbibus Germaniae primariis agitatos esse, accepimus. Exceptos illos esse ingenti plausu omnis ordinis et loci spectatorum, neminem fugit, qui sagacissimum harum nugarum indagatorem et castigatorem, Nicolaum consuluit (*Beschreibung einer Reise durch Deutschland.* Vol. IV. p. 364. et in Epimetris p. 28. Vol. VIII. p. 154. seqq.). Quorum si quis nostratium hominum vel fragmenta tantum inspexerit, bibliothecae, quae dicitur, Germanicae passim inserta, aegrorum somnia et deliramenta esse iura-

phanis fabulas esse refertissimas supra docuimus, hanc utilitatem redundare, ut exitiabiles in religione errores paulatim aboleantur, statuit Sulzerus, censor alioquin castigatorque huius carminum generis acerrimus, in Theoria Artium s. v. Parodie T. III. p. 534. „Sie sind wenigstens zur Hemmung des gelehrten, politischen und *gottesdienstlichen Fanatismus* ein gutes Mittel."

bit, nec temperare sibi potuerit, quin identidem exclamet: λῆροι, λῆροι, δότε μοι λεκάνην. Deinde illud considerandum est, multum interesse inter risum et persuasionem. Ridere potest populus absurda, quae insunt fabellis de diis et rebus sacris, dum poeta iocos suos ad captum spectatorum attemperare et verba ad extremam caveam spectantia admiscere non gravetur. Idem tamen populus, si res a ioco in serium vertatur, nulla ratione commoveri poterit, ut pravas illas opiniones vere erubescendas esse putet et 45
abiiciendas. Scilicet assuevit illis a tenera aetate et hic quoque valet effatum illud poetae:

> Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
> Testa diu — — — —

Sic, ut illustremus rem exemplo e recentissima hominum memoria ducto, carmen Blumaueri, Vindobonensis poetae, quo Aeneida ridicula imitatione expressit, teritur manibus civium suorum, arridet mulierculis, in sinu et oculis fertur ab omnibus celeberrimae illius urbis incolis. Si quaeras, quibus illecebris capti omnes tantopere diligant et extollant carmen istud, dicent, exosculari se et in deliciis habere ingenium poetae, Pontificis et purpuratorum eius rapinas, monachorum ineptias, sacrificulorum in emungendis argento hominibus technas, lepore summo suaviter irridentis. Quae quidem si fando acceperis, omnino putes praeclare actum esse cum hominibus istis, quos turpissimis errorum et superstitionum vinculis exsolverit poeta ridens. Sed, eheu, quanta spe decides, si Nicolaum, Schloezerum aliosque, qui nuperrime istas terras perlustraverunt omnesque perscrutati sunt latebras, multa narrantes audias de spissis tenebris et caligine, hominum istorum mentibus adhuc offusa, de clandestinis fanaticorum consiliis, qua extinguere conantur veritatis igniculos, de insigni plebis et, qui plebi accensendi sunt, nobilium stupore in cerimoniis, quas abrogari iussit Iosephus Imperator, mordicus retinendis, de inepta multitudinis, si sermo inciderit de divorum miraculis et daemonum vi, credulitate? Hic vero intelliges, toto, quod aiunt, coelo differre inter se risum et persuasionem hominum de rebus sacris. Atque hoc Atheniensibus etiam Aristophanis aetate usu venisse arbitror. Nun-

quam destiterunt cultu religioso prosequi deos, quos saepe-
numero, praeeunte poeta Comico, suaviter irriserant *).
Cadunt haec quoque, ut alia sexcenta, in animum huma-
num **), et quae minime congruere adversisque frontibus
inter se pugnare videntur, bene conveniunt et in una
eademque sede morantur.

---

*) Hanc quoque vulgi Atheniensis consuetudinem attigit sagacissimus Barthélemy in libro nunquam satis laudando: *Voyage du jeune An.* c. LXXI. T. VI. p. 175. „La multitude s'égayoit aux dépens de Cléon (in Equi-„tibus exagitati) comme elle s'égayoit dans d'autres pièces du même „auteur aux dépens d'Hercule et de Bacchus. Mais en sortant du théâtre „elle couroit se prosterner devant Bacchus, Hercule et Cléon."

**) Quantum intersit inter satirarum ludibria, quibus superstitiones perstringuntur, et expulsionem earum ex animis hominum, evidenter, si hoc ageremus, demonstrare possemus ex historia seculorum, quae religionis Christianae instaurationem a Luthero reliquisque heroibus factam proxime antecesserunt. Omnes, quibus vena benignior esset ingenii, calamos tunc strinxerunt in perditissimos mores Pontificum Romanorum et clericorum luxu deliciisque diffluentium vesaniam. Hinc larga ubique succrevit seges satirarum, sermonum, mimorum etiam et fabularum scenicarum, quae si quis singula cognoscere cupiat, evolvat librum bonae frugis plenissimum, Floegelii historiam literaturae comicae, in primis Volumine III. Sed bene monuerunt, qui temporum istorum monumenta diu multumque versarunt, parum profectum esse hisce satiris et ingenii lusibus ad emendationem religionis et morum, nisi accessissent causae graviores, lumen literarum humaniorum, principum aviditas, discordiae intestinae, aliaque, quae hic commemorare nihil attinet. Unum locum laudasse sufficiat ex Hegewischii V. cl. libello lectu suavissimo: *Allgemeine Uebersicht der deutschen Culturgeschichte bis zu Maximilian, dem I.* (Hamb. 1788.) p. 223. Exposuerat de fabula satirica Ioan. Reuchlini, quibus superstitiosam aetatis suae credulitatem lepide lusit parens ille Graecarum Ebraicarumque in Germania literarum: „So kühn spottete man „damals schon in Deutschland in gewissen Zirkeln über Reliquienkram und „andern Aberglauben. Ein Volk, wo man über solche sonst für heilig „gehaltene Gegenstände zu spotten anfängt, scheint zur Aufklärung reif „zu seyn. Eine gewisse Klasse von Köpfen wird sagen, das sey schon „Aufklärung, wenn solche Spöttereien öffentlich erlaubt werden. Dieser „Meinung bin ich nicht; es ist wahr, aufgeklärte Völker erlauben öffent-„liche Spöttereien, aber o wie leicht würde Aufklärung zu erlangen seyn, „wenn es nur darauf ankäme, brav zu spotten." Adde, si tanti est, iudicium Viri, quem regnare dicunt in his litteris, Spittleri in libello vere aureolo: *Grundriss der Geschichte der Christlichen Kirche* p. 332. ed. sec. cf. Robertsonium in *History of the Reign of the Emperor Charles V.* T. II. p. 151. seqq. edit. Basil.

VI.

DE SCHOLIS PUBLICIS

GENIO SECULI RITE ACCOMMODANDIS *).

Mutantur tempora, mutantur annis labentibus, diu- 3
turnitate temporis, res, instituta, mores hominum. Quae in deliciis fuerunt patribus, quae concelebrata quotidianisque sermonibus usurpata maioribus nostris, posterorum, id est, nostra aetate, penitus iam eviluerunt, sordent, situ et oblivione sepulta iacent. Porro autem quae nostra aetas mirum in modum colit, laudat, in sinu fovet et amplexatur, ea procul dubio vilipendentur a filiis, squalore obsita et exoleta abiicientur a nepotibus nostris. Sic fert rerum quotidie intereuntium et exorientium vicissitudo, sic annorum series et volubilis ordo.

> Multa renascentur, quae iam cecidere; cadentque,
> Quae nunc sunt in honore.

Habent literarum quoque studia et variae doctrinarum professiones orbem suum, quo circumacto, quae impensissimo studio excolebantur et addiscebantur fervore summo, paulatim refrigescere videas, et a paucis tantum temporis acti laudatoribus vel evanescentis vetustatis amatoribus, desiderari. Atque in hoc ipso, ni fallimur, cernitur seculi, quem vocant, genius, quem in hominum alia cupide consectantium, alia superbe fastidientium mira quadam consensione et conspiratione positum esse, sunt, qui dicant. Iam vero facile intelligitur, non solum diligenter animum advertendum, sed dandum etiam esse aliquid huic seculi, in quo vivimus, genio, et obsecundandum in loco, quantum eius, salvo virtutis et honesti studio, a nobis fieri possit. Fecerunt hoc omni aetate et memoria viri sapientis-

*) Scripta est haec dissertatio a Böttigero nomine Consulis et Senatus Civitatis Budissensis (d. III. m. Iunii MDCCXC.), qua munus rectoratus sibi demandati rite auspicandum indicaret. Quicunque vel leviter hunc libellum inspexerit, Böttigeri ingenium et stilum agnoscat necesse est, neque peroratione, quae aliter scribi non potuit, hanc sibi persuasionem eripi patietur. *Editor.*

simi, qui, quo magis hominibus aevi sui prodesse cuperent consilio et exemplo, eo accuratius sese composuerunt ad eorum, quibuscum res illis esset, mores, sermonem, vitae rationem et consuetudinem. Fecerunt idem prudentissimi legum latores, qui tum demum civitatibus suis bene consuluisse visi sunt, cum leges hominum, quibus sancirentur, ingenio, moribus, studiis, quam maxime aptassent et accommodassent. Fecerunt hoc ii quoque, qui vel antiquis, vel nostris temporibus in educandis instituendisque liberis civium suorum vel ipsi operam posuerunt suam, vel aliis, ut publicis privatisque scholis puerorum animos ad virtutem humanitatemque conformarent, auctores fuerunt. Id quod optime declarari potest ex historiae monumentis, cum veteris, tum recentioris, e quibus patet dilucide, prudentissimum quemque in Scholis publicis bene constituendis semper huc spectasse, ut universa earum conditio pulchre congrueret cum genio seculi et e doctrinis, quibus puerilis aetas in Scholis impertiri solet, semper eligerentur utilissimae futurisque civibus fructuosissimae, ut denique nil praetermitteretur, quod olim in hisce hominum studiis et moribus neglexisse pigeret. Sic, ut pauca tantum ex ingenti, quam facile unicuique historia suppeditabit, copia delibemus, Romani olim sub Caesaribus, cum
4 oppressa libertate Rhetorum studia tantum iuventuti suae relicta esse cernerent, Rhetoribus, quorum Scholas, libera republica, ut impudentiae ludum cludere iusserant Censores *), amplissima constituerunt salaria et ludos, in quibus controversiis disceptandis et declamationibus operam darent iuniores, in ipso Capitolio aperuerunt publicos **). Pari modo Carolus ille Francorum rex et imperii Romani instaurator, cum barbarie obsita et offuscata videret omnia, in monasteriis et primariis episcoporum sedibus Scholas instituisse perhibetur publicas, hac lege et conditione, ut cantus Gregoriani artisque grammaticae et computatoriae ibi traderentur elementa. Non ignorabat rex seculi sui sapientissimus, maiora uberioraque in Scholis do-

*) Verba sunt ipsius Ciceronis de Orat. III. 24.

**) Primus salaria constituit Vespasianus. Sueton. in Vespas. cap. 19.

ceri posse, sed noluit doceri, quae in captum aetatis illius non caderent, quippe qui unus omnium optime calleret genium seculi sui. Sic instauratores bonarum literarum in Saxonia illa aetate, qua purior Evangelii lux his terris affulsit, Lutherus, Melanchthon, Camerarius, lumen illud Budissae nostrae Peucerus, aliique, quorum memoria, dum literis honos suus stabit, nunquam excidet, valde laborarunt, ut ubique ludi instaurarentur vel aperirentur literarii, in quibus literarum sacrarum purior notitia et quicquid ad refutandos religionis emendatae adversarios facere videretur, mature traderetur iuvenibus. Huc tum humaniorum literarum praecepta, omniaque omnino, quae in Scholis illis nuper instauratis monstrarentur, referenda, ad hanc Theologiae normam omnia exigenda esse censuerunt Viri illi, genium seculi sui probe intelligentes et de formandis bonis et pugnacibus Theologis, quibus cum maxime opus esset Protestantium coetui, unice solliciti. Mutatis deinceps temporibus et aliquot seculis interiectis, Princeps Serenissimus et Proceres Saxoniae nostra aetate novas leges condendas esse viderunt rei scholasticae, id quod etiam factum est in Lusatia nostra, in qua anno seculi nostri septuagesimo lex publica promulgata, ludi magistris paganis et oppidanis scripta, ubi scite praemonstratur, qua ratione et via tenuiorum civium liberi et pubes rustica erudienda sit. Sed et domestica intra moenia urbis nostrae nata exempla non plane desunt. Constat enim, aliquoties Senatum huius urbis mutatis temporibus et seculi moribus, novas leges, novam institutionis et disciplinae Scholasticae formulam constituisse, et, prout res et ingenium hominum ferebant, scripsisse apte et accommodate ad seculi genium.

Cavendum autem est primo, ne qua in Scholis tradantur et magna cum molestia docentium discentiumque inculcentur iuvenibus, quae, quanquam maiorum aetate maximo in pretio et honore fuerunt fructusque tulerunt non contemnendos, hodie tamen, cum vita hominum multum desciverit a pristina illa consuetudine, parum utilia reperiantur, et ab usu vitae alieniora. Vetus est cantilena et ad taedium usque decantata: *Vitae, non Scholae discimus.* Verum enimvero surdis auribus cantantur ista, si

antiquitatis nimium tenaces omnia ad illam tantum, tanquam ad amussim, exigamus, et quamquam hic dies aliam disciplinam, alium doctrinarum ambitum postulat, vel latum digitum etiam in minimis ab illa vetere regula discedere, religioni ducamus. Tum vero accidere solet id, de quo nostra aetate multos stomachantes audias et cum iusta indignatione quadam conquerentes, ut boni iuvenes, corroborata iam aetate, quae in Scholis didicerunt, ad usum vitae expediturl, plane se plumbeos esse intelligant et rudes earum artium, quas a teneris imbibisse satius erat. Quid mirum igitur homines istos adultiores iam factos, quod tempus ieiuna ista disciplina et a genio seculi maxime discrepante in Scholis perdidisse et carbones, quod aiunt, pro thesauris ibi sese collegisse, sero intelligunt, pessime secum in iuventute actum esse clamitare scholisque et magistris, quorum disciplinae olim traditi fuerunt, invidiam hisce querelis conflare maximam? Quod si igitur verum est id, quod in dubium vocare nemo ausit, vitae non Scholae discendum, apparet, scholarum disciplinam et institutionem diligenter attemperandam esse vitae hominum et magnopere cavendum, ne scholarum alumni cum ex umbraculis scholasticis, tanquam e nidulo, in ampliores vitae campos evolaverint, stupore quasi defixi haereant, et in alium plane orbem sese delatos esse putent.

Deinde optandum est, ut parentes quam plurimi liberos suos Scholis publicis et magistris publica auctoritate constitutis tradant. Parentes vero eo lubentius liberos suos in Scholas publicas bonis artibus fingendos erudiendosque daturos esse, verisimile est, quo magis persuasum illis erit, ea ibi doceri tenerisque liberorum mentibus mature instillari, quae adultiores facti ad vitam usumque communem transferre possint. Nequaquam autem quae ad propositum vitae cursum fructuosa utiliaque esse existimantur, doceri poterunt in Scholis, nisi, quid postulet genius seculi, diligenter observetur. Non nostrum hic est, ambitiosius laudare Scholas publicas, et quibus nominibus praeferendae sint institutioni sub uno magistro tantum intra privatos parietes parentum cohibendae, edisserere latius. Pulchre hoc iam ostendit artis oratoriae et omnis omnino

educationis magister peritissimus, Quinctilianus *). Et quis est, qui dubitet, lumen illud conventus honestissimi in Scholis publicis anteponendum esse tenebris et solitudini domesticae, in quam nulla aemulatio condiscipulorum laudis cupiditate mutuo sese instimulantium, nulla praeceptorum invicem sese excipientium et grata varietate delectantium vicissitudo, nil denique eorum cadit, quae senes adhuc, in scholis publicis instituti, ex illo curriculo scholastico lubenter narrare solent et cum laetitia recordari. Verumtamen circumspicientibus nobis et anquirentibus in urbes, ubi Gymnasia florent et scholae publicae, ubique fere occurrunt parentes sat multi, qui, quos civitas aperuit ludos literarios, alto supercilio contemnunt, et privatum aliquem non parvulis tantum, sed grandioribus etiam natu praeficiunt praeceptorem. Plures haud dubie contemtus huius Scholarum publicarum afferri possunt caussae, veluti patrum in praeceptore privato alendo vana ostentatio, matercularum filiolis male timentium stolida indulgentia, corruptelarum in Scholis publicis illecebrae, aliaque eiusdem generis, quae sigillatim percensere longum foret et putidum. Sed restat alia caussa, eaque gravissima, qua patres etiam prudentissimos impediri, quo minus filios suos Scholis et praeceptoribus publicis committant, usu et experientia edocti cognovimus. Nimirum perspectum habent et exploratum boni patres, filios suos parum profectuum, qui futuro vitae generi prosint, capturos esse in ea Schola, in qua praeceptores vel antiquiorum legum vinculis adstricti, vel molli desidia capti antiqua mordicus retinenda esse clamitant, contra vero, quid nostra aetas et seculi nostri genius postulent, parum pensi habent. Quae cum ita sint, etiam exinde satis liquet, accommodandas esse seculi genio Scholas publicas, ut parentes, quod causentur, tergiversenturque in liberis Scholarum frequentiae denegandis, non reperiant.

Porro autem hoc quoque extra omnem positum est 6 controversiam, iuvenibus, quorum ingenia in Scholis publicis perpoliuntur, magnum ad assiduitatem et industriam in

*) Inst. Orat. I. 2.

literis gnaviter addiscendis propositum esse incitamentum, si intelligunt, quae in scholis sibi tradantur, pleraque omnia pulchre consentire cum moribus seculi, et ad usum vitae multum sibi profutura esse. Nam cum hoc omnibus a natura insitum sit, ut quo quid propius nos contingat, eo maiorem in animis nostris movendis et percellendis vim habeat; iuvenes autem vel inprimis iis rebus ducantur et capiantur, e quibus vel statim, vel certe aliquando magnam utilitatem ad se redundare posse, certis argumentis cognoscant: manifestum est, nullum acrius telum ad incitanda studia adolescentulorum, qui quidem sint erectioris indolis, excogitari posse, quam si intelligant, se quicquid didicerint et adhuc discant, ad rem praesentem et usum vitae quotidianae deducere et posse et debere. Quod quidem qua ratione et arte effici queat, nisi a praeceptoribus et omnibus omnino, quibus cura scholarum constituendarum demandata est, diligenter notetur genius seculi, videre non possumus.

Supersunt alia argumenta iis, quae modo allata sunt, non inferiora *). Sed digitum intendisse sufficiat ad nonnulla tantum, quae, cum in proclivi esset augere et amplificare quam maxime, noluimus tamen plura addere, ne ipsi bonae causae diffidere videremur. Hoc certe ex iis, quae modo disputavimus, liquido apparere arbitramur, magistratibus et omnibus reliquis in civitate viris, penes quos est arbitrium et ius scholarum administrandarum, summa ope elaborandum esse in eo, ut conditio et instituta scholarum seculi genio et moribus magis magisque respondeant. Verum enimvero hic quoque accurate perpendendum observandumque erit aureum illud et ad omnem vitam apprime utile dictum: *Ne quid nimis.* Magna enim in scholis seculi genio rite accommodandis circumspectione, magna solertia et sagacitate, accurata consideratione, prudentissima cura et sollicito quodam timore opus esse, cum per se intelligitur et res ipsa clamat, tum exemplis,

*) Sic, ut hoc saltem addamus, multum ponderis apud intelligentes habere debet argumentum illud, quod ex insigni doctrinarum, quae hodie iuvenibus iam a tenera aetate scitu dignae iudicantur, augmento peti potest.

quae nostra aetas protulit, doceri potest illustrissimis. Turpissimam inertiam, rerumque, quae magno sudore, multis vigiliis constant, contemtum gravissimum, effeminatam mollitiem, summamque, quae ex illa vitiorum foecundissima matre propullulare solet, impudentiam et proterviam acerrime in nostrae aetatis hominibus notarunt et perstrinxerunt omnes, qui seculi nostri mores adumbrare conati sunt. Diligentissime igitur cavendum erit, ne perverso quodam rerum novarum studio excoecati, egregie nos in scholis seculi moribus attemperandis versatos esse arbitremur, si detracta illa prisca severitate et laborum vigiliarumque assiduitate, grata tantum et suavia, apicularum instar, undique decerpamus, si alloquiorum blanditiis ad verborum illecebris iuventum animos deliniamus, et ne quid taedii obrepat mellitis filiolis, omnia, quae serio discenda erant, in lusum iocumque convertamus. Profecto qui talia committit aut praeceptoribus facienda esse suadet, verendum est, ne omni nequitiae fenestram in scholis publicis aperuisse et pessima seculi nostri labe bonarum artium et severioris disciplinae officinas contaminasse putetur. In doctrinis autem, quae in scholis tractantur, ad utilitatem seculi conformandis huc quoque diligenter intendenda mens erit, ne iuvenes, cum audiant, se ea tantum discere, quae olim sibi profutura sint, ad illiberalem illam, quae multorum 7 iam animos pervasit, opinionem delabantur, ut quicquid discant, panis lucrandi caussa tantum se discere et qui ulterius sapere velint, oleum illos et operam perdere arbitrentur. Qua quidem opinione nulla unquam capitalior pestis afflavit adolescentulorum, bonis literis vacantium, animos. Quid enim malus sordidi et pusilli animi esse potest indicium, quam si omnia e propria tantum utilitate metiaris, nil officii, nil ingenuae delectationis caussa facias, nil laudis cupiditate incensus moliaris? Atqui pessumdedit haec opinio et pessumdat adhuc complures bonae indolis iuvenes, maximo literarum et reipublicae a viribus eiusmodi et mercenariis hominibus administrandae detrimento et incommodo.

Reliquum est, ut quibusnam in rebus scholae publicae nostra quoque aetate seculi genio rite accommodandae

sint, paucis demonstremus. Universam rem scholasticam inter omnes constat, contineri doctrina et disciplina. Sequitur ergo, utramque ita conformandam esse seculi genio, ut omnia pulchre cohaereant et coalescant quasi cum vita et usu hominum. Et doctrinam quidem recte et ad seculi genium accommodate in scholis publicis constitui putamus bifariam. Primum ratio rei cuiuslibet tradendae eligatur optima et si qua compendiaria via ad illam rem penitus percipiendam nostra aetate reperta sit, insistatur. Deinde curandum est, ut facultas sit earum rerum discendarum, quibus maius hodie, quam apud maiores nostros statuitur pretium, quibusque iuvenem iam in scholis imbutum esse decet, ne cum ad maturiorem aetatem pervenerit, ignorantiae et inscitiae poenas det gravissimas. Atque in earum rerum censum, si bene novimus, quae ad palatum seculi nostri faciunt, referenda sunt merito Physica studia, et Encyclopaediae diligens notatio; huc pertinet historiae non solum antiquioris, sed recentioris etiam, atque eius inprimis, quae patriae nostrae casus et eventus explicat, accuratior notitia, a maioribus nostris in scholastica institutione plus iusto neglecta; huc vocanda est etiam linguarum recentiorum et inprimis vernaculae scientia, non solum usu quotidiano, sed arte etiam et stylo parta. Quod vero ad disciplinam attinet, quam alteram rei scholasticae partem diximus, observandum est omnino, non ferre nostram aetatem tantam asperitatem et morosam in poenis exigendis acerbitatem, quanta usi sint in coercenda contundendaque iuvenum ferocia maiores nostri. Respuit plagas liberalior seculi nostri educatio et leniore medicina ad corrigenda peccata et exstirpanda vitia hodie opus est. Ridentur et exploduntur Orbilii, nec perstrepunt amplius sacratissimae Musarum sedes ac domicilia nefandis verberantium convitiis, vapulantium eiulatibus. Quid multa? uno ore omnes consentiunt in eo, verbis et adhortationibus, non verberibus et contumeliis continendos et in gyrum sanioris rationis redigendos esse iuvenes a teneris iam mitius et liberalius educatos. Atque hic quoque duo acerrima tela ad excitandos cohibendosve homines, *spem* et *metum*, remedia maxime praesentanea et efficacissima esse usu edocti cog-

novimus. Spe laudis et praemiorum aluntur et ad praeclara quaevis impelluntur ingenia excelsiora. Metu acerioris censurae et notarum comprimuntur et a flagitiis deterrentur ingenia tractatu difficiliora. In qua re non possumus non commemorare duo instituta Gymnasii nostri. Apud nos enim duo scholasticae disciplinae alumni, qui reliquis morum integritate et laborum assiduitate antecellere visi sunt, singulis annis in publico scholae consessu ornantur praemiis, addita honorifica virtutum, quibus hanc laudem sibi pepererint, commemoratione. Bis vero quotannis censurae peraguntur religiosissime totius coetus scholastici, et qui limites petulantius transilierint, ab iis, quibus hoc demandatum est officium, publica reprehensione corripiuntur. 8

Quae cum ita sint, optime profecto actum erit de schola illa, cui contigerint ephori et antistites, firmiter persuasi, esse e re scholarum, ut accommodentur paulatim genio seculi, nec amplexantes tamen, quae novitatis specie sese commendant, omnia; cui contigerint magistri, antiquiorum institutionum ita tenaces, ut tamen recentia non ideo, quod sint recentia, statim contemnant et exulare iubeant e scholis suis; cui contigerint discipuli, qui labe seculi et contagione vitiorum, latius in dies serpentium, non infecti antiquam severitatem et pudorem cum nostratium venustate et elegantia, maiorum probitatem et modestiam cum recentiorum sagacitate et solertia, solidam et succi plenam veterum scientiam cum laudabili, quae hodie fervet, omnes linguas, omnem multigenae doctrinae ambitum comprehendendi cupiditate, pulchro connubio coniungere et consociare mature discant. Enimvero homines aegre sibi evelli patiuntur et eripi persuasiones, quas induerunt sibi in iuventute, quibus innutriti, quibuscum senes facti sunt. Hinc fere accidere solet, ut magistri etiam scholarum ingravescente aetate plane abhorreant ab omni, quantulacunque tandem ea sit, cum doctrinae, tum disciplinae in scholis suis immutatione, et in quo curriculo consenuerint, ab eo vix unquam, ac ne vix quidem deflectant. Magna igitur ad scholam aliquam ex eo redundare poterit utilitas, si senibus illis naturali rerum vicissitudine die suo

defunctis succedant vel succenturientur quasi iuniores, eo alacrius ad optima quaeque, seu nova illa sint, sive antiqua, sese comparantes, quo minus praeconceptis et inveteratis opinionibus obduruerunt et obfirmarunt sese ad alia omnia praefracte reiicienda.

Atque hanc utilitatem faustitatemque nostro quoque Gymnasio solemni hac votorum occasione polliceri non dubitamus. Decessit nuper, omnibusque, qui indefessum studium et alacritatem viri in munere obeundo, etiam in extrema aetate vix unquam elanguescentem admirarentur, qui senilem eius facundiam, et miram, quo sermones suos condire solebat, urbanitatem exoscularentur, magni sui desiderium reliquit *M. Christophorus Hieremias Rostius*, qui Gymnasium nostrum, ab aliquot inde seculis cum magistrorum exquisita doctrina inclytum, tum fama summorum virorum qui ex eo prodierunt celeberrimum, id igitur Gymnasium triginta et quod excedit annos, quae rara sane felicitas est, et gnaviter diserteque docendo et accurate fideliterque regendo illustravit. Atque in locum huius viri et Rectoris meritissimi, cuius mortem luget Gymnasium praeceptore et quasi patre suo orbatum, lugent collegae, lugent discipuli partim in amplissimis iam ecclesiae et reipublicae muneribus versantes, partim et olim iis admovendi, vir Praeclarissimus et Doctissimus *Carolus Augustus Boettiger*, Artium et Philosophiae Magister, Lycei Gubenensis antea Rector, unanimi suffragio a nobis electus et ultro ad capessendum hoc munus invitatus est. Cum vero et officii ratio, et mos a maioribus traditus postulare videatur, ut auspicato precibusque pia mente conceptis — velit, iubeat Deus Optimus Maximus sartum tectum conservari diuque et doctorum et discipulorum studiis florentissimum esse hoc verae sapientiae et bonarum artium gymnasium — novus Rector ad provinciam susceptam nostra auctoritate communitus accedat, noluimus et illi et nobismet ipsi deesse, et hanc occasionem praetermittere silentio. Indicamus igitur huius novi Rectoris solemni ritu inaugurandi panegyrin a. d. VIII. m. Iunii hora matutina nona in atrio curiae nostrae habendam, ac *omnes omnis Ordinis et Loci Viros*, quibus absentibus, praesentibus res scholastica

Budissensis curae cordique est, ut praesentia sua huic solennitati splendorem conciliare velint, eaque re favorem nobis significare suum, ea qua decet humanitate rogamus.

VII.

AD LOCUM

PLUTARCHI IN VITA CAT. MAI.

p. 347. sqq. PROLUSIO *).

Evolventi mihi vitas Plutarchi, quas in deliciis olim 3
habuisse diuque et multum lectitasse neminem unquam poenitebit, saepe scrupulum iniecit magni historici iudicium de diversa, quae apud Graecos et Latinos obtinuit, puerorum educatione, a nobilissimis olim legum latoribus sancita et instituta. Graviter, si Plutarchum audias, peccavit Numa, quod parentum arbitrio omnem liberorum institutionem permisit, divine contra rem suam administravit Lycurgus, qui civium liberos in unum coetum congregandos et magistratuum peculiarium *παιδονόμων* cura alendos instituendosque esse censuit **). Mirum vero, potuisse di- 4

*) Prodiit Budissae a. 1790.

**) Locus est in fine Numae p. 77. D. E. edit. Francof. (qua semper in hac commentatione me usum esse monendum duxi.) Sermo fuerat de elocandis in matrimonium filiabus, in qua re diversos a se abire, optimo tamen consilio, utrumque legumlatorem observaverat. Iam vero pergit: *ἀλλὰ μὴν ἐν* (hanc enim vocalem supplendam esse bene vidit Leopoldus, nuperus harum vitarum editor p. 352.) *ἐπισκασίαις τε παίδων καὶ συναγελασμοῖς καὶ παιδαγωγίαις καὶ κοινωνίαις — οὐδέν τι τοῦ προστυχόντος νομοθέτου βελτίονα τὸν Νουμᾶν ὁ Λυκοῦργος ἀποδείκνυσιν, ἐπὶ ταῖς τῶν πατέρων ποιησάμενον ἐπιθυμίαις ἢ χρείαις τὰς τῶν υἱέων ἀγωγὰς κ. τ. λ.* Ceterum, ut hoc addam, invidiosis fere laudibus hanc Spartanorum educationem cumularunt etiam Xenophon et Plato. Loca e Meursio, Cragio aliisque compilata dabit *Krigelius* in dissertatione *de Lycurgi legibus, quas Lacedaemone de puerorum educatione tulit.* Lipsiae 1726. 4. Sed vixdum mihi persuaderi patiar, Xenophontem et Platonem has laudes bona fide et serio contulisse in Lacedaemonios. Quid? si idem illis consilium in his propositum fuisse dicamus, quo Tacitus incultos Germanorum mores laudavisse putatur. Germanos extollendo tacite vellicavit effeminatos seculi sui mores gravissimus historicus. Duriore Spartanorum educatione in medium proposita castigavere Atheniensium, adolescentulis nimium indulgentium, (vide, quae scite in hanc

ligentissimum scriptorem, et Graecae Romanaeque virtutis aestimatorem aequissimum, tam cupide, ne dicam perverse sententiam dare secundum Graecum hominem et gentilem suum. Sed si rem accuratius perpendas, facile apparebit, composuisse Plutarchum res, quae toto genere inter se distarent, et cum liberorum educandorum ratio apud utrumque populum pulchre cohaereret cum reliquis civitatis institutis, quae per se spectanda essent, perperam inter se comparasse.

Sapienter haud dubie fecit Lycurgus, qui in illa civitate, quam legibus constituendam et constabiliendam sibi sumserat, puerorum educationem publicam esse iussit. Sed prudentis etiam legislatoris officio functus est Numa, qui omnem illam curam et educationem plane liberam esse voluit, nullisque legum vinculis adstrictam. Lycurgus nempe in tota illa civitatis suae constitutione id egit, ut in summa omnium aequalitate cives haberet quam pugnacissimos. Huc spectant fundi aequaliter inter omnes divisi, huc publica puerorum, sive obscuro sive illustri loco nati essent, educatio. Exigua civitas arctisque admodum limitibus circumscripta fuit Spartanorum. De finibus imperii sui proferendis, aliisque regionibus ditioni suae adiiciendis non valde laborandum illis erat, id quod Lycurgus ipse legibus suis diligenter caverat. In tali igitur civitate summa civium exstitit aequalitas, qua factum est, ut omnes etiam civium liberi, omnis *νεολαία* *), publicis impensis promiscue alerentur et instituerentur **). Romani vero ab ipsis paene ur-

---

rem observavit *Meiners Geschichte des Luxus der Athenienser*, p. 43. 50. seq.) delicias Xenophon et Plato.

*) Sic Lacedaemone et in Doricis civitatibus pubes et iuniorum turba proprie appellabatur, v. c. apud Theocrit. XVIII, 24. vid. Dorvill. ad Charit. p. 211. ed. Lips. et Albert. ad Hesych. s. v.

**) Magnum ex hac educatione publica utilitatis fructum ad civitatem Spartanorum talem, qualem descripsimus, redundasse, negari non potest. Pulchre hoc docuerunt post Viros eruditos, qui de quaestione ab academia inscriptionum Parisiensi anno 1768 de legibus Lycurgi proposita inter se disceptarunt (vid. Meuselii biblioth. historica Vol. III. P. II. p. 316.) celeberrimus *de Pauw* in *Recherches philosophiques sur les Grecs*, T. II. p. 324. seqq. et cuius lectione nunquam expleri nec satiari possis *Barthelemy Voyage du jeune Anacharsis en Grèce*, integro capite XLVII. Vol. IV. p. 180. seqq. Adderem Summum Heynium, si commentationes eius de republica Lacedaemoniorum in Societate Got-

bis suae incunabulis nil prius neque antiquius habuerunt, 5
quam ut finitimas nationes bellis internecinis attritas sibi subiicerent et devictarum gentium regionibus in provinciae redactis, limites imperii magis magisque amplificarent *). Hinc statim a primordiis civitatis orta est magna illa et civilium turbarum feracissima pauperum et locupletium civium inaequalitas, quippe quibus praeter communem patriam vix quicquam commune fuisse ex intestinis illis discordiis, quas Livius et Dionysius fuse enarrarunt, abunde patet. Atque in hac maxima opum, studiorum et ordinum apud Romanos inaequalitate liquido apparet, sapientissimos illius populi legum latores prudenter sibi temperasse ab illa, qua Lycurgus in suos grassatus est, severitate, nec exigere potuisse a parentibus, ut pueros in tenera aetate a se segregarent nullaque generis indolisve ratione habita, magistris publice constitutis concrederent. Enimvero in eorum locum, quae legibus administrabantur apud Spartanos, apud Romanos sanctissima illa civitatis disciplina successit, cum publica, tum domestica, qua rem Romanam tanquam fundamento firmissimo nixam et sustentatam in tantam paulatim succrevisse magnitudinem, inter omnes constat. Atque huic disciplinae, Romanis maxime fructuosae locus 6
apud illos relictus fuisset plane nullus, nisi parentes dome-

---

tingensi praelectas inspiciendi adhuc mihi facta esset copia. Sed qui nostra aetate Spartanorum educationem exemplar esse voluerunt, quod intueri debeant et exprimere parentes nostrates, nae illi parum intellexerunt, quantum discrepet et abhorreat nostrarum civitatium constitutio et forma ab illa Lacedaemoniorum. Vide, si tanti est, quae de Spartanorum educatione, angustis tantum civitatis illius finibus accommodata, a nostratibus vero institutis prorsus abhorrente, acute observavit *Resewitz Gedanken, Vorschläge und Wünsche*, Vol. V. P. IV. p. 44. seqq. Hoc apparet, eiusmodi educationem non cadere nisi in summam civium aequalitatem, quae vix hodie in ulla civitate reperitur, nisi forte huc trahas Gallorum omnia cum maxime permiscentium temeritatem, quibus Spartanorum etiam in educandis liberis instituta valde arridere colligas e libro, qui nuperrime prodiit: *Abrégé des études de l'homme fait en faveur de l'homme à former. Dédié aux Représentans de la Nation par Le Clerc.* Paris 1790.

*) Extat locus praeclarus in Excerptis Polybianis VI, 48. T. II. p. 71. Ernest. ubi pulchre declarat historicorum πολιτικώτατος, quid intersit inter instituta pusillae civitatis, qualis Spartanorum fuit, et illius reipublicae, quae caput se fore orbis terrarum mature sibi persuaserat. Quod acutissimi scriptoris iudicium pulchre illustravit *Vogel* in libro vernaculo sermone conscripto: *Biographieen grosser und berühmter Männer des Alterthums*, T. I. (Norimb. 1788.) p. 101. seq.

stica institutione pueros ad virtutem et humanitatem informare, tenerisque illorum animis sensus illos vere Romanos pudoris, frugalitatis, pietatis instillare potuissent. Quod ut eo dilucidius appareat, age, solemni hac ex interioribus literis aliquid depromendi occasione oblata, iuvat luculentum aliquod exemplum educationis Romanae et summae in liberis a tenera aetate formandis fingendisque diligentiae e Plutarcho nostro petitum proferre in medium, et observationibus cum philologicis tum iis, quae proprie ad rem nostram, id est, scholasticam, facere videantur, illustrare. Pulcherrimus in vita Catonis Censorii, quem maiorem appellare obtinuit, extat locus, quo sapientissimi illius viri studium et diligentiam in educando instituendoque filio positam scite et graviter descripsit. Habemus ibi imaginem privatae illius disciplinae, qua res Romanorum stetit floruitque cum primis, non adumbratam, sed vivis coloribus expressam et depictam *), dignam illam profecto, quam non tirones modo, sed omnes omnino, quibus educatio liberorum hodieque curae cordique est, curiose contemplentur, animumque, ut Virgilianus ille Aeneas, pascant pictura. Tirones quidem cum mature adsuefaciendi sint, ut non tantum capita historiae Romanae, hoc est, principis orbis terrarum populi, animis infigant et quasi insculpant memóriae,
7 sed causas etiam, quibus res Romana a tam parvis initiis ad tantum maiestatis escendit fastigium, ex ipsis veterum monumentis perspectas habeant **), tirones igitur accurata

*) Scilicet hae sunt illecebrae et quasi veneficia, quibus lectores in vitis suis trahit et delinit Plutarchus summus in delineandis istiusmodi imaginibus artifex, quem si mira suavitate haec referentem audias, ipse tute cum priscis istis felicioris aevi heroibus versari, cum illis sermones caedere, convivari, rusticari, peregrinari tibi videaris. Recludit ubique interiora vitae domesticae penetralia, vel, ut Lucretius ait, postscenia. Multi recentioribus temporibus biographi hoc imitari conati sunt, sed hic quoque valet vetus verbum illud: *πολλοὶ θυρσοφόροι, παῦροι δέ τε Βάκχοι.* Plutarchi in his artificium pulchre enucleavit elegans harum venerum spectator *Blairius* in libro utilissimo: *Lectures on Rhetorik and belles lettres*, Vol. III. p. 71. Basil. Non est igitur, quod hanc ipsam ob causam fides historica Plutarchi labefactetur et in dubium vocetur, quod nuperrime fecit Vir Doctus, in libello alias satis frugifero: *die Geschichte der Römer, zur Erklärung ihrer classischen Schriftsteller*, (Lips. 1787.) T. I. p. 100. Sed sufficiant haec, ne quis dicat me extra oleas vagari. Non potui tamen non haec adspergere in Plutarchi mei gratiam.

**) Atque huc in primis pertinet totum caput de disciplina Romano-

huius loci perlustratione facile cognoscent, quibus et quam solidis fundamentis superstructa fuerit magnitudo populi Romani. Sed habebunt etiam parentes, et qui parentum personam in educandis erudiendisque liberis sustinent, unde intelligant, non novam istam esse sapientiam et quasi de coelo delapsam, quam nostra patrumque memoria passim prodiderunt variisque verborum lenociniis expoliverunt Basedowii, Trappii, Campii, Salzmanni, aliique, non illi quidem laude sua privandi, sed asseclarum, vel simiarum, si mavis, iactantia et turpitudine in invidiam apud cordatos viros adducti *). Videbunt, quorum haec tenere et antiqua novis comparare interest, severissimum illum senem Catonem noluisse verberibus et contumeliosis poenis saeviri in pueros ingenuos; videbunt Catonem, at quantum in republica virum, curam suscepisse filioli a primis incunabulis, et, in quo summa ope a parentibus elaborandum esse clamitant nostra aetate, ne quid vitii tenera aeta- 8

rum cum publica, tum privata. Quis non legit, imo edidicit praeclaram et vere auream commentationem Ernestii *de privata Romanorum disciplina* in Opusc. Philolog. p. 32. seqq. Novimus magistros, in hac palaestra probe exercitatos, qui quotiescunque discipulis antiquitates Romanas statis horis explicarent, hanc quoque dissertationem una cum aliis id genus libellis v. c. *Meinersii Geschichte des Verfalls der Sitten d. R.* integram illis praelegerent et enarrarent, uberiorem inde ad auditores suos fructum redundaturum esse rati, quam si bonas horas dictatorum planstris perderent e Pitisco, Rosino aliisque eius notae antiquariis anxie conductis et constipatis.

*) Poterit aliquando, defervescente paulatim illo aestu abrogandi veteri et res novas moliendi in rebus scholasticis, quo adhuc multos absorberi maxime dolendum est, libellus scribi lectu iucundissimus et ad cognoscendum seculi saporem utilissimus, in quo historia horum motuum et turbarum in educatione et re scholastica breviter et concinne exponatur. Atque hic liber, quem legere mirum in modum gestio, inde proficiscatur oportet, ut primum ostendat ex historia literaria priorum seculorum, non nunc demum e cerebris eorum, qui educatorum vel paedagogorum nomine sese venditant, sapientissima illa educationis et rei scholasticae emendandae propullulasse consilia, sed eadem iam dudum prolata, atque explosa etiam esse avorum maiorumque memoria. Sic, ut unum, quod statim succurrit, exemplum afferam, Wolfgangum Ratichium, qui sub seculi superioris initium praeclara multa de nova literarum discendarum via minatus, magno argento emunxit principes Germaniae (vide post Morhof. in Polyhist. T. I. p. 451. Schoepperlinum *im Schulmagazin*, T. V. pag. 422. seqq.), fuerunt, qui cum Basedowio ingeniose compararent. Exspectari posset talis, qualem mente concepimus, libellus a Venerabili *Kappio*, Barthino, qui olim iam prolusione, *qua exemplis quibusdam demonstratur multa in re scholastica emendanda pro novis venditari, quae nova non sunt* Baruth. 1778. promulside quadam ostendit, quam lauta ab eo in tali coena instrui et apparari possint fercula.

tuli a contagione servorum traheret, cavisse diligentissime; videbunt denique, quod a nonnullis hodie nimis fere urgetur et cum detrimento quodam pudoris inculcatur, Catonem etiam consultum ivisse pudori filii, et ne qua spurcitie oculi eius auresve contaminarentur, advigilavisse sollertissime. Sed ne ianuam aedibus maiorem facere et praefatione tempus eximere videamur, praestat audire iam ipsum Plutarchum. Ponamus locum eius integrum, cum liber non omnibus, quibus prodesse volumus opella nostra, sit ad manus, atque in eo explicando ita versemur, ut verbis et sententiis singulis recte ponderatis, in genere observationes quasdam ab hoc scribendi instituto non alienas adspergamus. Et cum haec prima sese obtulerit nobis occasio in novo, quod capessivimus, Rectoris munere solemnes scholae nostrae Panegyres prolusione aliqua indicendi, facile me veniam impetraturum spero, quod hinc inde in deverticula quaedam a via deflexerim, et quid de recentiorum etiam conatibus et consiliis ad educationem liberorum et rem scholasticam pertinentibus sentiam, ingenue declaraverim.

Locus apud Plutarchum in vita Catonis maioris p. 347. E. 348. A. C. sic se habet:

Τὸν τύπτοντα γαμετὴν ἢ παῖδα τοῖς ἀγιωτάτοις ἔλεγεν ἱεροῖς τὰς χεῖρας προσφέρειν, ἐν ἐπαίνῳ δὲ μείζονι τίθεσθαι τὸ γαμέτην ἀγαθὸν, ἢ τὸ μέγαν εἶναι συγκλητικόν). ἐπεὶ*

Qui verberibus uxorem vel filium obiurgaret, eum dicebat sanctissimis rebus manus afferre. Maiori ornamento esse, si quis bonus maritus, quam fortis senator appella-

*) Socratica est sententia, in Xenophonteis libris, Oeconomico in primis et Memorabilibus saepius obvia, neminem accedere debere ad rempublicam, nisi qui sit bonus paterfamilias, bonus maritus cet. quam, lepida de Gorgia historiola allata, ita effert noster in *γαμικοῖς παραγγ.* p. 88. a. edit. Bas. op. mor. *εὖ ἡρμοσμένον τὸν οἶκον εἶναι δεῖ τῷ μέλλοντι ἁρμόζεσθαι καὶ ἀγορὰν καὶ φίλους.* Alia dabit Lipsius in praecept. Polit. II, 3. p. 48. Notandum vero, maius huic sententiae accedere pondus ex eo, quod a Catone profecta sit, qui teste Plinio in magnifico eius elogio VII, 27. s. 28. tres summas in homine res praestitisse existimatus est, ut esset summus orator, summus imperator, *summus senator*. Ceterum quam casta et pudica usus sit uxore Cato, miro argumento ipse declaravit. Verba sunt Plutarchi in Cat. p. 346. D. *αὐτῷ, ἔφη, τὴν γυναῖκα μηδέποτε πλὴν βροντῆς μεγάλης γενομένης περιπλακῆναι. καὶ μετὰ παιδιᾶς εἰκεῖν αὐτὸν ὡς μακάριός ἐστι τοῦ Διὸς βροντῶντος.*

καὶ Σωκράτους οὐδὲν ἄλλο θαυμάζειν τοῦ παλαιοῦ, πλὴν ὅτι γυναικὶ χαλεπῇ καὶ παισὶν ἀποπλήκτοις χρώμενος *), ἐμειλιχῶς καὶ πράως διετέλεσε. γενομένου δὲ τοῦ παιδὸς οὐδὲν ἦν ἔργον οὕτως ἀναγκαῖον, εἰ μή τι δημόσιον, ὡς μὴ παρεῖναι τῇ γυναικὶ λουούσῃ τὸ βρέφος καὶ σπαργανούσῃ **). αὐτὴ γὰρ ἔτρεφεν

retur. Nec fuit, quod in Socrate illo prisco admiraretur, nisi quod cum uxore morosa et filiis vecordibus perpetuo vixit placide et comiter. Cum uxor peperisset, nil antiquius habuit, quam ut uxori abluenti infantem et fasciis involventi praesto esset. Ipsa 9
enim lacte suo alebat puerulum admotis etiam ad ubera

Profecto eiusmodi coniugibus nullo monitore opus erat, qui aurem illis vellicaret, et Chiloneum illud: ne quid nimis, insusurraret, quod nostra aetate morum et educationis rite instituendae magistri Roussaei, Campii aliique mira, si diis placet, sapientia praeceptis suis coniugalibus inserere non dubitarunt. Vide, si tanti est, opus illud, quod titulo sane quam specioso praefulget, *Allgemeine Revision des Schul- und Erziehungs-Wesens*, Vol. I. p. 149—162.

*) Hinc Socratem *perpessicium senem* appellat Seneca in loco, quem ob similitudinem cum nostro adscribere non pigebit, Epist. 104. T. II. p. 520. „Accipite Socratem, perpessicium senem — invictum fame et paupertate, quam graviorem illi domestica onera faciebant — sive uxorem eius spectes, moribus feram, lingua petulantem, sive liberos indociles et matri, quam patri, similiores." Ceterum cui non decantata Xanthippe, alterum illud Socratis daemonium, sed malignum et ex Alastorum genere? Importunae mulieris (vid. in primis Intt. ad Diog. II, 36.) patrocinium suscepit Heumannus in Actis philosophicis Vol. I. sed oleum et operam in Aethiope, quod aiunt, lavando perdidisse putandus est. Scilicet exspectat bona Xanthippe adhuc patronum talem, qualem Aspasiae et Laidis nuper in libello, quem in sinu et oculis ferent haud dubie puellae nostrates, sese praestitit Wielandus. Socratis adversus uxorem ἀοργησίαν nostra aetate retulit Roussaeus, cui, ut Socrati olim Athenienses, immortales post mortem Gallia decrevit honores. Nam hunc quoque uxoris, bellnae deterrimae, aequo animo tulisse iurgia et opprobria, constans fama est; (vide, si lubet, quae literis in Gallico itinere conscriptis memoriae hac de re consignavit Campius in libello menstruo *Braunschweigisches Journal* 1790. II. St. p. 165. seq.) in hoc tamen dissimiles, quod Graecus ille liberos indociles placide emendaret, (Lamproclem in primis, qui iam erat grandiusculus, vid. Xenoph. *Απομν.* II, 2. ubi cf. Valcken. p. 243. et Hindenburg. Adde de liberis Socratis notam Hemsterhusii in Addend. ad Lucian. T. I. p. XXXIII. et Fischerum ad Plat. Phaedon. 3. p. 243. edit. noviss.) Gallus vero liberos statim a partu abiiceret et amandaret illuc, ubi exposititii pueri sumtibus publicis aluntur (*Findel-* 11
kius). Unum hoc addidisse iuvat, Menzium, qui initio huius seculi varia historiae philosophicae capita dissertationibus illustravit, scripsisse etiam disputationem, cui titulus: *Socrates nec officiosus maritus, nec laudandus paterfamilias*, Lips. 1716. sed ne novos ibi thesauros quaeras, lector, nonendus es, esse carbones, et fumum, ut solet, vendidisse bonum Menzium, vid. *Gurlit Abriss der Geschichte der Philos.* p. 55.

**) Cato, cum probe intelligeret rem plenam solliciti timoris esse te-

ἰδίῳ γάλακτι *). πολλάκις δὲ καὶ τὰ τῶν δούλων παιδάρια τῷ μασθῷ προσιεμένη κατεσκεύασεν εὔνοιαν ἐκ τῆς συντροφίας πρὸς τὸν υἱόν **).

vernulis, quo magis hoc nutricationis consortio benevolentiam illis instillaret in filium herilem. Quum aliquid intelligere inciperet, ipse pa-

---

neram infantum aetatulam, cui a male sedulis vel socordibus nutriculis ingens afferri possit noxa, ipse non indignum persona sua iudicavit adesse filiolo lavando vel fasciis (quarum antiquitates vide docte illustrantem Salmasium ad Vopisci Aurelian. c. 4. T. II. p. 421. seqq.) involvendo. Scilicet nondum illo tempore Roussaeus triumphum illum egerat celeberrimum de fasciis et incunabulis, fortiter ab illo oppugnatis (vid. Emile im Revisionswerke, T. XII. p. 83.), quem anaglypho etiam opere et inscriptionibus in monumento eius Ermenonvillii excitato nobilitari, inter omnes constat. Beati vero parentes, qui hic quoque media via ingrediuntur, rati, involvendos quidem esse parvulos fasciis quibusdam, ne luxentur distorqueanturve membra tenella, sed non constringendos, et vinculorum nodis illigandos. Vide, si tanti est, qui recentiorum medicorum scripta accurate excusserunt, Experientissimum *Plazium* diss. *de brevioris et infirmioris vitae causis infantilis aetatis* (Lips. 1782.) p. 5. et *I. H. Müllerum* diss. inaugur. *vitia quaedam circa infantum educationem physicam commissa.* (Erlang. 1786.) p. 7.

*) Non puduit Catonis, at quanti in republica viri, uxorem ipsam mammas praebere filio, in quo haud dubie obsecundata est sapientissimis mariti monitis. Dignum putavit Plutarchus, quod commemoraret propterea, quod Romanas etiam matres passim infecerat haec labes, ut ad nutrices amandarent liberos, et quae verba sunt Favorini in nobilissimo illo loco apud Gellium N. A. XII, 1. *insitivo degenerique alimento lactis alieni corrumperent.* Nutricem Virginiae, virginis plebeiae, reperimus apud Liv. III. 44. Historiolam de Ciceronis nutrice habes apud Plutarchum in Cic. p. 861. C. Sed quis in his desiderat exempla? Ceterum tralatitia sunt et pervulgata, quae de matrum officio in alendis proprio lacte infantibus prisco iam aevo dicta, nostro ad nauseam usque repetita sunt. Accurate hoc argumentum tractavit Frankius in *System einer vollständigen medizinischen Polizei*, Vol. II. p. 309. seqq. nec contulisse pigebit Udenum in Allg. Rev. W. T. II. p. 79. seqq. Equidem si mihi res esset cum delicatula, nutricationis taedium defugiente ob mollitiem, praelegerem illi locum illum palmarium e praestantissimo carmine Wielandi nostri, *Oberon* X. 46—48. Profecto enim hic etiam valet illud *ἐστὶν ἐπῳδὰ καὶ φρενὸς θελκτήρια.*

**) Educabantur cum filiis herilibus vernulae, ut haberent, quibuscum luderent et oblectarent infantiam suam. In his eligendis magnam cautionem adhibebant parentes prudentiores; et sic praecipit Plutarchus noster in libello pro captu temporum illorum non inficeto, sed merito ho-
12 die e scholis, quas ridiculo errore occupaverat, proscripto *περὶ παίδων ἀγωγῆς* c. 6. p. 36. Heus. et Quintil. I, 1. 7. „de pueris, inter quos educabitur (h. e. *συντρόφοις*), idem dicendum." Egregium sane materni amoris in filium documentum edidisse perhibetur uxor Catonis, quod nescio an ulla hodie mater, nisi forte lactis exuberantis copia coegerit, etiamnunc editura sit. Ceterum pueros eiusmodi *ὁμογάλακτας* appellare liceat voce ab Aristotele Polit. I, 1. p. 4. Conring. petita. Veterum Iurisconsultorum Latinitas habet *collactaneos.* Cf. Gruteri Inscriptt. p. DCLXI, 1. 4. Quo pertinet etiam locus insignis Augustini in Confess. I. 7. p. 10. „Vidi ego et expertus sum puerum zelantem: nondum loquebatur, et intuebatur pallidus amaro adspectu collactaneum suum."

ἐπεὶ δ' ἤρξατο συνιέναι, παραλαβὼν ἀντὸς ἐδίδαξε γράμματα *), καί τοι χαριέντα **) δοῦλον εἶχε γραμματιστὴν***) ὄνομα Χίλωνα πολλοὺς διδάσκοντα παῖδας ****). Οὐκ

ter literarum elementis illum imbuendum suscepit, licet servulum haberet literatorem satis politum, Chilonem nomine, qui multos erudiebat pueros. Nolebat autem, quod

*) Intelligenda esse h. l. per γράμματα, τὰ στοιχεῖα (vid. Sext. advers. Grammat. I, 2. p. 226. Fabric.), prima literarum elementa, facile apparet, et illustravit hanc notionem post Casaub. ad Sueton. de clar. Gramm. c. 4. et Salmasium ad Capit. Pertin. c. 1. T. I. p. 530. *Valckenarius ad Ammonium* p. 55. seqq. Haec qui docerent, appellabantur *literatores*, γραμματισταί, probe distinguendi a Grammaticis, longe maiorem doctrinarum ambitum complexis. Sed trita haec sunt et virorum doctorum curis iam dudum excussa. Consulat, cui otium est talia exquirere, diligentissime haec expedientem *Krebsium* in prolusione *de finibus Grammatici regundis* in Opusc. Acad. et Schol. p. 191. seqq.

**) Χαρίεις non intellexit Dacierius, qui vertit (T. III. p. 457. ed. Amstelod.) *fort honnête homme.* Optime Germanus interpres Schirachius (Vol. III. p. 430.) „ob er gleich einen *sehr geschickten Sclaven* Chilo hatte." Χάρις politissimis Graecis, apud quos omnia essent comta, tersa, venusta (οὐδὲν χαρίτων ἀπάνευθεν Theocrit. XVI, 108.) inprimis de eloquentia, doctrina et omnino *humanitate* dicebatur. Hinc χάρις locum habet in marmore illo antiquo, quod Apotheosin Homeri refert. Vide, qui pulchre de hac voce disserit, Cuperum ad Apoth. p. 96. Hinc χάριτες in eloquentiae et poeseos laudibus saepe commemorantur, inprimis apud Pindarum v. c. Olymp. XIV, 9. Id quod scite docuit Cl. *Manso über die Horen und Grazien* (Lips. 1787.) p. 74. seq. Atque hinc χαρίεις etiam, ut monuit iam magnus Interpres ad Athen. p. 4. frequentatur de doctissimo quoque et literarum peritissimo. Sic οἱ χαριέστεροι saepe apud Strabonem sunt peritiores in situ regionum describendo v. c. II. p. 67. B. ed. Almelov. Apud Lucian. in Peregrin. c. 39. T. III. p. 359. *εἰ ἴδοιμί τινα χαρίεντα* male ab antiquioribus versum erat: *gratum;* ubi vide sis Fabr. et Reitz. cf. VV. DD. ad eundem de conscrib. hist. 16. T. II. p. 24. et in Iove Trag. 48. p. 66. Eadem significatione saepe occurrit apud Diodorum Siculum, ad quem conferendus omnino est Wesseling. ad XI, 86. p. 470, 10. et apud Appianum; vid. Ind. in ed. Schweigh. s. v. χαρίεντες. Apparet igitur in hoc etiam Plutarchi nostri loco χαρίεντα δοῦλον esse *servum literis probe excultum et perpolitum.*

***) Romanos locupletiores in familia sua aluisse servos Grammatistas, 13
copiose iam docuerunt, quorum de servis Romanorum extant libri peculiares, Pignorius, Popma, alii (vid. Fabric. Bibliograph. antiqu. p. 761. ed. Sch.). Laudasse hoc loco sufficiat fragmentum Orbilii apud Sueton. de cl. Grammat. c. 4. p. 950. ed. Oudend. „*Apud maiores, cum familia alicuius venalis produceretur, non temere quem literatum in titulo, sed literatorem inscribi solitum esse, quasi non perfectum* (hoc non ceperunt interpretes. Referendum ad grammaticen τελειοτέραν, ut appellat Philo p. 3. 8. et 462. ed. Frf.) *sed imbutum.*" Comparasse etiam iuvabit VV. DD. ad Nepotis Atticum, c. 13. 3.

****) Notandus hic locus, quo declaratur conditio ludorum literariorum apud Romanos. Habuerunt haud dubie ludos eiusmodi, in quibus tenera liberorum aetas elementis imbueretur, aliarumque etiam rerum, quibus aetas puerilis ad humanitatem institui solet, si non perfectas at in-

ἠξίου τὸν υἱὸν (ὥς φησιν αὐτὸς) *) ὑπὸ δούλου κακῶς ἀκούειν ἢ τοῦ ὠτὸς ἀνατείνεσθαι **), μανθάνοντα βρά-

ipse memoriae prodidit, filium a servo obiurgari acerbius, aut, si tardiusculus esset in discendo, auribus vellicari, nec

---

choatas certe intelligentias acciperet. Permultis hoc auctorum locis demonstrari potest. Adi, ut unum laudem, qui iam ad manum, Plut. in Cic. p. 861. D. Plura collecta reperies a Cl. *Heinze* in commentatione: *de pueritiae gentilis institutione ad religionem* in Syntagm. Opusc. Scholast. (Gott. 1788.) p. 59. seq. Atqui eiusmodi διδασκαλεῖα seu ludi aperti tantum fuerunt a servis et libertinis hominibus ad prima literarum elementa puerili aetati impertienda. Istiusmodi vero scholas vel bonarum literarum gymnasia, in quibus elegantium literarum doctores publicis stipendiis ornati doctrinas profitebantur, et adhuc profitentur nostra aetate, plane abhorruisse a vetere illa liberae civitatis disciplina et sub Imperatoribus demum, Vespasiano, Adriano cet. initia cepisse, satis constat. Vespasianus salaria primum constituens doctoribus vel e Suetonio notus. De Athenaeo, quod doctoribus cum salario constitutis in Capitolio instituit Adrianus, vid. Reimar. ad Dion. Cass. LXXIII, 17. p. 1240. Si plura cupis, adi, qui de hac re praeclare disputavit, Hegewischium, in commentatione de originibus ordinis eruditorum apud Romanos: *über den Zustand der Wissenschaften, und über die Entstehung des Gelehrtenstandes bei den Römern* in Collectione opusculorum vernaculo sermone scriptorum (Kleine Schriften, Flensb. 1786.) p. 67—72. Mira loquacitate protrita multa et in vulgus nota effutiit, qui nuper de eruditionis et doctrinarum ambitu apud Romanos disputare instituit, *Münnich*, Pastor Hadmerslebiensis: *Versuch über die Gränzen der Aufklärung unter den Römern* (Lips. 1789.), p. 243—48.

*) Saepius noster loca affert e libris Catonis, quos Plutarchi aetate nondum interceperat temporum iniuria, v. c. p. 338. D. p. 342. A. Fuit enim Cato pro captu seculi sui vere πολυγράφος. Notum ex Nepote, et diserte affirmat noster p. 351. D. συνετάττετο λόγους τε παντοδαποὺς καὶ ἱστορίας, atque idcirco *omnium bonarum artium magister* appellatur a Plinio XXV, 2. s. 2. At quonam in libro ea, quae hic commemorantur, tradiderit, hodie vix coniectura assequi poterimus. Laudantur a Nonio II. n. 573. Catonis *praecepta ad filium*, e quibus haec depromta
14 esse dicas. Sed cum passim commemoretur aliud scriptum *de oratore ad filium*, in quo primus Romanorum praecepta rhetorica tradidisse fertur (Quint. III, 1. 19. ubi vid. Gesner.), recte Funccius iam (de adolescentia lingu. Lat. c. VI. p. 186.) praecepta ad filium et commentarios de oratore diversos eiusdem libri titulos esse, statuit. De fragmentis Catonis, quae passim collecta reperiuntur, vide quae post Fabricium aliosque bene multos monuit Harlesius in Prolegg. ad Introduct. in notit. lit. Rom. S. 1. p. 74. seqq.

**) Vellicatas esse a paedagogis puerorum auriculas, non est, quod multis demonstratum eamus. Semper hic mos obtinuit et adhuc obtinere dicitur in scholis quibusdam ob magistrorum saevam truculentiam et asperitatem male audientibus. Poterant hoc loco uti Interpretes Quintiliani VI, 1. 41. ubi lepidam de Glycone, inepto causidico, narrat historiam: „*Glyconi puer — quem in ius productum* (sc. ut vultu flebili iudicum misericordiam moveret), *quid fleret, interrogabat, ex paedagogo se vellicari respondit.*" Nec abhorret a vero, ludi magistros, si vellent aliquid infigere penitus memoriae puerorum, pervellere solitos illud membrum, quod memoriae dicatum tangentes antestabantur. Et imagines illae hominum

διον. οὐδέ γε μαθήματος τηλικούτου τῷ δούλῳ χάριν ὀφείλειν, ἀλλ' αὐτὸς μὲν ἦν γραμματιστής, αὐτὸς δὲ νομοδιδάκτης *), *αὐτὸς δὲ γυμναστὴς* **), *οὐ μόνον ἀκον-*

tantae scientiae nomine obstrictum esse servo. Itaque ipse filii in literis magister, ipse legum praeceptor, ipse armorum doctor fuit. Nec iaculari modo et armis de-

---

aurem alterius vellicantium cum inscriptione ΜΝΗΜΟΝΕΥΕ in numis et gemmis, quas commemorant Lips. in Quaest. Epist. IV, 26. p. 585. Muretus V. Lect. XII. 5. (pag. 1087. T. II. Lamp. Grut.) et Heyn. ad Virg. T. I. p. 100. edit. noviss. aeque huc referri possunt atque ad veterem antestandi morem. Ceterum longe a pessimo hoc tetricorum magistellorum more distabat blanda auricularum apprehensio in osculis ingerendis, *χύτρα* a Graecis appellata, quam certatim illustrarunt Kuhn. ad Poll. X. 100. p. 1274. Warton. ad Theocrit. V, 133. Heyn. ad Tibull. in Observ. p. 129.

*) Qui conditionem liberarum civitatum apud veteres perspexit, non mirabitur, legum et institutorum patriorum scientia pueriles animos mature imbutos esse, utpote quibus mature etiam ad rempublicam accedendum et ius civile tractandum esset. Sed hac quoque in re cernebatur peculiaris Catonis industria. Nam cum in more positum esset, ut adolescentuli se conferrent ad virum aliquem, iuris prudentiae laude florentem, quem perpetuo assectantes legum haberent praeceptorem (sic, ut hoc exemplo utar, Cicero contulit se ad Mucium Scaevolam augurem, a quo maxime *εἰς ἐμπειρίαν τῶν νόμων ὠφελεῖτο* Plut. in Cic. p. 862. A. Vide, qui totam rem docte, ut solet, illustravit *Middletonum* in vita Ciceronis Britannico sermone confecta: *History of the Life of Marcus Tullius Cicero*, Vol. I. p. 246. ed. Londin.), maluit ipse legum et cautionum formulas filio praeire, quam alteri hanc provinciam committere. Nec hanc rem igitur in filii institutione desiderari passus est Cato, quam hodie fere omnibus in scholis non sine magno civium detrimento negligi saepe graviterque conquesti sunt viri prudentes, quorum de re scholastica et educatione recte constituenda passim leguntur libelli. In ludis literariis leges patrias diligenter tradendas esse et explicandas, monuit iam Resewizius in fructuosissimo libello de educatione civium: *über die Erziehung des Bürgers*, p. 94. et 161. quicum comparandus est *Voss* in *Campens Fragmentengeist*, p. 154. seqq. Nec defuerunt nostra aetate, qui periculum eius rei facerent, libris etiam hoc consilio compositis. Sic leges in scholis Austriacorum enarrari cognovimus e commentariis menstruis Brunsvicensibus: *Braunschweigisches Journal*, 1788. VI. St. p. 236. Prodierunt libelli huic usui inservientes (vid. Allg. Litt. Z. 1788. n. 74. b. et Allgem. Deutsche Bibl. LXXIX. p. 405.), quos nuper admodum recensuit auctor libelli: *über die Erlernung der Landesgesetze in den Volksschulen*, Lips. 1789. a quo librum eiusmodi, secundum quem legum notitia in scholis tradi queat, expectare possumus.

**) Non nescio, *γυμναστήν* de lanistis etiam, seu gladiatorum magistris dici, ut apud Dionem Cass. LXXII, 19. p. 1219. ubi vid. Reimar. Sed h. l. tamen malui *armorum doctorem*, quam cum Xylandro: *lanistam*, vertere. Xylandrum presse sequiter Schirachius *Fechtmeister*. Melius Dacierius: *maître d' exercices*. Nimirum magistri illi tironum et Romanae in campo Martio iuventutis priscis reipublicae temporibus non fuerunt lanistae, quippe qui in ludis gladiatoriis tantum dictata darent; sed quod pulchre docuit iam Lips. de Mil. Rom. V, 14, p. 240. centurio aliquis veteranus aut miles annis cicatricibusque obsitus. Primus consul

πλέειν οὐδ' ὁπλομαχεῖν, οὐδ' ἱππεύειν διδάσκων τὸν υἱὸν, ἀλλὰ καὶ τῇ χειρὶ πυξ παίειν *) καὶ καῦμα καὶ ψύχος ἀνέχεσθαι καὶ τὰ δινώδη καὶ τραχύνοντα τοῦ ποταμοῦ νηχόμενον ἀποβιάζεσθαι. καὶ τὰς ἱστορίας δὲ συγγράψαι φησὶν αὐτὸς ἰδίᾳ χειρὶ καὶ μεγάλοις γράμμασιν **), ὅπως οἰκο-

pugnare et equitare docuit, sed pugnis etiam contendere aestumque et algores tolerare, et amnes rapidos, vorticibusque implicatos nando superare. Ipse quoque historias se propria manu literisque maiusculis exarasse prodidit, ut domi haberet filius, quo se ad antiqua pa-

Rutilius A. V. 648. nullius ante se exemplum sequutus, e ludo gladiatorio doctores militum arcessivit. Valer. Max. II, 3, 2. Atque hinc exolevisse illum morem labente iam disciplina queritur Plinius in Paneg. c. XIII. „*postquam exercitationibus nostris non veteranorum aliquis, cui decus, muralis aut civica, sed Graeculus magister adsistit*" ubi vid. Patarol. p. 27. ed. Schwarz. Veterani illi magistri proprio vocabulo appellabantur vel *campidoctores*, si milites in castris armaturae numeros docerent (quod docte demonstravit Stewechius ad Veget. I, 13. p. 44. ed. Vesal. errorem refutans Salmasii ad Lamprid. S. 53. T. I. p. 1012—14.) vel *armorum doctores*, qui tractandorum armorum peritiam solis tironibus traderent, de quibus digna est, quae consulatur, Henr. Valesii nota ad Ammian. XV, 3. p. 56. Gronov. Ceterum complectitur Plutarchi nostri locus (ad quem illustrandum apprime facit Sil. Ital. VIII, 553—60.) omnes fere armaturae numeros, quibus meditationes campestres tironum continebantur, ἀκοντίζειν, quo pertinet iaculorum, pilorum, sagittarum missio, ὁπλομαχεῖν, quo referenda sunt exercitia ad scuta viminea, ad palum (*palaria*) rudibus batuendi, caesim punctimque feriendi, ἱππεύειν, quo spectat etiam salitio, vid. Stewech. ad Veget. I, 18. p. 55., tandem νήχεσθαι, quo, quis nescit, post armorum exercitia in vicino Tiberi sudorem abluisse Romanos, vid. Stewech. ad II, 23. p. 222. Adde, qui omnia illa exercitia cum recentiorum inventis scite componit, *Roesch Commentar über die Commentarien des Caesars, nebst Beiträgen zur röm. Taktik.* (Halle 1783) p. 240. seq. Frustra vero, ut hoc addam, Catonem filium natando exercentem ad fulciendam, quam ipse alias expunxerat, lectionem vulgatam in Suetonii Augusto c. 64. advocat Lips. de Mil. R. p. 243. Ibi enim *notare* refingendum esse, e serie orationis vel lusco patet. vid. Oudendorp.

*) Frustra esset, si quis ex his verbis pancratiastarum artem, πυγμὴν, pugilatum, iam tum Romanis cognitam fuisse demonstrare conaretur. 16 Ars enim athletica et palaestrae umbracula post Catonem demum a Graecis ad Romanos transiere. Primus athletas publico spectaculo exhibuit M. Fulvius ludis votivis Liv. XXXIX, 22. (a quo si dissentire videtur Valer. Max. II. 4. 7. commode conciliari potest, ratione diligenter putata.) Sed cum ipsa πυγμαχία merito ad prolusiones et simulacra, ut Virgiliana voce utar, belli referatur (μιμήματα καὶ γυμνάσματα πολεμικῶν appellat Plut. Sympos. II, 5. p. 523. b. quem locum pulchre illustrat H. Mercurialis de Art. Gymnast. II, 9. p. 150.), simpliciter hoc Catonis exercitium intelligi velim de corroboratis meditatione campestri brachiis ad ictus hosti inferendos. Atque huc pertinet dictum Cassii, qui milite sine gladio decurrente, *heus, commilito*, inquit, *pugno bene uteris.* Quint. VI, 3. 90.

**) Uti hoc loco potuisset in rem suam Mabillonius, qui praeter ea-

θεν ὑπάρχῃ τῷ παιδὶ πρὸς ἐμπειρίαν τῶν παλαιῶν καὶ πατρίων ὠφελεῖσθαι. τὰ δ' αἴσχιστα τῶν ῥημάτων οὐχ ἧττον εὐλαβεῖσθαι τοῦ παιδὸς παρόντος *), ἢ τῶν ἱε-

triae exempla conformaret. Turpicula vero et dictu foeda non minus reformidasse filio praesente, quam si castae sacrarum virginum aures vulnerarentur. Nec un-

---

ciales s. quadratas literas Romanos minusculis etiam et rotundioribus scripsisse acriter contendit. Sed dudum iam disputationibus intelligentum hac in re iudicum ad liquidum perductum est, literas apud Romanos non forma, sed modulo tantum, prout res postularet, diversas fuisse. Docuit hoc superiore iam seculo Vir doctus apud Gallos, cuius utilissimus de fructu peregrinationum liber immerito hodie obsolevit, necdum post nuperam Koehleriani eiusdem argumenti libri editionem a Kinderlingio profectam eviluit, *Bandelot de Dairval, de l'utilité des Voyages* (Paris, 1686.). Vol. II. p. 494. seqq. Adde Allatii animadversiones in antiquitates Etruscas §. 29. 30. et qui mira sollertia otium fecit omnibus, hac de re in posterum scripturis, *Swintonum de literis Romanis*. Ceterum facile apparet, literis maiusculis Catonem monumenta historica eo consilio exarasse, ut grandior literarum modulus acrius feriret oculos filii, et, quae his literis perscripta essent, altius demitterentur in animum eius. Scilicet idem sensit Cato, quod, licet in alia re, praecepit Horatius: „segnius irritant animos demissa per aurem, Quam quae sunt oculis commissa fidelibus." — Nostra quoque aetate, inventorum, quibus puerorum in elementis discendis nausea expugnetur, feracissima varias eiusmodi artes excogitatas esse, neminem fugit. Quis temperare potuit a risu, cum magno plausu excipi videret Basedovium, quod in libello nescio quo auctor fuit parentibus, ut literis maiusculis opere dulciario nitide effictis pusiones suos ad elementa celerius arripienda allicerent? Hoc vero est, quod aiunt, helluari in literis. Saniora sunt, quae in simili argumento monuit Ven. *Kappius* in libello lectu iucundissimo liberaliorisque doctrinae plenissimo: *zur Erholung für Lehrer und Schulfreunde*, II. St. p. 191. ubi cavendum monet, ne tironum manibus terantur libri, minutissimis literis impressi. Hisce enim non tantum hebetari et obtundi aciem oculorum, sed difficilius etiam inhaerere animis, quae istiusmodi librorum inspectione tradenda sint memoriae. Hinc superioribus seculis, in quibus omnes fere libri in forma maxima et modulo literarum grandiore excusi publicarentur, exstitisse in orbe erudito longe plures, qui integros auctores classicos ita infixissent memoriae, ut post longum annorum intervallum nil efflu-
xisse sibi faterentur. At quotusquisque recentiorum idem de se praedicare ausit? Nimirum mirabundos caput quassare vel toto corpore adeo cohorrescere videas multos, qui amatores literarum sese iactitant egregios, cum bibliothecis unius horulae suaviter fallendae gratia inambulantes tot 17
tantae molis conspiciunt volumina, eaque a maioribus nostris diurna noeturnaque manu versata esse accipiunt. Hic vero mirum in modum exosculantur festivitatem seculi nostri, quo compendiaria ad eruditionem via reperta e diurnis aliisque id genus ἐγχειριδίοις sacculi mensuram non excedentibus (*im Taschenformat*) abunde sapere et bellissimum quodque inde decerpere sibi liceat. Scilicet e Callimacho didicerunt belli isti et comtuli, τὸ μέγα βιβλίον ἴσον τῷ μεγάλῳ κακῷ. (fragm. CCCLIX.)

*) Diligentissime cavebant Romani prisci illius aevi, in quo severior disciplina Graecula levitate et luxu Asiatico nondum corrupta fuerat, ne verba nupta et impudica vulnerarent aures impuberum. Valerius Maximus (VI, 1.) in precibus illis ad Pudicitiam tutelarem Romanorum deam

ρων παρθένων, ὡς Ἑστιάδας quam cum illo balneum incaluõσι *)· συλλούσασθαι trasse. δὲ μηδέποτε **).

Iam vero expositis iis omnibus, quae ad singula verba loci e Plutarcho excerpti observare visum fuit, in universum quaedam de summa Catonis in educando instituendoque filio industria subiicere lubet, et si quid sit, quod inde ad nostros quoque usus convertere possimus, indagare. Nam quod Terentianus ille senex mirifice praedicat de filio suo: *inspicere tanquam in speculum in vitas omnium*

---

praemissis: „*Tuo praesidio puerilis aetatis insignia* (praetexta et bulla) *munita sunt. Tui numinis respectu sincerus iuventae flos permanet.*" Hinc ortum putem, ut verba turpicula, quae a pueris praetextatis audiri nefas, *praetextata* appellarent, quod miror praeteriisse eos, qui graviter de origine huius significationis disceptarunt, vid. I. Gronov. ad Gell. IX, 10. p. 555. ed. Conr. et VV. DD. ad Sueton. Vespas. 22. Pertinet huc fragmentum Varronis apud Nonium IV, 41. *Maiores nostri virginis acerbae aures Veneris vocabulis imbui noluerunt.* Ceterum ut Catonis cura in custodienda filii pudicitia eo magis appareat, conferendus est omnino locus Ciceronis in Verrinis III, 68. 69. ubi dissimillimum Verris exemplum in corrumpendo filio praetextato gravissime taxatur et perstringitur a Cicerone.

*) Locus notatu dignus, ex quo apparet, quanta reverentia Vestalem coluerint Romani. Nam hinc quoque intelligitur, quod facile unicuique omnem illam circa Vestam et Vestales religionem perpendenti obvium est, institutum illud sacrarum virginum a Romanis, qui ultra plebeculam saperent, ideo tanta religione servatum esse, tantis in illas praemiis et poenis constitutis, ut haberent matronae et virgines pudicitiae laudatae praemiisque condecoratae exemplar, quod perpetuo intuerentur, absolutissimum. Hinc crimini ducebatur et severe castigabatur in Vestali, si vel munditiis tantum formam excoleret vel iocis hilarioribus animo se remissiore esse ostenderet. Dignum observatu thema apud Senecam rhetorem in Controv. VI, 8. p. 257. ed. Paris. „*Virgo Vestalis scripsit hunc versum: felices nuptae, moriar, nisi nubere dulce est. Rea incesti est.*" adde Liv. IV, 44. et Lipsii Spanhemiique de Vestalibus Syntagmata.

**) Digna sane est res balnearia, quae in historia morum Romanorum diligentius excutiatur, quippe qua praeclare declarari possit, quantum paulatim a pristina severitate deflexerint et ad probrosissimam nequitiam sese abiecerint Romani. Sed separatim de ea agendi locus erit in Excursu ad Martialis nostri I, 24. cui iam dudum inchoato et affecto ob domestica impedimenta et commigrationem in alias terras ultimam manum nos nondum imponere potuisse, valde dolemus. Sufficiat nunc composuisse hunc Plutarchi locum cum altero eiusdem scriptoris in Quaest. Rom. Qu. 50. p. 165. b. (totus iste libellus, reconditae doctrinae plenus,
18 sed corruptissimus flagitat Wyttenbachii aut Beckii curam salutarem et eruditionis lumina); ubi respondetur ad quaestionem, cur flamini Diali sub dio ungi non licitum sit? πότερον, ὅτι καὶ παῖδας γυμνοῦσθαι, πατρὸς ὁρῶντος, οὐχ ὅσιον ἦν οὐδὲ καλὸν, οὐδὲ συνελούοντο τὸ πάλαι ἀλλήλοις.

iubeo, *atque ex aliis sumere exemplum sibi*, nobis quoque, qui educandis et humanitatis quasi pastu alendis adolescentulis operam nostram dicavimus, dictum esto. Atque hic primum se nobis offert in Plutarchi narratione Catonis, *sapientissimi* viri (vid. Cic. de Senect. c. 2.), mira sollertia, qua educationem filii a teneris, quod aiunt, unguiculis ipse moderari haud gravatus est. Operae pretium est, legere absolutissimam huius viri laudem apud Livium (XXXIX, 40), qua quid magnificentius uspiam in ullum hominem dictum sit, non video. Sed exsplendescunt prae reliquis illa verba: *Huic versatile ingenium sic pariter ad omnia fuit, ut natum ad id unum diceres, quodcunque ageret.* Nimirum si Catonis in educando filio spectes industriam, ad hoc unum negotium natus factusque esse, in hoc uno omnes ingenii animique intendisse nervos videtur. Perfectissimum boni praeceptoris exemplar nostra aetate delineare instituit Roussaeus in illo homine, cui Aemilii sui fingendi formandique provinciam datam esse perhibet. Atqui quae educatori suo inesse finxit iste, fere omnia reapse deprehendere licet in Catone nostro. Adstat filiolo matris ubera sugenti, et ne qua noxa seu lavacro seu fasciis adstrictioribus infanti tenero inferatur, prospicit. Non vi neque verberibus grassatur, sed ab omni hac servili contumelia liberum esse vult puerum ingenuum, ad artes liberaliores discendas comitate et liberalitate, non metu et vultuosa magistri truculentia compellendum. Ipse illi ubique custos adest et vigilantissimus morum magister. Adhaeret lateri eius, comitatur in campum Martium, docet armaturae numeros, deducit in forum, in villam. Quid multa? nil praetermittit eorum, quae exspectari possint ab homine, qui se totum consecravit huic operi. Iam si fando acciperemus, hominem aliquem curis et negotiis plane exsolutum, tranquillitate summa in he- 19
rediolo suo delitescentem, tantam in educando filio adhibuisse diligentiam, nonne cumulate satisfecisse illum officio suo, et quo rariora esse solent haec paternae caritatis et industriae exempla, eo maioribus laudum praeconiis extollendum istud esse existimaremus? Verum enim vero fecit hoc princeps Romani populi, Marcus Cato Censorius,

idem orator, idem historiarum conditor, idem iuris, idem rerum rusticarum peritissimus, inter tot opera militaria, tantas domi contentiones, tot clientum interpellationes, tot in curia et apud populum deliberationes, fecit Romae, ubi, teste Horatio, *aliena negotia centum Per caput et circa saliunt latus.* Nec Catonem tantummodo pro ignea, quae in illo fuit, vi atque alacritate, tot tantasque in filio educando subiisse molestias arbitremur. Plura exempla, eaque illustrissima enumerari possunt in historia Romana, quibus solemne hoc fuisse summis in republica viris, manifesto declarari potest *). Desinamus igitur mirari, desinamus quaerere, quibus artibus Roma caput orbis terrarum facta sit et tam felici proventu virorum omni laude maiorum floruerit. Sed desinamus etiam mirari, et causas longe arcessitas ambitiose conquirere, qui fiat, ut hodie in tanta literarum luce, in tot tantisque educationis institutionisque rite instituendae praesidiis et adminiculis, in tanta scholarum bene constitutarum copia, plerique iuvenes iis parentibus orti, qui in censum plebeculae et infimi ordinis referri nolint, spem de se conceptam turpiter frustrentur. Praeceptorum in utramque aurem secure dormientium segnitie et oscitantia, vel condiscipulorum contagione pestifera hoc accidere, indignabundi fremunt et vociferantur parentes. Iam vero, etsi ego is non sum, qui partium studio abreptus, praeclarae indolis iuvenes aut intempestiva magistrorum indulgentia aut pessimo commilitonum morbum suum reliquis affricantium contubernio interdum corrumpi, praefracte negem: tamen et hoc scio et meo iure mihi contendere posse videor, culpam saepissime haerere in domestica parentum disciplina partim plane ne-

*) Luculentum huius rei exemplum praebet P. Aemilius apud Plut. in Aem. p. 258. B. ὁ δὲ πατὴρ, εἰ μή τι δημόσιον ἐμποδὼν εἴη, παρῆν ἀεὶ μελετῶσι καὶ γυμναζομένοις (sc. liberis). Hinc Plinius in pulcherrima epistola, ubi describit severiorem maiorum educationem VIII, 14. „*Suus cuique parens pro magistro;*" cf. locum classicum de eadem re in *dialogo de clar. orat.* c. 28. ad quem locum commodam cum nostris temporibus comparationem instituit nuperus editor, Cl. *Schulze*, p. 115. Ciceronis testimonia de opera, quam ipse in filium suum instituendum impendit, collegit *Meierotto* in disputatione Heynio inscripta: *cur Ciceronis filius minus bene institutus?* Alia, in quibus eminet Augusti exemplum, dabit Ernest. in Opusc. Phil. p. 36.

glecta, partim perperam et praepostere instituta. Vetus est haec cantilena, scio. Sed eadem medicina saepius adhibenda, si morbus perstat. Facere igitur non possum, quin hic quoque urgeam errorem, valde illum exitiabilem, quo teneri videmus parentes etiam satis industrios, qui negotiis in munere suo obeundo vel re domestica tuenda se impediri clamant, quo minus liberis a tenera aetate ad honestatem humanitatemque fingendis vacare possint. Speciosa sane oratio, et ad fallendum composita, qua tamen, qui negotia illorum hominum accuratius inspexerit, fucum sibi fieri non patietur. Quotusquisque enim eorum, qui vel publico aliquo munere funguntur, vel honesto vitae genere victum et opes sibi quaerunt, tot tantisque distrahitur negotiis, ut non horas aliquot subsecivas quotidie vel animi oblectandi causa lucrifacere, vel, cuicunque rei libitum fuerit, possit impendere? Quae quidem qua ratione melius collocari, quove oblectamenti genere dulcius falli possint, quam ore blaeso infantum literarum pronuntiatione formando, confabulationibus domi cum liberis habendis, aliisque id genus exercitiis instituendis non video. Sed taedet pigetque plerosque honestarum eiusmodi cum parvulis oblectationum, qui si vel unam horulam cum iis versari, et molestiae aliquid in coercenda refrenandaque levitate puerili devorare debeant, aestuant, anhelant, stomachantur, onusque intolerabile et Aetna gravius cervicibus suis impositum esse, lamentantur. Hi fere sunt, qui negotiis suis, tanquam compedibus, exsoluti, rerum domesticarum et liberorum cura susque deque habita, liberrime circumvolitant per aedes vicinorum, rumusculos spargunt ab otiosis famigerulis latius disseminandos, circulos faciunt in foro, in plateis, auribus escam capiunt, et, cum advesperascit, vel de die adeo in deversorium aliquod seu gurgustiolum sese abscondunt, ubi chartis lusoriis affixi parum cogitant, pueris interea ad omnem nequitiam et libidinem fenestram aperiri. Atque haec sunt illa negotia, quae socordiae suae et negligentiae praetendunt parentes haud pauci, quovis alio nomine, quam sanctissimo parentum digni, qui quidem laute se administrasse munus parentum existimant, si 21
parvulos primum nutriculae tuendos commiserint, dein cum

paululum adultiores facti sint, *informatorem* aliquem, quem vocant, mercedula quantum fieri potest tenuissima conducendum, iis praefecerint. Non puduit Catonem iisdem manibus, quibus gubernacula reipublicae saepe numero tenuerat, imbecilla infantis filii membra sustentare; eodem ore, a quo Senatus Populusque Romanus mirabundus saepe pependerat, et prudentissima rerum domi forisque gerendarum acceperat consilia, balbutienti filio prima literarum tradere elementa; eodem stilo, quo omnes Italiae et populi Romani origines, quo eloquentiae praecepta et orationes, quo rei bellicae et agriculturae rationes victuris explicaverat chartis, exarare historiolas et literis diligenter pictis in usum filii describere. At piget nostrates homines, privatos illos et vix millesima parte eorum negotiorum, quae talis vir sustinuit, implicitos manus admovere educationi liberorum, hoc est, sanctissimo, quod deus, quod natura illis iniunxit, negotio; taedet laborum in imbecillitate, quae utique ferenda est in illa aetate, toleranda, nec pudet haec palam prae se ferre et in negotiorum multitudinem, quae quilibet cognoscere potest et tanquam ungues digitosque suos enumerare, in impotentiam et iracundiam suam, quam compescere debuissent et retundere, antequam patres fierent, omnem hanc culpam conferre et derivare. Quos quidem, ne nimium his querelis *) indulgeamus, compellare liceat ad finem versibus gravissimis Satyrici (Iuven. XIV. 70. seqq.):

Gratum est, quod patriae civem populoque dedisti,
Si facis ut patriae sit idoneus, utilis agris.
Plurimum enim intererit, quibus artibus et quibus hunc tu
Moribus instituas.

*) Temperare tamen mihi non possum, quin adscribam locum gravissimum e Niclasii epistola ad Eyringium, qua magni praeceptoris sui Gesneri vitam privatam et rationes domesticas egregie explicavit. Ostendit Gesnerum inter tot tantaque negotia, quibus eum quotidie circumvallatum fuisse et obsessum credibile est, liberorum educationi sedulo operam dedisse. Iam pergit: „*Sic suos instituit Gesnerus, cuius vita laboribus districta fuit. Quid tandem efficere poterant patres, qui a literis non debebant esse destituti, quorum animus marcet otio, qui — perhorresco reverentiam muneris, quorum filii esse debebant generis humani specimina, qui vero sunt plerumque — sed malo me reprimere.*" I. M. Gesneri biographia Academica ed. Eyring. Vol. III. p. 45.

VIII.

AD LOCUM
CICERONIS IN CATILINAM
III. 8, 9. PROLUSIO *).

Absoluimus nuperrime in scholis nostris Ciceronianis 3
Catilinariam tertiam, quae quidem quamvis minori cura elaborata atque elimata videri queat, quam quae adhuc leguntur, Ciceronis orationes reliquae, quippe quam orator, cum totum diem in Senatu rerum suarum sategisset, advesperascente iam coelo, subito ac sine ulla commentatione coram populo profuderit **); nemo tamen, qui accuratius illam cognoscat, et vel sententiarum gravitatem, vel verborum copiam et ornatum spectet, Ciceronem in illa desideraverit. Variis ab exordio usque ad finem distincta est eloquentiae luminibus. Aculeos ubique figit orator, qui relinquantur in auditorum animis. Sed placuit praecipue atque eos etiam, quibus haec interpretaremur, suavissime 4
affecit ille locus c. VIII et IX., qui est de providentia deorum et praesenti auxilio Iovis Capitolini, urbis ac imperii custodis, valde congruus ille et accommodatus ad popularem opinionem de variis deorum significationibus et ostentis corroborandam, plebemque variis religionum terroribus

*) Prodiit Budissae a. 1791.

**) Tenendum tamen, id quod penitus infixum esse volumus omnibus, qui recte haec aestimare volunt, orationes, quotquot ex antiquitate supersunt, plerasque omnes post demum literis esse perscriptas, quam publice habitae essent, quod etiam monere non neglexit Cl. *Wolfius* in praestantissimo, quo nuper omnes *φιλέλληνας* beavit, commentario ad Demosthenis Leptineam p. 301. Ciceronem etiam, quamvis diu multumque commentaretur, quoties tempus suppeteret, et in commentariis etiam, quae maxime necessaria putaret, perscriberet (vid. Quint. X, 7. 30. et Middletonium in vita Ciceronis Vol. II. p. 103. ed. Basil. noviss.), vix ullam orationem prius literis mandasse, quam habita esset, satis constat; vid. Fergusonium in historia reip. Rom. T. II. p. 291. et ibi *Beckium in vers. vers.* Atque de hac ipsa oratione Catilinaria luculentus exstat locus in epistolis ad Atticum II, 1. p. 169. Graev. ubi Cicero iis in orationibus, quas ad excitanda adolescentulorum studia se scripsisse profitetur, commemorat etiam hanc nostram in concione habitam, *quo die Allobroges involgarunt* (sic enim omnino legendum, patebit conferenti Gronovii et Otheni notas ad Gell. N. A. III, 11. p. 293. de voce *involgare*).

coercendam *). Tantum autem exsplendescit in hoc loco Consulis prudentissimi, oratoris summi artificium, ut dignum omnino videretur, in quo diligentius contemplando paulo plus studii et operae consumeremus, quam in scholis publicis, quae subtiliores eiusmodi uberioresque disputationes non capiunt, nupera istius loci interpretatione impendi potuit. Haud scio igitur, an operae pretium facturi simus, si, quae commodum sese nobis obtulit scribendi et de nostris literis h. e. humanioribus disserendi aliquid, occasione ita utamur, ut omnem artem, quam Cicero in hoc loco adhibuit, copiosius explanemus, et qua sollertia, quanta dexteritate populares de deorum numine opiniones in ipso temporis articulo, quo cum maxime illis opus esset, in usum suum converterit, dispiciamus. Sic fiet, ut disciplinae nostrae alumni, quorum commoditatibus toto hoc scribendi genere consultum et prospectum volumus, non solum vim omnem et artificium loci penitius cognoscant, et in interiora vel postscenia quasi admissi totum mimum, quomodo peractus sit, introspiciant, unde non potest non honestissima ad eos redundare delectatio: sed specimen etiam habeant loci Ciceroniani copiosius illustrati, cui, literarum quippe formulis exscripto, diutius immorari et intelligere queant, quam varia lectione et multiplici eruditionis supellectili ad unum tantum Ciceronis locum haud adeo impeditum et difficilem accuratius excutiendum et perspiciendum opus sit **). Sed praestat adire ipsum Cicero-

*) *Nulla* enim *res*, quae pulcherrima est sententia Curtii IV, 10. 7. *efficacius multitudinem regit, quam superstitio; alioqui impotens, saeva, mutabilis, ubi vana religione capta est, melius vatibus, quam ducibus suis paret*, ubi vid. Freinsh. et adde Lips. Polit. I, 3. p. 207. T. IV. Opp. e quibus Lipsii collectaneis, ut hoc obiter moneam, passim areolas suas irrigarunt nostrae aetatis Francogalli homines, Mablius, Condorcetius, alii, non indicato auctoris, quo profecerunt, nomine.

**) Nimirum alibi iam monuimus, scholarum magistris, quos in seligendo prolusionum argumento saepe fluctuare accepimus, et tanquam in incili haerere, suadendum esse, ut decerpant particulam aliquam eius auctoris, in quo publice explicando cum maxime versantur, uberius et quasi speciminis loco explicandam. Nec nunc poenitet nos eius consilii, cui calculum adiecisse idoneos harum rerum arbitros ex ephemeridibus literariis intelleximus. Norunt omnes, quibus in eadem nobiscum palaestra desudandum est, quam angustis limitibus circumscriptae sint plerumque praelectiones illae, in auctores classicos coram tironibus habendae. Hic tibi maxima iuvenum variae aetatis ac indolis turba circumfuso sexcenta

nem, cuius in hoc loco artificium ut eo dilucidius appareat, pauca de universo totius orationis argumento delibanda sunt 5 et praemittenda, ut in rem praesentem ducantur lectores nostri.

Quod summa ope dies noctesque iam dudum quaesi- 6 verat, ut serpentem intra viscera reipublicae et indies latius manantem pestem protraheret, protractam expelleret et eradicaret stirpitus, felici quodam reipublicae fato praeter opinionem subito consequutus erat Consul Cicero. A. d. III. Non. Decembr. legati Allobrogum, qui literas coniuratorum ad Catilinam et gentis suae proceres perferrent, a duobus Praetoribus in ponte Mulvio, ut inter eos convenerat, comprehenduntur, et, cum iam dilucesceret, in urbem retracti ad Ciceronem deducuntur. Antelucano offi-

---

undique obiiciuntur impedimenta, quo minus plura, quae in promtu sunt, ad auctorem tuum illustrandum proferas. Interpellandus tibi est subinde orationis tenor concisis quaestiunculis ad eliciendos auditorum sensus de re qualibet compositis, refraenandi procurrentes, calcar adiiciendum tardiusculis, multa iterum inculcanda, quae ad nauseam et ravim usque iam proclamaveris. Quid multa? nisi lectionem nimis lento, et, ut Comicus ait, testudineo gradu procedere velis, vix pauca delibare poteris ex ingenti acervo et carptim perstringere ea, quae ex antiquitatibus, historia, similibus locis ad locum aliquem probe et enucleate explicandum conferenda fuissent. Atqui habet haec res hoc incommodi, ut praeclarioris indolis adolescentuli semper in eundem fere paucarum et frivolarum observationum gyrum redigantur et praeter libellos quosdam in scholis tritos, ieiunos illos plerumque et valde exsuccos, uberiorum fontium notitiam, unde honestissimam literarum sitim sedare possint et extinguere, aut plane nullam habeant, aut valde exiguam. In paedagogio Ilefeldano Heynius, Vir Summus, affirmat (in libello lingua vernacula scripto: *Einrichtung des Paedagogii zu Ilefeld*, qui nuper insertus iterum est collectioni rei scholasticae inservienti, *Magazin für Schulen*, P. I. et II.) haberi lectiones *suppletorias*, in quibus liberius evagari liceat praeceptoribus et explere lacunas, in lectionibus solemnibus observatas. Nos, qui magis praedicare possumus ista instituta, quam assectari, saltem ex parte aedebimur isti malo, si quotiescunque se nobis obtulerit occasio scribendi de rebus scholasticis, auctoris, quem explicavimus in scholis, locum uberius illustrandum sumamus, recentiorum interpretum in hac re morem imitati, non contemnendum illum aut vituperandum (quod perperam fecisse videtur Cl. *Meierotto in dubiis de editionibus auctorum classicorum Heynio inscriptis* p. 124.), quo veterum scriptorum editionibus Excursus ad loca difficiliora attexere visum fuit. Denique hic etiam exscribere liceat verba Heynii l. l. „Der Begriff von dem Umfang der Vorbereitungsstu„dien erweitert sich, wenn man dasjenige vor sich liegen sieht, was in „diesem Fache geschrieben ist; selbst der Anblick der nöthigen Hülfsmit„tel reizt zur Arbeit: nichts verengert dagegen den Gesichtskreis der „Kenntnisse auf vielen Schulen so sehr, als dass die Lernenden vom gan„zen philologischen Vorrath nie etwas mehr zu hören oder zu sehen be„kommen, als etwa ein paar Ausgaben von Sincerus oder ähnlichen mehr."

cio frequentes convenerant in aedibus Consulis clarissimi senatorii ordinis viri. Vestibulum et atrium iunioribus, id est, equitibus stipata. Arcessuntur interea coniurationis principes, Lentulus praetor, Cethegus, Statilius, Gabinius, nihildum suspicantes, et, quae erat supina eorum oscitantia, vixdum somno expergefacti. In aedem Concordiae celeriter cogitur Senatus. Mittuntur, admonitu Allobrogum, qui ex aedibus Cethegi maximum efferant sicarum et gladiorum numerum. Primus in Senatum introducitur Vulturcius, cuius indicium confirmant Allobroges. Mox scrinium affertur, in quo literae coniuratorum. Tergiversari primum coniurati, mox apertis indiciis convicti obmutescere. Aperta, transacta iam omnia. A principibus Senatus acerrimae fortissimaeque dicuntur sententiae. Praetura sese abdicare cogitur Lentulus et cum reliquis abducitur in custodiam liberam. Amplissima Consuli, quod urbem incendiis, cives caede, Italiam bello liberaverit, decernitur supplicatio. Quae dum in aede Concordiae gererentur, et, ut fieri par erat in re gravissima, a mane usque ad vesperam agitarentur, qualem trepidationem in universa civitate, quem concursum populi ad forum, quantum tumultum factum esse, consentaneum est? Pervagata erat urbem fama, legatos Allobrogum multo mane in itinere comprehensos et comitatu maximo ad Consulem esse deductos. Viderant discursare in urbe accensos, viatores, apparitores, concurrere Senatores, volitare in foro cum manu armatorum Sulpicium praetorem. Acceperant, prodisse Consulem in aedem Concordiae magno equitum et clarissimorum virorum comitatu stipatum, et Lentulum, quod praetor erat, manu ipsius Consulis deductum esse. (Sallust. Cat. 46, 5.) Quibus rebus, quas vel ipsi viderant, vel fando acceperant, facile omnes iam coniectura assequi poterant, deliberari in Senatu de summa republica, cui nefariis consceleratissimorum civium machinationibus
7 crudelissimum exitium imminere, iam dudum cognoverant. Et dum pro se quisque vel timet vel sperat, et vulgaribus rumoribus certiora nosse cupit, nonne verisimile est, unumquemque, relictis rebus omnibus, illuc advolasse, quo, aut necessitate urgente, aut otii fallendi causa, quid-

quid ubique incolarum et civium esset, confluëret? Quantam tunc tunicati popelli et opificum e tabernis circa forum positis colluviem, quantos subbasilicanorum, subrostranorum et urbanae plebis, cuius ventosam levitatem et in rumusculis aucupandis alacritatem toties notant veteres *), quantos circulatorum clamores toto foro perstrepuisse, credibile est? Quid multa? Etiamsi urbs tunc temporis tam incredibili incolarum multitudine nondum abundavit, qua sub Augusto et Caesaribus affluxisse fertur, et magnus civium numerus partim Pompeium in Mithridaticam expeditionem sequutus, partim inter copias Antonii et Metelli descriptus aberat ab urbe, minime tamen a veritate abhor- 8
rore videtur, multa illo die millia hominum in foro congregata fuisse **).

*) Si quis Romam antiquam non secundum aedificia tantum et moenia, id quod sexcentis iam factum voluminibus, sed secundum mores, studia, opificia, negotia domestica et privata et quae sunt id genus alia sigillatim describere et tabellis quasi graphice delineatis adumbrare vellet ad eam fere rationem, qua nostra aetate Mercierius Lutetiae (*Tableau de Paris*), Pennantius Londini pulcherrimas efformarunt imagines, integro eum capite ad vivum depingendi essent mores forensis istius turbae et male feriatorum hominum, qui totos dies in foro Romano, ad mensas argentariorum, in tabernis, in basilicis, sub rostris, propter canalem desiderent, circulos facerent, rumores captarent et disseminarent, otioque ac segnitie marcescentes turbarum civilium essent studiosissimi. Lepide describit ac ridet eiusmodi homunciones Plautus in pulcherrima scena Curcul. IV, 1. cf. Trin. I, 2. 161. Innumeris veterum locis lux affulgebit, si mores illorum hominum probe perspexeris. Sed cave, omnes eodem loco ac numero fuisse putes. In classes distribuendi sunt. Melioris loci et ordinis fuerunt, qui *subrostrani* audiunt Coelio in Epp. Cic. VIII, 1. *subbasilicani* Plauto Capt. IV, 2. 25. *canalicolae* Festo, *assidui*, *scurrae*. Deterioris conditionis illa plebs urbana, (quorum infimi ὄχλοι καὶ ἀνίδρυτοι in oratione T. Gracchi apud Plut. in vit. Gr. p. 828. D. Lazzaronis Neapolitanis comparari possunt) in agrariis motibus semper concitata, τοῦ πανὸς ὑπέκκαυμα πλήθους Plut. in Caes. p. 711. C. quam faecem urbis, hirudinem aerarii appellat Cicero. Consulunt tirones, dum copiosius alibi de iis agendi occasio aderit, Casaub. ad Theophrast. Charact. p. 83. Fisch. I. Fr. Gronov. de Pec. Vet. IV, 2. Cort. ad Sallust. p. 226. VV. DD. ad Liv. IX, 46. et, quos in primis adiisse iuvabit, *Meierotto über Sitten und Lebensart der Römer*, Vol. I. p. 5. seqq. *Meiners Geschichte des Verfalls der Römer*, p. 75.

**) Quanta iam Ciceronis aetate Romae fuerit incolarum multitudo, argumento satis probabili colligere possumus vel ex illo loco Plutarchi in vit. Cic. p. 876. C. ubi Ciceronem accusatum διαμυρίων οὐκ ἐλάττονς νέων καρηκολούθουν. Procedente tempore in infinitum crevisse hunc numerum, ut merito Roma *generis humani capax* appellata sit a Lucano, satis constat. Iam dudum tamen explosae sunt sententiae Lipsii et Vossii, quorum prior de Magnit. Rom. III, 3. p. 759. Opp. quatuor ut minimum milliones, posterior in Observationibus, p. 26—34. plus quam XIV

Atqui fugere non poterat vigilantissimum Consulem, qui non solum eloquentiae, sed etiam prudentiae arcem tenuisse putandus est, passim gliscere in hac ipsa turba seditionis igniculos, arrectam esse ad res novas moliendas plebem urbanam (vid. Sallust. Cat. 37.) et, signo dato, facile conglobari, eripere custodiis coniuratos atque in ipsam curiam irrumpere posse. Et maxime suspecta fuisse Ciceroni plebis studia in coniuratos non solum e tota Catilinaria secunda, in qua sollicitudinem istam aperte prae se fert orator, sed e loco etiam, in quem convocaverat Senatum illo die *), et ex armata equitum manu, qua circumsep-

---

milliones (liceat enim compendii causa hac voce uti) Romam incoluisse, demonstrare conati sunt. Optime in hoc argumento expediendo versatus est post *Humium* (Essays Vol. I. p. 450—57.) nostri aevi historicorum princeps *Gibbon in History of the Decline and Fall of the R. E.* Vol. I. p. 535. seqq. ed. Basil. qui calculo bene subducto, conficit incolarum duodecim centena millia. Alia e veterum ICtorum monumentis haud protrita dabit *I. G. Estor Anmerkungen von der Höhe derer Gebäude zu Rom und der Menge dasiger Einwohner* in Opusculis selectis (Giess. 1733.) T. I. p. 440. seqq.

*) Magni interest, ad totam hanc orationem et omnem omnino rei eventum cognoscendum, an probe calleas singularum aedium, templorum, aliorumque locorum in foro Romano situm et descriptionem. Haud exiguam profecto gratiam inierit a tironibus, qui veteris Romae delineationem, curiosius concinnatam et parvo parabilem, aere exprimi curaverit. Nam, qui nuperrime huic desiderio se satisfacturum promisit, Keyserus, librarius Erfordiensis, evulgavit ille quidem tabulam veteris Romae Nitschii antiquitatibus annexam, et separatim iam divendendam, sed, quod maxime dolendum, archetypum, ad quem istam tabulam effinxit, plane esse nugatorium et mille naevis deturpatum nesciit. Sic, ut ad propositum revertar, tenendum est hoc loco, aedem Concordiae, cuius hic crebra mentio, (fuerunt enim plures) sitam fuisse ad ascensum clivi Capitolini, gradibus aliquot super planitiem elatam, foro comitiisque imminentem, εἰς τὴν ἀγορὰν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἄποπτον ἱερόν, Plut. in Cam. p. 151. E. Atque ex hoc situ intelligitur, cur Cicero in tam dubiis et angustis rebus civitatis huc potissimum convocaverit Senatum. Poterat enim ex hoc loco, natura et arte munito facilius propulsare adversariorum impetus. Capiebat ingenium loci equites cum armis circa aedem excubantes, vid. Cic. Philipp. VII, 8. pro Sext. 12. Sallust. Cat. 49. Extant adhuc nostris temporibus, et ob excelsiorem situm a peregrinatoribus scanduntur parietinae huius aedis in campo Vaccino, a Palladio iam diligenter delineatae; vid. *Volkmanns Nachrichten von Italien* Vol. II. p. 518. Sed antiquarii passim hanc aedem cum aliis eidem deae consecratis confuderunt, qua in re peccavit etiam *Adlerus* in compilatione multis alioqui nominibus commendabili: *Ausführliche Beschreibung der Stadt Rom*, p. 243. et 256. ubi aperte templum Camilli cum altero, quod Opimius dedicavit, et tertio in area Vulcani excitato (Liv. IX, 46.) permiscetur. Saniora dabit *Al. Donatus in Roma Vet. et Recent.* II, 5. p. 121. et inprimis II, 14. p. 151—55. quem verissimum omnino sagacissimumque antiquitatis indagatorem longo usu experti cognovimus et ab Heynio etiam, Viro Summo, valde commendari accepimus.

serat aditus ad aedem Concordiae, liquido apparet. Porro 9
autem, cum, misso Senatu, rem totam illico aperire constituisset Quiritibus oratione pro rostris habenda, facile intelligebat, quantum in hac ipsa exultabundi animi laetitia et congratulatione capiti suo immineret periculum, dum rem totam, quomodo peracta esset in Senatu, sigillatim exponeret. Immiscuerat sese populo, qui circumsistebat oratoris suggestum, haud dubie magnus eorum numerus, qui clam faverent coniuratis, clientes et socii eorum, quos indicta apud populum causa duci iusserat Consul. Horum nefarium furorem vel maxime sibi in rostris verba facienti timendum *), horum impetus, ni vim vi repellere vellet, arte compescendos esse, caute praeviderat. Quid verbis opus est? Egregio aliquo et plane divino opus erat artificio, quo populum pariter ac semet ipse omni sollicitudine 10
liberaret, factiosae plebi et refractariae frena iniiceret, et, quod caput rei erat, omnem facti invidiam prorsus a se amoliretur. Nec defuit viro prudentissimo consilium ex re ipsa natum. Nil ad plebem flectendam permovendamque efficacius esse religione et inveteratis de portentorum vi et procuratione opinionibus, probe meminerat. His igitur utendum sibi esse censet, et quod poetas tragicos in fabularum partibus apte describendis cavere iubet Horatius, *ne deus intersit, nisi dignus vindice nodus inciderit*, in hoc quoque *πολιτεύματι* non negligit Cicero, egregius totius rei artifex. Iovem, tanquam ex machina deum, tempestive admodum et opportune advocat. Quod quo pacto effecerit, age, paulo accuratius iam dispiciamus **).

*) Scilicet terrere poterant Ciceronem aliorum oratorum vestigia, quae in Gracchanis tumultibus et prioribus discordiis saepe rostris (*templi auguratis* Cic. in Vatin. c. 10. religione susque deque habita) deturbatos et male mulcatos esse non nesciebat. Sic in Apuleiano tumultu, qui Apulei legem dissuadere conabantur, *κατεπήδων ὑβριζόμενοι ἀπὸ τοῦ βήματος*, Appian. *Εμφ.* I, 30. T. II. p. 43. Schweigh. Sic Cato e rostris rapitur apud eundem *Εμφ.* II, 11. p. 189. cf. Plut. in Gracch. p. 830. A. in Cic. p. 872. B.

**) Ne quis opinetur, actum nos agere, et putida diligentia, quae ab aliis satis superque exposita sint, recoquere, monendum esse duximus, omnes, quos quidem consulere licuit, qui vel Ciceronis vitam, vel omnes omnino illius aetatis res gestas iustis voluminibus complexi sunt, memorabilem hanc de Iovis simulacro historiam vel plane omisisse (ut Ferguson in historia relpubl. Rom. Vol. II. p. 311. seqq. vers. vern.) vel, si

Biennio antea Cotta et Torquato Coss. (A. V. C. 688.) multa passim nuntiabantur facta esse prodigia. Nam cum forte illa aestate plures exortae essent tempestates cum tonitru et fulminibus, fulminis etiam ictu multa laesa et, quod e situ Capitolii facile declarari potest, imo quotannis fere in tanta aeris et metalli illic congesti copia accidisse videtur, in ipso Capitolio *complures res* (sic enim omnino cum Ernestio legendum) de caelo tactae, tabulae legum aeneae liquefactae, Nattae cuiusdam vel Attae statua discussa, Lupae Romulum lactentis simulacrum percussum, et quod in statua altiori columnae imposita facillime usu ve-
11 nire poterat, signum ipsius Iovis dispulsum et disiectum est *). Quae quidem omnia ex augurali Romanorum disci-

---

attingerent et verbis e Cicerone petitis explicarent (quod fecit *Middletonius in vita Ciceronis* Vol. I. p. 205. 6. et Praeses Divionensis Brossius [*de Brosses*] in praeclaro opere, quo Sallustianae historiae iacturam sarcire nobis studuit, *Histoire de la république Romaine dans le cours du VIIme Siècle par Salluste* T. III. p. 150. seq.), callidum huic rei Ciceronis inventum subesse, minime subodoratos esse. Quod quidem eo magis mirari subit, quod in luculenta Dionis Cassii narratione XXXVII, 34. p. 133. Reim. manifesta totius fraudis facile deprehendas vestigia, et Middletonius, ut erat mira in his indagandis sagacitate, aliud prodigium proxima nocte in sacris Bonae deae factum (Plut. in Cic. p. 870. C.) aperte ad piam Ciceronis fraudem refert, qua dolo cum uxore Terentia composito superstitiosae plebi fucum fecerit; *Life of Cicero Vol. I. p.* 209. 10. *Bas.*

*) Columnae impositum fuisse Iovis signum illud, quod fulmine prostratum populo tantum terrorem iniecit, patet etiam e Dionis verbis XXXVII, 9. p. 117. ἐπὶ κίονος ἱδρυμένον ἄγαλμα Διός, quem locum non neglexit *Th. Ryckius* in doctissimo libello de Capitolio, qui iam non ad manus. Digna in primis, quae notentur, sunt verba Asconii, sive quicunque auctor fuerit scholiorum ad locum nostrum Ciceronis T. II. p. 695. edit. Verburg. „*Percussum fuerat crebris fulminibus Capitolium. Illic Iovis statua sic turbine* (h. e. procella cum fulminibus, vid. Heyn. ad Virgil. Aen. VI, 594.) *depulsa est, ut caput perderet et mergeret in medio Tiberi.*" (Hinc intelligitur, columnam istam haud procul a praecipitio saxi Tarpeii, ripae Tiberis proximo, vid. Liv. V, 49. Donat. II. 3. 116, erectam fuisse.) Observandum etiam, quod in prodigiis huius anni enumerandis diserte monet Iul. Obsequens c. 122. p. 66. ed. Scheff. signum Iovis *cum columna* disiectum esse. Prolapsa igitur fuerat ipsa etiam columna, turbine correpta et obruta. Hinc lux affulget versibus Ciceronis, quibus ipse nobilitaverat hoc prodigium in carmine *de consulatu suo*, cuius fragmentum pulcherrimum extat de Div. I, 12. ubi haruspices iubent

stragem horribilem, caedemque vereri —
Ni post *excisum ad columen* formata decore
Sancta Iovis species claros spectaret ad ortus.

Fugit hic ratio Ernestium, qui in postrema editione Lambinum secutus edidit *excelsum columen*. Sed postliminio revocanda erit vulgata lectio, non solum Codd. antiquiorum, sed etiam historiae fide nixa. Ab Erne-

plina cum dirissima haberentur prodigia, et pavor vulgi mentes ita excoecasset, ut nil nisi portenta somniarent, passim, ut fit, alia ex aliis nunciabantur portenta et ostenta. (Adde, si lubet, Livium XXI, 62. XXVII, 37. et quae Oudendorpius monuit in praefatione ad Iul. Obsequentis libellum, curis eius L. B. 1720 editum.) Iam 12 magis magisque trepidare populus, (*τῶν Ῥωμαίων πάνυ περιέργων* [sic enim omnino refingendum] *ὄντων περὶ ταῦτα*, Appian. *Εμφ.* I, 83. T. II. p. 115.) et uno ore clamare omnes, facienda sacra *propulsoria*, exposcendam esse pacem deorum, arcessendos ex Etruria aruspices, quod in gravioribus portentis ipsis XII Tabb. legibus sancitum erat (Cic. de Div. II, 9. s. 21.). Morem igitur gestum oportuit populo. Nec tergiversati sunt patres, utpote qui ipsi e republica esse ducerent, admoneri populum de periculo a malis civibus impendente, et, nisi arte provideatur, omnia pessumdaturo. Patrum enim et optimatium consilio haec omnia administrata esse, neminem in dubium vocaturum esse arbitror, qui quam callide usi sint optimates auspiciis et omnibus omnino vanissimae superstitionis terriculamentis, vel unius Polybii, sapientissimi scriptoris, iudicio cognitum habeat et perspectum *); quanquam praefracte

---

stio verba sibi dari passus est etiam Hottingerus, cui tersam admodum et nitidam horum librorum debemus versionem (Turici 1789.) qui sic vertit p. 28.

— wofern nicht Iupiters heiliges Bildniss
Künftig sich *thürmend und hehr* zum heiligen Aufgang erhöbe.

Hinc explicandus etiam est et sanandus Arnobius adv. gentes VII, p. 289. Elmenhorst. ubi exposita hac historia addit: „affuit dicto fides. Nam *sub recto culmine* conversoque ad solem signo patuerunt res abditae." Verba: *sub recto culmine* nullum plane sensum fundunt, nec intellecta sunt ab interpretibus. Omnia plana fient, si coniunctim legas: *subrecto culmine*, h. e. columna iterum erecta. *Culmen*, *columen* et *columnam* eiusdem stirpis vocabula significatione etiam parum differre patet e docta nota Donati ad Terent. Phorm. II, 1. 57. cf. Philandr. in Lex. Vitruviano, et permisceri *culmen* et *columen* post alios observatum etiam a Burmanno Secundo ad Antholog. Latin. T. II. p. 244.

*) Nobilissimum Polybii locum VI, 54. T. II. p. 78. Ern. ubi *τὴν δεισιδαιμονίαν συνέχειν τὰ Ῥωμαίων πράγματα* pulchre docet, certatim laudarunt recentiores v. c. Montesquiaeus *de la grandeur et de la d. des Rom.* c. X. p. 101. Amst. Scilicet doctissimorum virorum disputationibus iam dudum hoc ad liquidum perductum et ad nauseam usque repetitum est, haruspicinam s. disciplinam Etruscam arctissimo vinculo cum prudentia civili copulatam, et quae verba sunt ipsius Ciceronis de Div. II, 12. *reipublicae causa colendam* fuisse. Vide, si tanti est, quos laudat lar-

13 negare non ausim, non latuisse aruspices, quae iam tum parturirent cives pessimi, et potuisse illos, nullo alio sug-

---

gissimus eiusmodi scriptorum promus condus *Meuselius* in Biblioth. Hist. Vol. III. P. II. p. 145. 160. et qui breviter, sed docte et acute omnia complexus est, amicissimus *Beckius* ad Fergusonii hist. Rom. Vol. III. P. II. p. IX—XIV. Sed in tironum gratiam haec in universum addere non pigebit: a) passim hodie peccari in eam partem, ut quod post Freretum (*Mem. de l' Académie des Inscript.* T. IV. p. 411—437.) Heynius duabus commentationibus in Opusc. Acad. Vol. III. p. 198. 255. scite admodum et argute exsequutus est, ubique nobis obtrudant, et tantum non omnia prodigia et portenta ad rationes physicas, veteribus nondum intellectas, in primis ad electricitatem referant. Exemplo esse potest aquila κεραύνοφόρος; vid. *Götz. Allerlei III*, 225. ed. pr. et *Allg. D. Biblioth.* XCVII, 192. Multa eiusmodi prodigia et ostenta, in quorum rationibus physicis investigandis mira comminiscuntur, plane conficta fuerunt, sacerdotum fraude et nugatorum frivolis mendaciis, προσεπιμετρούντων ἔτι πλείω τούτων, ut Luciani in simili argumento verbis utar in Pseudom. 30. T. II. p. 238. Haec apud Plutarchum, Livium cet. utramque faciunt paginam. Haec qui doctis rationibus explicare conantur, ludunt operam, et, quod est in proverbio, de asini umbra litigant. b) longe a veritate aberrare, qui nonnullis veterum testimoniis inducti, v. c. Livii I, 19. in indagandis huius rei primordiis a Numa iam et primis reipublicae conditoribus omnia ita instituta esse arbitrantur, ut populum superstitione devinctum sibi haberent morigerum. Vulgo sic errant, ut primos inventi alicuius vel conversionis in civitate auctores illa omnia iam praemeditatos esse dicant, quae procedente demum tempore paulatim aucta et corroborata talem eventum habuerunt, quem ne animo quidem praecipere poterant auctores primi. Peccavit hac in re Freretus supra laudatus, peccavit Comes *Algarottius* in *Essai sur le paganisme*, Oeuvr. T. III. p. 304. seqq. Scilicet haec omnia patriciorum, ad quos tota religionis procuratio pertineret, solertia paulatim et sero tantum excogitata esse, vel ex iis apparet, quae de libris Numae post aliquot secula repertis et patrum auctoritate combustis memoriae prodita legimus; vid. Joecheri hac de re disputationem, Lips. 1755. Alia haud vulgaria notavit *Koppius*, quem immaturo fato divinis humanisque literis ereptum flent amici per universam Germaniam, in disputatione inaugurali: *Vindiciae oraculorum a daemonum imperio et sacerdotum fraudibus*, Gott. 1774. c) tantam auspiciorum et prodigiorum in republica domi forisque bene gerenda vim fuisse, ut quo quis melior civis esset, eo acrius auctoritatem eorum publice vindicaret, licet Graecorum philosophiae innutritus longe aliter ipse sentiret! Hoc unice, ni fallor, urgere debuissent, qui Livium (vid. XLIII, 13. locum insignem) aliosque historicos ab anilis superstitionis infamia liberare conati sunt, qua de re docte et subtiliter nuper disputavit *I. G. C. Klotzschius de diligentia Livii in enarrandis prodigiis recte aestimanda*. Viteb. 1789. Nec consuluisse poenitebit, qui mira brevitate et acumine paucis omnia comprehendit, Ven. *Herderus* in libro aureolo: *Ideen zur Geschichte der Menschheit*, III, 310. s. edit. min. Atque ad hanc normam exigenda etiam sunt illa loca in Ciceronis orationibus, in quibus superstitioni populari fortissime patrocinatur, magis ad vulgarem sensum, quam ad elimatam philosophorum disputationibus veritatem accommodata. Hinc quae adversis frontibus inter se pugnare videntur Ciceronis sententiae de religionum auctoritate (v. c. de Harusp. Resp. c. X. qui locus est unus omnium gravissimus [*une confession politique*] coll. cum aliis de Div. II, 24. de Nat. Deor. I, 26.) facile conciliari possunt. Quod quidem si bene meminissent, qui *de Theologia Ci-*

gerente consilia, ipsos coniectura assequi, quae praedicerent futura. Quid multa? adsunt aruspices, praedicunt caedes et incendia, iidemque Iovis simulacrum maius 14
fieri iubent, eiusque faciem ad forum et curiam converti, sive, quod eodem redit, orientem solem versus collocari; sic enim fore, ut consilia contra rempublicam inita facilius illustrentur. Itaque nulla res, quae ad placandos deos pertineret, praetermissa est. Interim, ut fit, hac sollicitudine paulatim liberata plebes, et Magni Pompeii victoriis, quae tunc totum orbem impleverant, elata, terrorum istorum prorsus oblita erat. Qua re factum est, ut quod e responso haruspicum in primis urgendum fuisset opus, simulacrum Iovis, quod fulmen misere truncatum decusserat, in excelso loco reponendum, Consulum, qui illud faciendum locaverant, incuria et operarum, ut fit, socordia plane negligeretur. Nec diligentiores in exigendo opere sequentes consules. Verum enimvero non latuit hoc prudentissimi Consulis, Ciceronis, industriam. Corripuerat ille haud dubie statuariorum *) tarditatem, et ut operi diu iam inchoato ultimam manum imponerent, advigilaverat sedulo. Nolebat tamen hanc statuam temere, et quandocunque operariis collibuisset, erigi, opportunitatem rei bene gerendae minime praetermittendam esse ratus, ut pro re nata novo hocce spectaculo et obliterata iam in animis hominum religione vel tumultuantem populum subito compesceret, vel fiducia in praesens deorum auxilium impleret. Iam vero, cum III. Non. Decembr. hoc ageretur, ut pate-

---

ceronis scripserunt bene multi, (vid. Meuselii Biblioth. Hist. Vol. IV. P. I. p. 293.) minus in iudicio super hac re ferendo titubatum esset. Sed his facile carere poterit, qui pulcherrimam Middletonii hac de re disputationem *in vita Ciceronis*, Vol. III, p. 339—49. penitius exploraverit.

*) Graecos fuisse vel Etruscos, qui Romae statuariam fecerint, coniectura satis probabili adducti affirmare possumus. Ἐργαστήριον eiusmodi artificis prope forum reperimus in Appian. *Emp.* III, 3. T. II. p. 396. An Romani fuerint statuarii, diu frustra quaesitum, sed nondum exploratum est. Vide sis praeter ea, quae obiter attigit Heynius in *Sammlung antiquar. Aufsätze* P. II. p. 1. seqq. opus limatissimum et vere, quod ille ait, in arce ponendum *Ramdohrii*, quod inscribitur: *Ueber Mahlerei und Bildhauerarbeit in Rom, für die Liebhaber des Schönen in der Kunst*, Lips. 1787. Vol. III. Plura etiam in hanc rem lectu iucundissima petes a Spencio, cuius praestantissimum opus post acres quorundam censuras nimium eviluisse dolemus, in *Polymeti Dial.* IV. p. 38. seqq.

facta per Allobroges coniuratione, in manifesto crimine deprehenderentur noxii; cum praevideret Consul, quantas turbas, quos motus haec res in urbe concitatura esset; cum timeret, ne coniurati, quos cum custodiis in aedem Concordiae duci iusserat, vi et armis sibi eriperentur; cum intelligeret denique, quantam vim in animis populi superstitione praepeditis repentinus illius statuae adspectus esset habiturus, et campum amplissimum, in quo excurrere posset oratio sua ad Quirites, hac opportunitate sibi apertum esse, persentisceret: eodem temporis momento, quo mane coniurati eorumque indices per forum ducerentur (transeundum enim illis fuisse totum forum, inde apparet, quod Ciceronis aedes a Crasso emtae fuerunt e regione ad Palatinum montem, ᾤκει περὶ τὸ Παλάτιον, Plut. in Cic. p. 864. F. adde Donatum III, 3, p. 233.), signum illud Iovis, uti responsum erat ab haruspicibus, in excelso et facie ad comitium et forum versa statui iussit. Id quod cum statim animadverteretur, quippe in arce atque in ea Capitolii parte collocatum, unde omnium, qui in foro confluerent, oculos feriret, non potuit non summa admiratione percellere populum. Nec continuisse ea, quae sentirent, animo, sed subinde mirabundos exclamasse arbitror: bonum factum, adspicit *) tandem urbem suam Iupiter, et consceleratissimorum civium nefaria consilia aperit patribus! Iam cogitemus atque animo nobis effingamus Ciceronem e rostris, quae e regione Capitolii ita constituta erant in foro, ut oratori ob oculos versaretur arx et venerabile Iovis Capitolini sacrarium **), ad immensam Quiritium coronam

*) Huc pertinent verba in scholiis veteribus ad hunc locum Ciceronis iam supra laudatis, ubi placuisse tradunt haruspicibus, ut contra orientem ponerent statuam Iovis et contra forum curiamque, *quia, quos adspicit, felices facit ut Virgilius:* (II. Aen. 690.) *adspice nos.* Apprime ad hanc rem illustrandam faciunt, quae ad Callim. H. in Iov. 81.

ἵζεο δ' αὐτὸς

Ἄκρῃς ἐν πτολίεσσιν ἐπόψιος, collegit Spanhemius, quem confer etiam ad Hymn. in Apoll. 129. Formulam solemnem in precibus: *respice nos*, illustravit Brissonius. Alia dabunt Cerda ad Virg. Ecl. I, 30. Westerhov. ad Terent. Phorm. V, 3. 34.

**) Cum in tota hac narratione Iovis simulacrum, in forum e Capitolio conversum, Solis ortum spectasse perhibeatur, poterit inde difficultas moveri, quod a Dionysio Halic. IV, 61. p. 789, 2. Reisk. aliisque traditum legimus, frontem Capitolii non Orientem, sed meridiem spectasse;

verba facientem de fortunatissimo hodierni diei eventu, et 16
miram felicitatem consulatus sui depraedicantem subito in eam orationem delabi, ut haec omnia deorum numine atque consilio gesta esse confirmet, et, dextra in Capitolium sublata, auctorem, adiutorem et perfectorem huius rei commonstret Iovem, cuius simulacrum hodie illuc, quo dudum erigi debuisset, inspectante populo collocatum fuerit. Profecto horrore aliquo sacro perfusam esse existimem et admiratione defixam totam concionem, vultuque illuc, quo monstrabat orator, reclinato avide imbibisse ista verba: *ille*, *ille Iupiter restitit*, *ille Capitolium*, *ille haec templa*, *ille hanc urbem*, *ille vos omnes salvos esse voluit*. Sed perlegamus oportet totam orationem usque ad finem, et, cum in peroratione in illa verba incidimus: *Vos*, *Quirites*, *quando iam nox est*, *veneramini illum Iovem*, recte perpendamus, quanta gratulatione, quanta laetitia domum deduxerint (Ciceronem *προπεμφθέντα* diserte memorat Plut. p. 870. B.) et venerabundi discesserint tot hominum millia. Nunc demum intelligemus, quae breviter, sed acute de mutata plebis mente narrat Sallustius c. 48. Plurima sane passim apud veteres exstant testimonia de callidis oratorum inventis ad persuadendos auditores apte excogitatis *). Et Hyperidis quidem, Atti-

---

cf. Lipsium de Magnit. Rom. III, 5. p. 769. Sed Dionysium pulchre in gratiam redigit cum Tullio nostro Donatus II, 4. p. 119. qui docet, obliquc tantum meridiem spectasse Capitolium, ita ut conversum esset ad ortum Solis hibernum, atque eandem rationem obtinere in hac statua nostra, quae si ortum solis aestivum spectasset, non ad forum Romanum et montem Palatinum, sed ad Quirinalem conversa esse debuisset. Atque id dilucide apparebit, si quis Urbis ichnographiam a Nollio, Benedicti XIV. architecto, accuratissime delineatam, qua ipse utor maioris moduli et duodecim plagulis conglutinata, inspicere non gravabitur. Ceterum observandum etiam, quod inprimis huc pertinet, ubicunque apud Ciceronem et in orationibus ad Quirites habitis, de obsecratione Iovis Capitolini et sublatis ab oratore ad Capitolium manibus (v. c. Antonio, qui Caesari parentabat, *ἀνίσχοντι τὴν χεῖρα εἰς τὸ καπιτώλιον*, Appian. *Εμφ.* II, 146. p. 377.) sermo fit, maximum pondus accedere oratoris sententiae, si habitum illius in rostris vultu ad Capitolium converso, penitus animo infixum habeas. Vide, qui diligenter haec enucleavit, additis etiam compluribus Ciceronis nostri locis, *Chr. G. Schwarzium* in diss. *de rostris fori Romani*, Altorf. 1745. et, ubi illa in compendium redegit, in notis ad Plin. Panegyr. c. LXV. p. 309. seq. Monuit nonnulla P. Burmannus in *Iove Fulguratore*. Atque hinc etiam, ni fallor, lux affulget splendidissimo phantasmati apud Virgil. VIII. Aen. 349—54.

*) Vid. Cic. de orat. II, 47. Quintil. II, 15. 6. seqq. Plusculа dabit

corum rhetorum τῶν δέκα acutissimi, singulare plane artificium, quo Phrynen, capitis ream, diducta tunica, spe-
17 ciosissimum corpus ostendere iussit iudicibus, oculorumque pariter ac indicii aciem praestringere, multis laudibus in caelum extulit et decantavit antiquitas *). M. Antonium vero Caesaris, cui parentaret in foro, vestimenta lacera et pugionibus conscissa in tropaeo proponentem (Suet. in Caes. c. 84.) et singulos parricidarum ictus populo annumerantem, instigasse plebem furialibus odiis, summamque interfectoribus conflasse invidiam, constans fama est **). Sed nescio an ullum in omni antiquitate illustrius talis artificii occurrat exemplum, quam quo summus dicendi artifex et architectus Cicero in hac nostra oratione usus est.

Sed restat aliud in hoc Ciceronis invento non plane praetermittendum. Habuit hoc Cicero, ut nimius esset in laudum suarum et rerum gestarum praedicatione ***).

Cresollius in utilissimo libro, *Theatrum veterum Rhetorum* inscripto, quem inseruit Gronovius Thesauri sui Tomo X.

*) V. c. Plut. in X. Rhet. p. 457. a. Basil. Reliqua testimonia diligenter conquisiverunt Berglerus ad Alciphr. I, 31. p. 130. seq. et Fabricius ad Sext. Empir. adv. Mathem. II, 1. p. 288. seq. Sed collegerat iam antea Cresollius.

**) Antonium τὴν ἐσθῆτα δείξαντα αἵματος κατάπλεων habet Plut. in Cic. p. 882. C. in Antonio p. 922. B. Appian. *Εμφυλ.* II. 146. p. 379. cf. Abramium ad Cic. Philipp. II, 36. et Fabricium ad Dionem XLIV, 35. p. 404. ubi bene monet, Antonium nil callidius, nil opportunius facere potuisse. Sensit hoc et divine expressit inclytus ille Britannorum poeta, *Shakespearius*, qui in Iulio Caesare suo Antonium haec populo ostendentem, et exulceratis iam animis faces subiicientem effinxit *Act. III. Sc. II.*

If you have tears, prepare to shed them now.
You all do know this mantle —

Sed adeāt ipsum poetam, et integram illuc famem afferat, ad cuius palatum eiusmodi faciunt deliciae.

***) Putidum foret, quae Ciceromastiges veteris et recentioris aevi in ostentationem et iactantiam Ciceronis coniecerunt opprobria, vel leviter attingere. Consulant, quibus otium suppetit, haec excutere, libros a Meuselio in Bibl. Hist. IV, I. 296. laudatos. Mihi semper prae ceteris arrisit Schotti libellus: *Cicero a calumniis vindicatus*, operibus Ciceronis in edit. Verburgii praefixus. Nec contalisse poenitebit, quae Illustr. *Beckius* ad Fergusonium II, 319. seqq. contra Dionis et interpretis eius Penzelii calumnias haud cupide monuit. Unum argumentum a plerisque Ciceronis defensoribus omissum esse, miror. Cicero fuit *homo novus*, nec genere, nec opibus, nec aliis adminiculis, more tunc patriciis consueto, sed propria virtute et δεινότητι ad tantum fastigium evectus. Eiusmodi hominibus idem saepe accidit, quod αὐτοδιδάκτοις. Quo maioris haec

Dici non potest, quam male audiverit hoc nomine iam apud 18
veteres, ut vel ex Plutarchi vita et Sallustii declamationibus, suppositiis illis quidem, sed tamen ab antiquitate non plane remotis, abunde constat. Ipse inter iocandum saepius hoc profitetur, se gloriae esse avidiorem, et impense laetari laudum praeconiis. (Collegit loca Andr. Schottus in Cic. Vindiciis c. 1.) Iam vero non poterat non in his Catilinariis, atque in primis in hac tertia, honorificentissimam sui facere mentionem, atque in enarrandis iis, quae caute a se provisa, assidue investigata, diligenter effecta essent, in acerrimam ostentationis immodicae incurrere reprehensionem. Exemplo esse potest ipsum orationis nostrae exordium, quo conditori huius urbis, Romulo, gloriam suam aequare non dubitavit. Et quamvis eadem excusatione uti poterat, qua alibi (pro Dom. c. 35.) adversariorum hac de re calumnias refutasse eum invenimus; facile tamen apparebat, ne sic quidem hoc illi condonaturum esse populum, inimicorum obtrectationibus instigatum. Sed hic in primis cernitur viri disertissimi dexteritas et sollertia. Iovis haec omnia et deorum immortalium nutu atque praesentia confecta, patefacta, transacta esse libere profitetur. Et muniverat sibi iam antea viam ad hanc rem in peroratione Catilinariae secundae, qui locus omnino cum nostro comparandus. Maiorem proinde fidem faciebant populo verba illa in nostra oratione, quibus callidissimus dissimulator post magnificam eorum, quae virtute sua effecerit et senatus sibi decreverit, praedicationem, subito velificatur aurae populari, et tantarum rerum gubernationem non cadere in consilium humanum, modeste affirmat. Sic dum laudes suas ad deos transfundit, et verecunde recusat ea, quae iure quodam suo sibimet ipse vindicare posse videretur, efficit, ut amplissima virtutum honorumque suorum commemoratio atque insolentior illa cum Magno Pompeio comparatio, non modo non invidiosa, sed

---

illis constitere, tanto impensius istis laetantur et efferuntur. Sed haec iam non sunt huius loci. Facile dilatari haec poterit disputatio, si conferantur, quae de honesta propriae virtutis conscientia accommodate ad hunc locum observarunt Abtius *vom Verdienste*, p. 41. seqq. et *Garvius* ad Cic. Off. T. I. p. 66—68. ed. pr.

etiam popularis esset, et cum bonis omnibus, tum infimo cuique gratissima. Pulchre et apposite hoc observavit summus eloquentiae praeceptor Quintilianus eo loco, (XI, 1. 21.) ubi omnem iactationem indecoram esse eloquentiae
19 monuit, addito exemplo Ciceronis. *Et M. Tullius saepe dicit de oppressa coniuratione Catilinaria, sed modo id virtuti Senatus*, (ut in Catilinaria IV.) *modo providentiae deorum immortalium assignat.* Denique hinc quoque verae modestiae exemplum sibi petant adolescentuli, qua nullum efficacius virtutibus suis addere possunt et conciliare lenocinium, et quod sacra oracula sapientissime nobis praecipiunt, ut omnia ad deum referamus, id prudentissimos etiam vetustioris aevi viros probe intellexisse, cogitent *). Atque haec quidem ad illustrandum pulcherrimum Ciceronis locum a nobis festinantius conscripta sufficiant, quibus si vel unum et alterum disciplinae nostrae alumnum ad Ciceronis perfectissimum consummatissimumque cum eloquentiae, tum civilis prudentiae exemplar diligentius contemplandum, librosque tanti viri diurna nocturnaque manu versandos permoverim, non lusisse nos operam nostram, sed amplissimum eius tulisse praemium existimabimus.

---

*) Dignus inprimis, qui in hanc rem conferatur, est libellus in Plutarchi Moralibus (e quorum diligenti lectione maxime adhuc proficere posse, qui tractant Ethicen sacram, pulchre observavit Ven. *Reinhardus*), *de laude propria* s. *περὶ τοῦ ἑαυτὸν ἐπαινεῖν ἀνεπιφθόνως*, in primis p. 296. a. Basil. ubi prolato sapientissimo praecepto, oportere laudem propriam *ἀναπίθεσθαι εἰς τὸν θεὸν*, exemplum laudat primum Achillis apud Homerum Iliad. X, 379. deinde Timoleontis, qui Fortunae *Αὐτομάτης* aram consecravit, Sullae, aliorumque, quorum numerum facile augere possis recentiorum temporum exemplis.

IX.

DE PUERILIS AETATIS PUDICITIA NON PRAECEPTORUM, SED PARENTUM STUDIO CUSTODIENDA PROLUSIO *).

Neglectae educationis domesticae maximam vim esse 3
in disciplinam scholasticam, non est, quod multis demonstremus. Cuius enim aures in sermonibus quotidie fere iactitatis ita peregrinantur, quin saepe et ad nauseam usque cum a scholarum magistris **), quorum res vel maxime agitur in hac querela, tum ab aliis, quibus curae cordique est salus rei publicae et, qua ista salus in primis continetur, liberorum educatio, flebilem illam cantilenam decantatam esse, probe meminerit? Nimirum pleni sunt libri veterum, pleni recentiorum sapientissimo isto verissimoque praecepto, quod Quintiliani, magni illius iuventutis prudenter honesteque instituendae et formandae magistri, verbis (Inst. Or. I, 1. 5.) exprimere fas erit: *natura nos esse tenacissimos eorum, quae rudibus annis percepimus, et haec ipsa magis pertinaciter haerere, quo deteriora sunt* ***). Vas, quo semel recens imbutum est odore, 4
servabit diu vix ulla arte eluendum extergendumve. Argilla uda et sequax cuilibet formae est idonea. Ast in

*) Prodiit Budissae a. 1791.

**) Vix unum aut alterum reperias scholarum magistrum, qui oblata saepius occasione scribendi aliquid de rebus scholasticis, hoc argumentum non attigerit. Scilicet nos omnes cum magno dolore hanc esse maximam fundi nostri calamitatem deprehendimus; omnes idem saxum volvimus, in eodem clivo anhelamus. Nolo repetere, quae olim iam, cum degerem Gubenae, cui Deus bene faxit, a me perscripta sunt in libello, parentibus discipulorum meorum inscripto: *Den Eltern unsrer Schüler auf dem Lyceum zu Guben gewidmet*, (Gub. 1786.) p. 19. seqq. Peculiarem hac de re dissertationem composuit Krebsius, antiquae virtutis et severitatis doctor, quae extat in *Opusculis* eius *scholasticis*, n. X. p. 252—71. Adde, si tanti est, commentationem huic non valde disparem *Ehlersii* in *Syntagmate commentt. scholast. theotisce scriptarum*, n. 13. p. 449. seqq. Sed putidum sane, haec enumerare singula.

***) Temperare mihi non possum, quin comparem cum his Platonis verba a Quintiliani interpretibus non observata, sed apprime huc facientia de Republ. II. p. 246. edit. Bipont. ἀρχὴ μέγιστον νέῳ καὶ ἁπαλῷ

quam semel induruit figuram, perdurabit. Franges citius et comminues, quam diffingas. Itidem quos in tenera et molli aetatula puerorum animis inseveris errores, haerebunt penitus et vix ulla ope radicitus exstirpari poterunt et evelli. Falce licet reseces et defringas surculos hinc inde progerminantes: Ni stirpem tollas, nova subinde propullulabit suboles.

Neglectis urenda filix innascitur agris.

Atque hinc apparet, quanta vis sit neglectae educationis domesticae in disciplinam scholasticam. Frustra laborant in fingendis et ad honestatem virtutemque conformandis adolescentium animis magistri scholarum, nisi parentes vel quicunque eorum personam sibi imponi passi sunt, mature saluberrima teneris puerorum animis instillaverint praecepta. Frustra ab insidiosis vitiorum deverticulis eos avocare et rectam virtutis viam monstrare conantur praeceptores officii sui memores, nisi domestica exempla, quae in utramque partem plus valent quam subtilissima praecepta, magistrorum monitis pondus addiderint et auctoritatem. Trahunt enim, ut verissime monet Seneca (ep. XCIV, p. 418. Paris.), *trahunt in vitium parentes.* Quod quidem cum in universum tam verum est, quam quod verissimum; valet tamen praecipue in eo, quo maximam hodie ab imperitis conflari audias invidiam scholis nostris, quae publicae perhibentur, veri pudoris scilicet et illibatae castitatis studio. Hoc enim plane extinctum esse in scholis nostris, huius nec volam nec vestigium ibi apparere, passim clamitant. Foeda dictu sunt, quae de spurcissimis moribus scholarum haud ignobilium, de inveterata invenum ad omnem lasciviam proiectorum corruptela, de turpissimis vitiis pestifera quadam contagione indies latius dimanantibus *), alto supercilio et censoria gravitate passim

— *μάλιστα γὰρ δὴ τότε πλάττεται καὶ ἐνδύεται τύπος, ὃν ἄν τις βούληται ἐνσημήνασθαι.* Adde Casaub. ad Pers. III. p. 114. Lugd. quem miror fugisse hunc Platonis locum. Hoc quoque silentio praetermittere non possum, exstare praeclaram disputationem *S. Chr. Schwabii*, Gottingae Gesneri auspiciis 1759. habitam, cui titulus: *Ἁμαρτιγένεια s. fontes peccatorum in parvis*, in qua haec omnia pulcherrime illustrata reperias.

*) Ecquis ignorat, ut pauca afferamus exempla e pluribus, quae in

proferri audias ab iis, qui nolunt liberos committi scholis publicis. Etiam si vero ego is non sum, qui crimen illud in scholas publicas coniectum diluere et omnem turpitudinis maculam ab illis abesse velit, quippe qui probe sciam, diffluere adolescentulos nostros mollitie et lascivia vix ullis severioris disciplinae vinculis compescenda, exultare passim et caput altius extollere in coetibus nostris scholasticis effrenatam quorundam licentiam, laxari et in praeceps ferri castigatiorem et adstrictiorem, qua discipuli apud maiores nostros continebantur, severitatem vitaeque sanctimoniam: liquido tamen affirmare ausim, paucos oppido in vitia abstrahi et condiscipulorum vel blanditiis vel minis ad nequitiam perduci in scholis, longe plures domesticorum exemplorum illecebris inescatos, vel parentum socordia pessumdatos, domi iam didicisse ista, quae ignorare satius fuisset, et afferre in scholas communem seculi labem et corruptelam. Parentum igitur est, et omnium omnino, ad quos tenerae aetatis educatio et cura pertinet, providere sedulo, ne quid turpe dictu, visuque foedum intret oculos aut vulneret aures impuberum; ne qua rei inhonestae imago, eo altius descensura in animum, quo procliviores omnes sumus a natura ad haec contemplanda, iis obversetur, ne quid impuritatis trahant e scurrilium hominum consortio, perniciosoque famulorum et ancillarum contu-

---

promtu sunt, Salzmannum in libro, laudibus pariter ac reprehensionibus hominum iactato, cui nomen indidit *de malis et cladibus vitae humanae*, scholam publicam, contaminatorum grege abominandam, vividis coloribus depinxisse? Scholam Provincialem Portensem, cui Deus faveat, ab eadem infamia, obtrectatorum quorundam pessimis mendaciis illi adsperza, vindicare ipsi conati sumus in libello, theotisce scripto: *über den gegenwärtigen Zustand der Schulpforte*, qui ipsis his nundinis prostabit Lipsiae. Scilicet haec est temporum nostrorum aerugo, ut, si cui volupe sit, scholam aliquam bene constitutam et laude doctorum ac discentium florentem dente arrodere malevolo et liberrime detractum ire de fama eius, dolitros de pudicitia eorum, qui ibi operam dant literis, rumores spargere nec erubescat, qui ut sumus plerique omnes ad rumusculos eiusmodi aucupandos disseminandosque proclives, citius percrebrescunt, quam ab idoneis iudicibus ad veritatis normam exigi queant. Sic qui triennium abhinc scholam haud ignobilem, quae tum Nieskii in Lusatia nostra Paedagogii nomen prae se ferebat, libello quodam Lipsiae publicato acerbissime perstrinxit, hanc quoque turpitudinis maculam illi inurere non dubitavit. At nemo, qui vel a limine illam salutaverit, ignorat, nil prius nec antiquius fuisse praeceptoribus illius scholae, quam ut nequitiae omnis aditus ad illam penitus intercluderetur.

6 bernio; et ne sincerus ille iuventae flos, puder nativus et ingenuus, contactu improbo prius occidat et emarcescat, quam in scholarum transferatur umbracula. Et cum in hanc partem potissimum peccari videamus etiam ab iis parentibus, qui se in arte educationis, sic enim hodie appellant, egregie profecisse autumant, et miram in liberis suis rite formandis fingendisque sollicitudinem ubique deprae-dicant; cum passim hos ipsos liberos, quos exempla scili-cet et specimina reliquis futuros exosculantur materculae, perpressa buccula leniter demulcent patres, a teneris annis iam perpruriscere et, cum vix dentes exciderint primulum, molles meditari amores, usu cognoverimus: quid obstat, quo minus, hac scribendi occasione oblata, non subtili-ter *), id enim non cadit in libelli nostri angustias, at po-puläriter, allatis nonnullis veterum auctorum testimoniis, disseramus *de puerilis aetatis pudore non praecepto-rum, sed parentum cura custodiendo?* Sexcenties haec iam dicta sunt, fateor, et exposita ab aliis. Sed sunt quaedam pervulgata et, ut ille ait, e communi vitae acervo ducta, quae tamen identidem repetere et ex turri alta concionari velis hominibus. Non desinunt parentes et, qui illis assentantur, congerrones lepidi socordiam accu-sare praeceptorum, quod filios variis voluptatum illecebris deliniri patiantur et corrumpi in scholarum conventibus. Audiant igitur et ipsi, quae non volunt, et sciant, nos non prius finem facturos querelarum de ipsorum oscitantia et supina negligentia, quam ad meliorem mentem redierint et semet ipsi accusare didicerint.

Magna apud veteres Graecos et Romanos pueri fuit reverentia, magnum pudoris eius conservandi, et sollicite custodiendi studium. Hac cura, hac sollicitudine nil prius neque antiquius ipsis fuit parentibus, utpote qui probe novissent, quantum et sua et puerorum interesset, a teme-

*) Nec cuilibet auri tuto haec committas, quae temere effutita ne-cent. Ulcus enim est, quodcunque tangis, et inflixit saepe vulnera, non persanavit, nimia et parum circumspecta harum rerum commemoratio. Vide *Doederleins kurzer Entwurf der christlichen Sittenlehre*, p. 251. Quid de illis dicam, qui, ut nos est hodie, aperte de his rebus e suggestu sacro ad populum verba faciunt, non habeo. Ambulant certe per ignem suppositum cineri doloso.

ris consuescere, quique ipsi a teneris annis imbibissent illud, quod graviter monet paedagogus ille apud Comicum (Plaut. Bacchid. III, 3. 81.)

Ego illum periisse puto, cui quidem periit pudor.

Et de Graecis quidem, priscos illos puta et antiquae virtu- 7
tis homines, non molles illos et deliciis enervatos sequioris aetatis, nemini dubium esse poterit, qui vel Plutarchi libellum (si genuinus iste Plutarchi foetus habendus est) *de puerorum educatione* evolverit et totum fere ex antiquiorum scriptorum locis consutum esse cogitaverit *). Sed iuvat potius inspicere priscam illam et severam Romanorum parentum disciplinam, qua diligentissime cavebatur, ne teneram et sequacem aetatulam vel domestica corrumperent exempla, vel extrinsecus illata scabies mala contagione inficeret. Locus classicus de hac re exstat apud disertissimum auctorem *dialogi de caus. corrupt. eloqu.* c. XXVIII. p. 113. edit. Schulz. quae verba, quod pulcherrime describunt severitatem illam maiorum, apponere non pigebit. Messala ibi „*Eligebatur*, inquit, *aliqua maior natu propinqua, cuius probatis spectatisque moribus omnis cuiuspiam familiae suboles committeretur, coram qua neque dicere fas erat, quod turpe dictu, neque facere, quod inhonestum factu videretur. Ac non studia modo, curasque, sed remissiones etiam lususque puerorum, sanctitate quadam ac verecundia temperabat.*" Sed hic quoque admiratione sui nos abri-

*) π. παιδ. αγ. p. 8. b. edit. Basil. sive c. XX. p. 168. Heus. Lacedaemoniorum instituta, quibus cautum erat, ut pueri in tenera aetate a parentibus segregati magistris publice constitutis concrederentur, huc advocari non posse, facile intelligitur. Mihi vero, dum haec scribebam, obversabatur pulcherrimus locus Aristophanis in Nub. 960—80. ubi vividis coloribus depingitur rigida veterum Atheniensium disciplina in custodiendo pudore puerorum. Quo loco scite, ut solet, in rem suam usus est elegantissimus *Barthelemius* in palmario illo opere: *Voyage du jeune Anacharsis en Grèce*, T. III. p. 206. edit. Paris. min. Nec poenitebit contulisse, quae de eadem re disputat Aristoteles Polit. VII. 17. (in Excerptis, quibus utor, Reiskianis, p. 47. s.) et luculentum Platonis locum de Legg. V. p. 208. Bipont. παισὶν αἰδῶ χρὴ πολλὴν καταλείπειν, οὐ χρυσὸν κ. τ. λ. Quid, quod ab insigni hac verecundiae cura munus *recte instituendi liberos* appellatum est a Graecis σωφρονίζειν (v. c. apud Herodian. III. 10. ubi vide doctam notam Irmischii, T. II. p. 666.) et qui illud munus administrarent, σωφρονισταί; vid. Albert. ad Hesych. T. II. p. 1337, 12. et Fischer. V. Cl. in Indice ad Aeschin. Dial. s. v. Adde dissertationem *Milleri* de παιδαγωγίᾳ Graecorum, p. 42. seq.

pit, et alia loca circumspicienti manum quasi iniicit rigidis-
simus ille severae disciplinae apud Romanos stator et sospi-
8 tator, Cato Censorius. Qui quidem, cum severissimam et ad omnia secula propagatam ageret censuram, inter alios senatu etiam movit Manilium, virum clarissimum, quem omnium opinio proximis comitiis consulem designabat, propterea quod uxorem *interdiu*, *inspectante filia*, exosculatus esset *). Atque idem acerrimus verecundiae exactor in civibus suis, sanctissimas sibimet ipse scripsit leges in filii pudore custodiendo, quem ut illibatum incorruptumque servaret, nil operae et labori pepercit suo. Nam non solum ipse auctoritate, exemplo, vitae sanctimonia pudorem filii confirmavit et constabilivit, sed cavit etiam summa ope, ne quid extrinsecus dictu factuve pudendum intraret inquinaretve bene ac pudice doctum pueri animum. Quam ob rem diligenter muniendas esse censuit aures eius, ne quid obscenius illiberaliusve dictum ad illas accideret, eadem coram illo circumspectione utendum esse ratus, ac si virgo Vestalis adesset. Hinc etiam religio illi fuit, partes corporis, cum honore praefandas, e more Romanis consueto nudare coram filio in balneis **).

Atque hanc Romani in tuendo puerorum pudore adhibuere diligentiam. Ex hac disciplina prodiere viri, qui orbem terrarum armis pariter ac virtutibus subegerunt.
9 Hoc fecerunt veteres, luce divinarum literarum nondum

*) Verba Plutarchi in vita Catonis p. 346. C. haec sunt: *βουλῆς ἐξέβαλεν — Μανίλλιον, ὅτι τὴν αὐτοῦ γυναῖκα μεθ' ἡμέραν ὁρώσης τῆς θυγατρὸς κατεφίλησεν.* Atque haec Catonis severitas, qua animadvertit in osculum haud inverecundum, sed illecebrosum tamen filiae, redigit mihi in memoriam atrocissimum facinus P. Maenii, quem *Valerius Maximus* VI, 1. 4. refert capitali supplicio affixisse libertum sibi valde gratum, quod osculum dedisset filiae suae nubili. Addit Valerius, hac poenae amaritudine praecepisse patrem filiae, *ut non solum virginitatem illibatam, sed etiam oscula ad virum sincera perferret.* Quantum vix unius seculi intervallo interposito a severitate maiorum degeneraverant nepotes! Adi sis locum gravissimum, qua Cicero invehitur in Verrem hoc nomine, quod praetor in Sicilia filium praetextatum inter meretrices impudicas et intemperantes viros versari passus esset (Verr. III. 68. s. 160.); lege, si otium est, totum locum cognitu dignissimum, et te subito in aedes lautiorum hominum nostrae aetatis delatum esse existimabis.

**) Plutarchi hac de re narrationem in vita Catonis, p. 348. B. copiosius exposuimus prolusione superiore anno conscripta, qua totam illam rationem, quam in educando instituendoque filio iniisse fertur vir antiquae virtutis, nostris quoque temporibus accommodari posse docuimus.

collustrati. Utinam nostra aetate parentes Christiani eandem in pudore liberorum integro intemeratoque conservando adhibeant curam et diligentiam, eamque ad priscae illius severitatis normam exigere studeant! Sed dici non potest, quantum in hanc partem vulgo peccetur vitio quodam et morbo seculi nostri *). Quae ratio quam sit inepta et moribus vitae parum consentanea, facile apparet. Nam quo magis haec ad omnem fere mollitiem, laboris fugam

*) Peculiarem hanc esse noxam et luem seculi nostri, pestifera contagione indies latius serpentem, facili coniectura vel ex eo assequi possis, quod nova semper ad eam depellendam proponi audias remedia. Foeda dicta, sed verissima sunt, quae de puerili aetate turpissimis libidinibus coinquinata gravissime conquesti sunt et adhuc conqueruntur viri cordati rectam liberorum educandorum viam scriptis factisque commonstrantes. Laudanda igitur, nec voculis malignis carpenda sunt studia eorum, qui parentibus et praeceptoribus hac de re nimium securis veternum istum excutere, et salutem agi liberorum suorum demonstrare conati sunt. Laudanda, omniumque, quorum haec scire interest, manibus terenda sunt Oestii, Vogelii aliorumque tum medicorum, tum philosophorum scripta *Voluмine* VI. et VII. operis utilissimi (*Allgemeine Revision der Erziehung*) comprehensa, et separatim quoque edita. Laudanda in primis Salzmanni in his explorandis evulgandisque industria, qui non solum hoc argumentum peculiaribus libellis caute pertractavit, sed nuper etiam quaestionem super hanc rem, mercede haud exigua promissa, disceptandam doctis proposuit, cui acceptum etiam referre debemus librum bonae frugis plenissimum *Peschekii* medici apud Zittavienses experientissimi (*Versuch über die Ausartung des Begattungstriebes unter den Menschen*, Bresl. 1790.). Sed huc quoque, ni fallor, quadrat verbum illud: *dum vitant vitia, in contraria currunt.* Dum id agunt homines illi, ut puerili aetati omnis ad hanc nequitiam aditus intercludatur, auctores sunt parentibus et magistris, ut acerbas puerorum aures et animos mature imbuant gustu earum rerum, quae ad subolem procreandam pertinent, a quarum cognitione et indagatione vel maxime puros castosque servari aequum iusserat severitas. Hac enim ratione optime effici posse, ut, qui mature haec imbiberit et salubri terrore vel nausea adeo propter mala lubi pullulantia impletus fuerit pueri animus, omnem in posterum libidinum spurcitiem respuat, nec novitatis specie, quae allicit plurimos, inescari sese patiatur. Sed nae illi boni viri dum propugnacula student defendere, arcem ipsam produnt. Parum profecto callent puerorum ingenium, quorum cupiditas in his rimandis perscrutandisque vix unquam satiari potest. Apage igitur istam desipientem sapientiam, quae pueris omnia revelanda esse censet, ne occulta exquirant curiosius. Saepius hoc et graviter monuerunt viri probi et intelligentes, non partium, sed veritatis studio ducti. Vide, si tanti est, quae *Rahnius et Aepelius*, celeberrimi apud Turicenses medici, in Ephemeridibus Sanitatis (*Gazette de Santé*, Année IV. cah. 4—6.) hac de re disputarunt, et nuper in compendium redegit *Hufnagelius* V. Cl. in libro theotisce scripto: *Für Christenthum, Aufklärung und Menschenwohl* T. IV. n. 2. Equidem, dum diversis studiis haec agitari intelligerem, in mentem mihi saepe revocavi veterem illum senarium: *Πολλῶν ἰατρῶν εἰσοδός μ' ἀπώλεσεν.* Unum notavi remedium maxime praesentaneum, nec e medicorum myrotheciis, nec e philosophorum scriniis depromtum, sed ex oraculis sacris repetendum Marc. IX, 29.

et iners desidiosumque otium est proclivis, quo magis deliciis diffluunt et effeminata luxuria enervantur omnia: eo severius acriusque adstringenda esse in educandis liberis pudoris vincula, eo maiorem sollicitioremque curam impendendam in eo, ut, quod gravissimus Satyricus canit,

> Nil dictu foedum visuque haec limina tangat,
> Intra quae puer est,

quis est, qui neget? Sed refracta sunt, eheu, et revulsa pudoris et castitatis in tenera aetate fovendae claustra omnia *). Ab incunabulis, si qua mascula fibra innata est infantibus, frangitur. Amatoriis canticis nutricularum perstrepunt cubicula; fabulis Milesiis seu Romanensibus, quarum vilissima nunc ubique annona, parvulorum permulcentur auriculae; mille artibus, quas pudor vetat et longum est percensere singulas, sensus suaviter titillantur; iubentur grandes pueri cum grandibus puellis histrio-
11 niam facere et ludis scenicis suum spectatorumque oblectare otium **); circumsonant aures illorum mollissimis carmini-

*) Non nostrae tantum aetatis, sed *hominum* hanc esse labem, non ignoro. Eandem corruptelam omnes omnino insigniores populos veteris et recentioris aevi infecisse, eamque certis seculorum intervallis quasi in orbem rediisse, constat ex historia. Ovum ovo, aqua aquae non est similior, quam, si vel liberorum tantum educationem spectes, nostrae iuventutis effeminata mollities (vide Campium hac de re disputantem in *Revisions-Werk*: T. III. p. 393. seqq.) et dissoluta pubis Romanae inde a seculo urbis septimo luxuria (Horat. Od. III. 6. Iuvenal. Sat. XIV. et Seneca in epp. passim), cuius rei, ut recentiores taceam, avorum iam memoria comparationem instituit magnus ille *Caspar Dornavius*, medicus, Philologus et rector aliquamdiu Gorlicensis, in *Parallelis morum seculi*, p. 217. seqq. in Opp. (Gorlic. 1677.) T. I. Sed cui non cantatus hic Hylas? Monendum tamen esse duximus, ne quis nos, morosulorum magistellorum more, nostrae tantum aetati convitiari, et o tempora! o mores! temere exclamare putet.

**) Non tamen ego sum ille ferreus, qui neget, liberale admodum hoc esse et ad *parvulos* urbanitatis gustu aliquo imbuendos valde accommodatum oblectamenti genus, si *raro* illo utamur, et parentum prudentia omnis arceatur fraus et noxa. Sed si adultioris aetatis adolescentuli et puellae *crebro* hoc voluptatis genus consectantur, quod factitare illos accepimus in oppidis celebrioribus, si parentum accedit incuria, si cibis, vestimentis, et mutua utriusque sexus consuetudine fomes iam subiectus est cupiditatibus, haud scio an tota res scenica, intra privatos parietes peracta, irritamentum sit et illecebra voluptatis, sive, ut est in proverbio; πῦρ ἐπὶ πῦρ. Pervulgata haec sunt, scio, et tralatitia. Consuluisse tamen non poenitebit luculentam hac de re disputationem in libro saluberrimorum praeceptorum pleno, cui sapiens auctor, ut fabulae Romanensis specie arreperet lectorum animis, titulum fecit: *Theodors glücklicher Morgen*, Vol. I.

bus; conviviis adhibentur unā cum parentibus, et iocis facetiisque illiberalibus, quin verbis saepe praetextatis inter pocalorum hilaritatem iactatis arridere discunt; pedes denique et brachia ad numeros artificiosissime movere, et cum puellis lubricos saltationum orbes scite implicare si probe callent, palmarium hoc appellatur facinus. Quid mirum igitur, nullum in his relictum esse locum pudicitiae, morumque sanctitati? quid mirum, libidinum igniculos, artibus hisce excitatos, ciborum mille condituris et vestimentorum mollitie enutritos, in ea iam aetate gliscere et inflammari, in qua penitus sepultos et consopitos etiamnum eos iacere par erat, et iusserat ipsa immaturae aetatis imbecillitas? Sed parentum hoc fit inscitia, temeritate et ingenti vecordia, qui non solum, quid ab aliis coram liberis dicatur agaturve, parum pensi habent, sed ipsi etiam, inspectantibus filiis et filiabus, a rerum verborumque turpitudine parum cavent, sibique, dum genio suo indulgeant, curentque cuticulam, nihil non licere putant, vel, quod saepissime usu venire videas, ubi paulo plus adbiberint, sua ipsi impudenter effutiunt facinora *). Nonne 12
his factis et narrationibus, se liberos sanctiores, honestioresque fieri nolle, quam fuerint ipsi, aperte ostendunt? Aut quo ore obiurgabunt tandem liberorum effrenatam licentiam, cum ipsi illis ad omnem nequitiam fenestras aperuerint? Nonne, ut iuveni isti apud Comicum, (Terent. Heaut. II, 1. 8—10.) surdo illa narrabitur fabula? Nonne, ut vitia quo diutius propagantur et inveterascunt, eo magis increscunt adaugenturque, haec quoque vires acqui-

*) Parentum pudendam hac in re socordiam et libidinosam coram liberis intemperantiam acriter sugillavit, et exemplis apte illustravit *Salzmannus* in libello, digno sane, qui Calendis Ianuariis strenarum loco mittatur parentibus, in quos talia competunt: *Anweisung zur unvernünftigen Erziehung der Kinder* (Erford. 1788. ed. nov.) p. 156. seqq. Proderit etiam contulisse et diligenter ponderasse, quae *Zollicofferus*, gravissimus sapientissimusque morum seculi nostri castigator, monuit in syntagmate orationum sacrarum, cui post obitum auctoris titulum fecere: *Ueber einige herrschende Fehler unsers Zeitalters.* De luctuosissimis calamitatibus, e vitiorum propagatione ad posteros ortis, exquisite et eleganter disputavit Ven. *Sintenis*, antistes Servestanus, in oratione hoc argumento scripta: *Dass man sich besonders vor solchen Lastern zu hüten habe, die herrschende Laster der Eltern und Vorfahren gewesen sind*, in Syntagmate Oratt. Sacr. T. I. p. 267—308. quam neminem iterum atque iterum legisse poenitebit.

rent eundo, filiique parentibus fient multo peiores, ipsi deinceps daturi progeniem vitiosiorem? Atqui his artibus imbuti, hac effrenatae et perditae luxuriae peste quasi afflati scholis committuntur isti, et literarum magistris ad virtutem et sapientiam conformandi traduntur. His igitur omne id exedendum et cum infinitis molestiis, firmoque stomacho devorandum est, quod parentum, qui quidem ipsi custodis egerent, pudenda intrivit inscitia. Cum enim pueri hac spe atque his animi virtutibus vix ullis disciplinae scholasticae frenis coerceri queant; cum feroculi exultent plerumque et praefracta contumacia placidissimis praeceptorum monitis obluctentur *), aegrorum somnia haec esse et mera nugamenta dictitantes: non solum ipsi impatientius recalcitrant, et pravi cupidinis urticam, intimis fibris iam concretam, evelli sibi aegre patiuntur, sed aliis etiam in eodem secum contubernio agentibus scabiem suam affricant et, quae ipsi iam dudum degustarunt Circes pocula, lubenter propinant. Hic vero misera admodum est et valde deploranda magistrorum scholae conditio. Lupum, quod fertur in proverbio, auribus tenent, nec quomodo amittant, nec quomodo retineant, satis sciunt. Qui quidem etsi non ignorant, pueris eiusmodi labem penitus in-
13 sitam vix elui posse, nec medelam huic malo praesentiorem esse, quam quidquid est, quod sinceram etiam partem contagione pestifera inficere queat, ense recidere; malos tamen medicos, qui leniora remedia alto supercilio spernentes, statim urunt et secant, imitari nolunt, satius esse rati, omnia prius verbis experiri, quam vi; et minis potius deterrere, quam ignominiae maculam inurere hominibus, qui resipiscere possint aliquando et ad frugem redire. Itaque dum haesitant, dum tergiversantur et alia omnia caute circumspiciunt remedia, ansam praebent malevolis **), qui nullam rem lubentius arrodunt et vellicant,

*) Fateor, mihi haec scribenti ob oculos versatum esse locum Platonis VII. de Legg. p. 327. Bipont. ἡ μὲν τροφὴ δύσκολα καὶ ἀκρόχολα καὶ σφοδρὰ ἀπὸ μικρῶν κινούμενα τὰ τῶν νέων ἤθη ἀπεργάζεται. Divine haec Plato, in quo consentientes sibi habebit omnes, qui in hac desudant palaestra scholastica.

**) In scholis bene constitutis assidua praeceptorum cura, prudenti severitatis lenitatisque temperamento, et vitae a magistris actae sanctitate,

quam scholasticam, nimiam illam, quam putant, lenitatem et indulgentiam graviter calumniandi et invidiam illis apud imperitos conflandi maximam. Hinc siuistri de schola illa ubique disseminantur rumores; hinc saepe tota plaustra querelarum et convitiorum in incuriam et supinam oscitantiam magistrorum, Rectoris in primis, quippe cuius sit, videre, ne quid detrimenti capiat res scholastica; hinc severae reprehensiones censorum, periisse frontem de rebus, ilicet, actum esse de bonis moribus, in praeceps ruere adolescentulos, subinde clamantium; quos quidem omnes, ut finem iam faciamus huic disputationi, refutare licet Quintiliani verbis (Inst. Or. I, 1, 6.): *Utinam liberorum* 14 *nostrorum mores non ipsi perderemus. Infantiam statim deliciis solvimus. — Gaudemus, si quid licentius dixerint. Verba*, nequitiae irritamenta, *risu et osculo excipimus; nec mirum; nos docuimus, nos audierunt. Nostras amicas vident: omne convivium obscenis canticis strepit, pudenda dictu spectantur. Fit ex his consuetudo, deinde natura. Discunt haec miseri, antequam sciant vitia esse: inde soluti ac fluentes* NON ACCIPIUNT E SCHOLIS MALA ISTA, SED IN SCHOLAS AFFERUNT. Euge, doctissime rhetorum, quid dicturus esses, si ab inferis excitatus nostra videres tempora! Verissime scilicet senex ille Comicus:

_____ Ut quisque filium suum *volt*, ita est.

cui equidem in omni re scholastica primas deferre non dubito, plurimum profici et posse et debere in effrenata ista licentia iuvenum male educatorum compescenda et liberali eorum pudore, quos nulla polluit contagio, tuendo, extra omnem positum est controversiam. Digna est, quae in hanc rem consulatur, *Krebsii*, rectoris olim in illustri Moldano celeberrimi, *de prudentia disciplinae scholasticae regundae* in Opusc. p. 227 — 57. ad quam, tamquam ad perfectum aliquod huius disciplinae exemplar, me adhuc composuisse et in posterum compositurum esse, ingenue fateor. Sed iniqua, ne dicam, stulta est quorundam ratio, qui in scholis, praecipue oppidanis, ubi grex discipulorum per varia urbis domicilia dispersus in ordinem, tamquam a decurione milites, redigi non potest, nil plane delinqui volunt, et quidquid deliraverint parentes, quidquid e dissolutis et perditis civium moribus traxerint discipuli, id totum perversae praeceptorum disciplinae acceptum ferunt. At vestrum est, o boni, prospicere, ut et publica civitatis disciplina bene sibi constet, et *filius omnem adspiciat sine labe domum, vitioque carentem*. Quid si quis vestra evulget bacchanalia, qui pulchra pellicula nitidi inceditis, introrsum turpes? Operae pretium sane fecerit, qui disputationem consuluerit *Thiemii* V. Cl. de re scholastica scriptis optime meriti: *über den sittlichen Ton in öffentlichen Schulen* (Lips. 1789.), in primis p. 77. seqq.

X.

SCHOLARUM IN VICINITATE ACADEMIAE CONSTITUTARUM VINDICIAE *).

HESIODUS.

Πῆμα κακὸς γείτων, ὅσσον τ' ἀγάθὸς μέγ' ὄνειαρ.

AD LIBELLUM.

Si vis ingenio probari acuto,
Quod Hellas Latiumque perpolivit,
Pagellisque tuis abesse fatum,
Quod parvis solet imminere chartis,
Exhortor moneoque te, libelle,
HERDERUM tibi postules patronum,
HERDERUM tibi vindicem capessas.
Nil exactius eruditiusque est,
Sed nec candidius benigniusque.
Quod si se negat his vacare nugis,
Qui scribat calamo severiori
Hoc, quod secula posterique possint
Aetati merito invidere nostrae:
Accedens timido, levique gressu
Doctis auribus haec, fac, insusurres:
„Quae promto recitata nuper ore
„Plausus nescio quos tulisse dicunt,
„Tradi iudicibus timent severis.
„Quod si legeris ipsa vultu amico,
„Nec discedere iusseris repente
„Illuc, unde levem pedem intulerunt;
„Nec risus metuent maligniorum
„Nec thuri et piperi dabunt cucullos."
I mandata refer, libelle, nostra,
HERDERUMque iube favere nobis,
Cuius nil mihi dulcius favore est.

*) Haec oratio in munere directoris gymnasii Vimariensis capessendo habita prodiit Vimariae a. 1791.

Cum Principis Serenissimi, CAROLI AUGUSTI 1
nostri iussu et auspiciis provincia rectoris in hoc celeberrimo bonarum artium et literarum domicilio mihi offerretur; primum, ut solet, quid emolumenti detrimentive inde capere, quibus commodis vel incommodis, hac conditione accepta, mactari possem apud animum meum coepi reputare. Etiam si enim illiberalis admodum, ieiuni et pusilli animi esse puto, in omni conditione, quae tibi deferatur, statim sedere ad calculos, et quam lautum sit stipendium, quaenam argenti undecunque corradendi opportunitas, quis strenarum et munusculorum proventus, foeneratorum ritu, computare digitis: in universum tamen ut in omni vitae genere deligendo, ita in novo munere adeundo, caute circumspiciendum et quinam iucunditatis fructus, quaeve molestiae cum illo coniunctae sint, diligenter considerandum esse, quis est, qui neget? Nam cum secundum tritam illam et vulgarem sententiam, nihil omnibus numeris absolutum, nihil ab omni parte beatum in hac vita reperiatur; ne munus quidem ullum vel virgula divina, quod aiunt, nobis obtingere potest, in quo nil claudicet, nil plane mancum sit et mutilum. Prudentis igitur est, in omni mu- 2
nere capessendo huc inprimis attendere animum, ut circumspectis rebus omnibus et rationibus eorum, quae placeant, quaeve displiceant probe subductis, singula inter se compares, et quae sint incommoda, commodorum compensatione sapienter lenias. Nam, quod in alia re scite monet Terentius, *multa ex quo fuerint commoda, eius incommoda aequum est ferre*, id ad muneris etiam cuiuscunque rationes commode potest transferri.

Memor igitur sapientissimi huius praecepti, ego quoque, cum iam in eo essem, ut hanc novam scholae moderandae provinciam adirem, mihi ipse deesse nolui, et quae vel iucunditatis fructum, vel molestiae sensum mihi in illa administranda afferre possent, multum diuque consideravi. Sed ut ingenue fatear, quo diutius haec agitabam et examinabam singula, eo maiora et solidiora bona in illis deprehendere mihi visus sum. Obversabatur et fulgore suo oculos quasi praestringebat Princeps, quem literarum elegantiorum et quicquid ubique est pulchrarum artium Spe-

ctatorem, Statorem, Sospitatorem meritis laudum praeconiis universa concelebrat Germania, quem liberalissimum literatorum hominum et eruditionis laude florentium Patronum praedicat inclyta Ienensis academia, praedicat commune venustiorum et cultiorum hominum domicilium,
3 Vimaria. Tanti igitur Principis praesidio frui, et studiorum iuvenilium cursum in ea schola moderari, quae tutela et favore eius recreata laetius indies efflorescat, id vero in summa felicitatis meae parte ponendum esse, merito arbitrabar. Arridebat porro et suavi quodam lenocinio allicie-bat doctissimorum virorum in hoc oppido vitam degentium mirifica congregatio, quippe quorum familiaribus colloquiis saepe una hora plus proficias, quam si spissa volumina cum pulvisculo excutias, et usque ad mediam noctem lucernae fumum combibas. Quid vero suavius, quid exoptatius cogitari potest, quam si mihi, umbratico homini et inter subsellia scholastica ut plurimum delitescenti, cum bonam diei partem in adolescentulis fingendis instituendisque consumserim, interdum horas aliquot iucundissima eiusmodi virorum consuetudine frui et ex eorum sermonibus, sale Attico madentibus, honestam animo meo petere liceat oblectationem? Atque hic percensenti mihi singulorum, quibus Vimaria nostra exsplendescit, nomina occurrebant statim in limine ipsi amici principis et rerum gerendarum administri, Fritschii, Schnausii, Goethii, Schmidtii, Linkeri, Vogtii, qui quod merito mireris in viris tanta negotiorum multitudine distractis, severitatem laborum suavissimo Musarum consortio condire, et frontem inter veteres illas iuventutis suae nutriculas saepenumero exporrigere solent. Quid vero gratius, quid honorificentius mihi accidere possit, quam quod haec ipsa stu-
4 dia, quibus illi tantopere delectantur, publice hic profiteri et iuventutem ad ea informare iussus sim? Nonne vero hoc calcar addet adolescentibus ad eadem studia indefesso labore persequenda, quibus tantum pretium statuitur a viris primariis, qui in puppi sedent et gubernacula tenent reipublicae? Succurrebat, in primis mihi in hac provincia scholastica administranda rem fore cum Herdero, at quo viro? cuius ob os cuncti ora obvertunt sua, a cuius latere me

nunquam, nisi doctiorem, discessurum, in cuius humanitate et prudentia omnes opes meas me recte collocaturum esse, non sperare tantum, sed etiam confidere poteram. Accedebat, quod non nescirem, me Vimariae domicilium fortunarum mearum positurum esse, id est, Athenis, non illis quidem Atticis, sed Saxonicis, non ad Ilissum, sed ad Ilmum sitis, atque in ea urbe, quam merito mercatum quendam dicas bonarum artium et literarum, peregrinatorum et alienigenarum crebro huc commeantium frequentia celebratum, librorum et omnis omnino literariae supellectilis lauta copia instructum, ubi floret pictura, ars statuaria, scalptura et quicquid ad elegantiorem et cultiorem vitam perpoliendam exornandamque pertinet, unde non potest non ad me quoque et disciplinae meae alumnos magna et multiplex derivari utilitas. Denique revocabam mihi in memoriam scholam, cui moderandae admoverer, bene moratam et constitutam, docentium pariter ac discentium laudibus florentissimam; revocabam in animum egregiam collegarum de hoc Gymnasio literario optime meritorum fidem et concordiam, quibus me adiutoribus perfectoribusque consiliorum meorum usurum esse, tam certum mihi erat, quam quod certissimum.

Unum erat, auditores humanissimi, de quo diu ambigebam, nec satis in animo meo constituere poteram, utrum illud plus prodesset, an obesset scholae, ad quam regendam arcessebar. Vix aliquot milliaribus ab hac urbe distat Iena, inclyta illa et totius Germaniae ore celebrata Academia, quae cum maxime Principis nostri, Curatoris Serenissimi, insigni favore et munificentia ita crevit et caput extulit inter reliquas Academias, ut quae docentium fama, discentium frequentia illi praecelleret, nulla, quae pari splendore effulgerent, vix paucae aliquot reperirentur. Huius vicinia an scholae Vimariensi plus emolumenti, quam detrimenti afferret, cum diu fluctuabundus haesitassem, tandem, ut fit, in eam deveni cogitationem, ut in universum, quam vim habeat Academiarum vicinia in has elegantiorum literarum officinas, quas *scholas inferiores* appellare vulgaris fert consuetudo, diligentius anquirerem, ratus, hac quaestione disceptata, controversiam etiam de

commodis incommodisve Ienensis Academiae ad Gymnasium nostrum redundantibus facilius posse dirimi. Sed quo diligentius haec excussi, et quae in utramque partem
6 disputari possunt, perpendi singula, eo liquidius mihi apparuit, quicquid de incommodis ex Academiarum vicinia emanantibus vulgo dictitari solet, vel a malevolis scholarum eiusmodi obtrectatoribus temere confictum, vel ab imperitis levium rumusculorum captatoribus nimis auctum esse et exaggeratum. Quam ob rem hanc mihi iam penitus indui persuasionem, ex Academiarum vicinia, quam quidam calamitatem esse clamitant fundi nostri scholastici, tot tantaque in scholas derivari posse commoda, ut si qua tenuis ex illa contagione scholis aspergatur labecula, hic quoque valeat illud Horatianum, *ubi plura nitent — non ego paucis offendar maculis.* Haud scio igitur, an operae pretium facturus sim, quod cum hodie muneris auspicandi gratia in hoc illustrissimo Virorum omnis ordinis et loci consessu verba facienda essent, et argumentum ab hac persona et hoc loco haud alienum pertractandum, *commoda e vicinis Academiis ad scholas redundantia ab adversariorum criminationibus vindicare* constituerim. Videtis, auditores humanissimi, materiam me sumsisse non gravem illam quidem, vel ex interioribus literis depromtam, sed ex communi rerum in medio positarum acervo ductam, eandem tamen haud parum controversam, et multorum adhuc litibus, multorum quotidianis sermonibus iactatam, ideoque expeditu aliquanto difficiliorem. Vos igitur, auditores, quo me advenam iam antea et peregrinum hominem prolixe admodum excepistis favore, eo-
7 dem nunc quoque novum oratorem et inusitata rerum omnium specie perculsum ita sustinete, ut si minus iudiciis vestris, quae novi esse limatissima subtilissimaque, rem ipsam probavero, conatu tamen voluntatibus vestris eximiis satisfaciendi non plane displicuisse videar.

Principio, ne partium studio occoecati cupide iudicare, et, dum causae nostrae patrocinemur, quid verum postulet, parum pensi habere videamur, audienda est illorum oratio, qui scholas Academiae vicinas graviter insimulant, seque de adolescentulis, qui in scholis istiusmodi ad

literarum cultum et humanitatem informentur, male timere, peius augurari, aperte prae se ferunt. Quae quidem oratio ut eo explanatius et dilucidius appareat, age, fingamus patrem, cordatum hominem et de institutione filii, corroborata iam paululum aetate e nido paterno in scholam aliquam evolaturi, valde sollicitum, talem denique, qualem sibi contigisse unus quisque vestrum vel laetatur, vel exoptaverit saltem, fingamus, inquam, patrem constanter respuere conditionem filio in schola eiusmodi Academiae vicina benigne oblatam, nec ullis amicorum precibus, ut mutet sententiam, expugnari posse. Quam tandem illius hominis orationem futuram esse putatis, auditores? Aut egregie fallor, aut hunc fere in modum scholas istas insectabitur, suaeque velificabitur sententiae: „Plenae sunt, fateor, omnes scholae vitiorum illecebris; colorem duxerunt omnes e labe seculi; sed quae iuvenum imperitorum 8 animos magis pelliciant, et ad omnem lubidinem explendam vehementius instigent, quam eae, quibus cum vicina Academia perpetuum intercedit commercium, reperi nullas. Incautis et imprudentibus ad omnem nequitiam ibi fenestram apertam esse, vel lusco apparet. Puer, qui ferulae manus nondum subduxit, castigandus ille, si deliquerit, et severa disciplina, ne luxuriet, compescendus, manum intra pallium scholasticum continere dictoque audiens esse iam serio gravatur. Saluberrima praeceptorum monita indies fert impatientius, et seu poenarum minis ferocem animum coercere, seu precum blanditiis et lenitate emollire studeant, surdo ista contatur fabula. Ridet et recalcitrat. Causam quaeris tantae contumaciae in tam tenera et sequaci aetate, qua tanquam molli et uda argilla quidvis imiteris et effingas? Noli quaerere; in promtu est. Exemplum sibi sumit puer a vicina Academia, cuius cives, *licentia academica*, quam falso libertatem venditant, elatos, frena, si qua iniiciantur illis, mordere ferocius, leges ad coercendam eorum audaciam et temeritatem prudenter sancitas susque deque habere, et nihil non facere, quo pudoris et verecundiae claustra labefactata et effracta esse, aperte ostendant, puer scholasticus vel hisce suis oculis videt, vel fando accipit quotidie. Vis castitatem fi-

lii et pudorem illibatum intemeratumque servare; vis aures
9 eius adversus impure dicta, oculos adversus foede facta, animum adversus turpiter cogitata praemunire; vis omnem impuritatem abesse penitus a mente tenera, haec omnia eo tenacius arripiente, quo magis omnes a natura ad haec proclives sumus? Obsecrandus mihi es, o bone, et per salutem filii tui obtestandus, ne puerum tali scholae immittas, quae prope abest ab Academia. Illic iuvenum custode remoto lascivientium effrenata dominatur lubido; illic matronarum et puellarum pudicitiae non clandestinis machinationibus, sed aperte insidiatur adolescentum male feriatorum turba: perstrepunt illic canticis impudicis plateae, personant flagitiosis narrationibus domicilia. Mollitiae, procaciae, impudentiae plena sunt omnia. Horum male cautorum et ad corrumpendos teneros animos mire efficacium sermonum veneno cum pueri in vicina schola commorantes inficiantur; horum exemplorum pestifera labe cum passim contaminentur; quid mirum, si et ipsi a teneris iam perpruriscunt unguiculis, oculis, quos in libros unice defixos habere oportebat, ubique iam venantur virgines, pexo capillo nitidi et unguentati volitant, et eodem tramite incedere gestiunt, quo cives Academicos, strenuos, si diis placet, puellarum, non Musarum cultores, summa alacritate praecurrere intelligunt. Adde aliud iis, quae iam dicta sunt, haud inferius detrimentum. Pueri, qui vix prima earum literarum, quibus illa aetas imperiri solet,
10 elementa bene didicerunt, iam cristas erigunt, sumunt animos, et cum vix tria, quod aiunt, Stesichori perceperint, e carceribus scholasticis se proripere et evolare gestiunt ad ampliora Academiae spatia. Miraris hunc festinatum et praeposterum puerorum in Academiam discessum, quippe quos tres quatuorve etiamnum annos haerere in subselliis scholasticis et ignorantiae tenebras menti suae offusas solidioris doctrinae luce discutere par erat. Miraris parentum socordiam et pravam indulgentiam, quod perverso isti et pernicioso filiorum studio discessum in Academiam non maturandi, sed anticipandi, velificandum sibi satisfaciendumque putent. Mirari noli. Causam tantae perversitatis non est, quod longe repetas. Vicina Academia hac quoque

clade afflixit pessumdeditque rem scholasticam. Nonne enim pueros et adolescentulos, paulum severiori lege in his scholarum umbraculis proficientes, quotiescunque adultiores iuvenes in propinqua Academia liberrime evagantes, ludendo, equitando, vel comessando, ne quid turpius dicam, genio suo obsequentes, et nullis, nisi quos ipsi sibimet circumdederint, limitibus circumscriptos conspiciant, ardentissima prodeambulandi in pulverem ac solem Academicum cupiditate inflammari oportet? Nonne, dum imperia, quibus parent, adstricta ex illorum licentia metiuntur, intolerabili servitute sese oppressos esse, et dum fructuosissima lenissimaque magistrorum disciplina continentur, onus Aetna gravius se sustinere, cum gemitu et indignatione vociferabuntur? Atque in tanta quidem Academiae 11
propinquitate fieri non potest, quin saepe illis blandi officii nomen praetexentes, obrepant novelli Academici, eiusdem paulo antea disciplinae alumni, qui scholastici gregis miseria multum deplorata, deorum vitam iam sese adeptos esse glorientur. Inhiat istis sermonibus, tanquam e tripode dictis, grex discipulorum. Piget pudetque, tam diu morosulis morem gessisse magistellis. Valeant igitur supercilia illorum et tristes cathedrae. Praestat adire doctores academicos, qui *dominorum* dulcissimo nomine aures molliculas permulceant, qui vultu hilari mellitisque verborum globulis illos alliciant, nec quicquam praetermittendum sibi esse putent, quo gratiam illorum aucupentur. Sic imberbes iuvenes, qui ne pilum quidem habent boni civis Academici, cruda et immatura studia in vicinam Academiam protrudunt, et illuc, tanquam ad beatorum insulas, gratulabundi exultabundique provolant, gravissimas olim tam stolidae festinationis poenas daturi. Quae cum ita sint, et vicinas Academias in adolescentulorum animis *contumaciae*, *lasciviae* et *arrogantiae* semina spargere foecundissima, satis constet; nonne religio esse debet parenti, qui paternum animum non plane exuerit, tali scholae tot tantisque ob infestam vicinitatem malis obnoxiae, filium committere? Crates quidem ille Thebanus turrim sibi dari praealtam optavit, unde concionaretur civibus suis, et socordiam illis in educandis liberis exprobraret turpissimam. Ego 12

vero vel Stentoris illius Homerici vocem mihi inditam esse malim, ut longe lateque exaudiri queat adhortatio: cavete vobis, parentes, a scholis, quibus imminet Academia, unde, quae largissima ibi propullulat vitiorum propago, dispergitur in scholas illi conterminas. Cavete parentes! cavete adolescentuli! Latet anguis haud in herba, sed in academia!"

Audivistis, credo, auditores humanissimi, orationem adversarii acerrimam. Nec hoc mihi vitio dare quisquam poterit, me vel omittendo ea, quae speciose dici poterant, vel elevando extenuandoque, quibus acriter inhaerendum, causae adversae esse praevaricatum. Sed nolite, quaeso, criminationibus istis ambitiosius prolatis fidem temere adhibere. Quas quidem si diligentius ad veritatis normam exigamus, magis ad cavillationem compositas, quam ad persuadendum idoneas esse facile patebit. Non diu vos morabor, auditores. Sed refellenda tamen sunt singula. Vos facite, aequo adsitis animo, et causam scholarum in Academiae propinquitate sitarum, id est, Gymnasii nostri, peroranti favete.

Vicinitas Academiae, inquis, *disciplinae impatientes reddit scholarum alumnos.* Audio, o bone, et posse interdum hanc vim habere vicinitatem Academiae, ut
13 tirones in scholis, quantum sibi arrogent barbatuli veterani in Academiis, quantum iactitent sese in irridendis eludendisque decretis Academicis, e propinquo animadvertentes, idem sibi quoque licere putent, praefracte negare non ausim. Sed primo tu mihi valde iniurius esse videris in omnes Academias et quae patrum ac maiorum memoria in nonnullis Academiis altas radices egisse penitusque inolevisse putabatur effrenis morum licentia, legum adspernatio, ac rudis barbaries, a mansuetudine et comitate saeculi nostri dudum expulsa, eam nostra etiamnum aetate omnes omnino Academias pervasisse, falso arbitrare. Vide, quantum erres in temporum calculo, quantum coecutias in moribus saeculi, et, ne coniuratae in ultionem sui Academiae acerbissimas poenas a te repetant, vel, ut sunt ad iram suscipiendam paulo procliviores, aqua et igne tibi interdicant, cave! Deinde neminem, qui plurium scholarum

indolem ac ingenium perspectum habet, fugit, iustam, sed communem hanc esse cantilenam magistris omnium scholarum: periisse frontem de rebus, effracta esse pudoris, obsequii, et verecundiae repagula. Aliunde haud dubie sparsa sunt semina istius morbi, quem seculi morbum dicas, utpote qui non tantum scholarum intimos recessus, sed regna etiam et civitates hodie pervasit. Et profecto sic se res habet, auditores. Foecundissima vitiorum mater, effeminata mollitia et luxuries hanc quoque universis scholis nostris affricuit pestem et rubiginem, ut quo molliores sint 14
pueri et deliciis domesticis enervati, eo contumacius et impatientius detrectent iussa praeceptorum, eo vehementius emancipari sese et exsolvi cupiant legum vinculis. Divine enim, ut omnia, Plato in ea disputatione, quam de legibus instituit, *deliciae*, inquit, *puerorum animos reddunt difficiles, morosos, iracundos et qui levibus causis irritentur* *).

At pudori, ais, *et castitati adolescentulorum a propinqua Academia praesentes imminent insidiae.* Pessima, fateor, inconsultae libidinis et impotentium cupiditatum exempla hodieque passim reperias in Academiis, morbo seculi dicam, an quod plures ibi peccandi subnascantur illecebrae. At unde tibi constat, o bone, deterrimam istam luem vel corrupisse tantum Academias, vel ex Academiis in scholas adeo serpere illis conterminas? Gliscit hoc malum et latissime dimanat in iis scholis, quas ab Academiarum contagione longissimum secrevit intervallum. Atque utinam haec adventitia tantum, non domestica etiam exempla corrumperent teneros puerorum scholas frequentantium animos. *Utinam*, ut cum Quintiliano loquar, *non ipsi liberorum nostrorum mores perderemus!* Vicinae sint licet Academiae scholis nostris. Haud facile coalescunt et conglutinantur animi eorum, qui in scholis et Academiis operam dant literarum studiis. Nota loquor. Alto super- 15
cilio plerumque despiciunt veterani isti tirunculos in arctiorem scholarum gyrum redactos, et raro, nisi lucelli spes affulgeat, familiaritatem cum illis contrahunt. Enimvero,

*) Plato VII. de Legg. p. 791. E. ἡ τρυφὴ δύσκολα καὶ ἀκρόχολα καὶ σφόδρα ἀπὸ μικρῶν κινούμενα τὰ τῶν νέων ἤθη ἀπεργάζεται.

quocunque te vertas, ubique illaqueare student et inescare imperitos adolescentulos pessimorum exemplorum illecebrae. Sic, ut hoc utar, scholae publicae haud raro reperiuntur in oppidis, in quibus stativa habent milites, qui quod coelibe vita nil disciplinae suae accommodatius esse putant, eo intemperantius obsecundare solent vagis libidinibus, pessimo haud dubie iuventutis scholasticae ad haec minime coecutientis exemplo. Atqui nondum audivi parentibus, qui filios scholis eiusmodi concrederent, hac militum vicinitate ullum iniectum esse scrupulum. Sic ut aliud exemplum, quod ultro sese oggerit, non praetermittam, saepe in iisdem oppidis, in quibus patent bonarum artium officinae, histrioniam facere iubentur artifices scenici, eorumque maximo plausu, summa frequentia spectantur fabulae. Quod quidem spectaculum ad deliniendos, rerumque frivolarum gustu imbuendos adolescentulorum animos longe maiori vi pollere, quam exempla academica, vel quovis pignore contendere nullus dubito.

At nulla re magis perversa cupiditas discedendi in Academiam incenditur, aliturque in adolescentulorum animis, quam propiore libertatis, qua perfruun-
16 *tur Academici, conspectu.* Habent haec quidem speciem aliquam. Sed hic quoque frustra esse adversarium nostrum, vincam facile, auditores. Scilicet omnis controversia huc redit, ut dispiciamus: num scholarum in vicinia Academiae constitutarum alumni, huius ipsius vicinitatis opportunitate commoti, ardentiori illuc commigrandi flagrent cupiditate, quam ii, qui magno locorum intervallo disiuncti Academiam nunquam oculis usurpaverunt suis? Credo, me parum verisimilia dicturum esse. Dicendum tamen id quod res est, et quod experientia edoctum saepe mirari subiit. Acerrimo plerumque studio ad dulcissimos illos Academicae libertatis fructus degustandos abripi et in transversum agi cognovimus adolescentes in iis scholis, quae longe distant ab Academia, fando tantum et amicorum narrationibus sibi cognita: contra autem, quibus ob propinquitatem quotiescunque allubuerit, visendi animique oblectandi causa illuc evolare integrum, longe minore illius teneri desiderio. Nimirum ita omnes a natura comparati sumus, ut transvo-

lemus communia et in medio posita, captemus remota, abscondita, fugientia,

— leporem venator ut alta
In nive sectetur, positum sic tangere nolit *).

Atque idem usu venire videmus adolescentulis in remota aliqua schola procul ab Academia commorantibus. Felicitatis Academicae, vanis rumoribus mirum in modum au- 17
ctae, hanc ipsam ob causam, quod illam propius inspiciendi explorandique nulla adhuc copia facta est, longe sunt cupidissimi. Huius desiderio quotidie contabescunt, hanc votis expetunt ardentissimis, quorum damnati digito se coelum attingere arbitrantur, Thrasonum quorundam Academicorum, multa de faustitate sua inter ignotos effutientium, ampullis et sesquipedalibus verbis misere decepti. Colonos Europaeorum, qui spe divitiarum inescati in terras peregrinas alioque Sole calentes sese abduci passi sunt, saepissime iratum genium suum accusare accipimus, quod vana opinione delusi non aureos illos, quos animo iam praeceperant, montes, sed sylvas horridas, paludes immensas et Scytharum, quod fertur proverbio, deserta invenerint. Non dissimili fortuna uti videntur adolescentuli, qui, literarum rudimentis in schola nondum rite initiati, illotis manibus ad Academica sacra accedunt, omnia ibi plana sibi et facilia fore autumantes. Vix a risu temperare tibi queas, si in miseros istos, iam voti sui compotes, iam in illum locum, quem diu ardentissimis suspiriis exoptaverunt, in Academiam delatos incideris. Coelo delapsi et in novum aliquem orbem delati sibi videntur, stupent, aestuant, discursant, ubique impingunt et vix sero tandem, cum nec doctorum Academicorum scholis cum fructu sese interesse, nec felicitatibus istis, quarum spe lactati advolaverant, perfrui posse, intellexerunt, sinistro Apolline, 18
iratis Musis se hoc consilium maturandi abitum in Academiam cepisse, voce conqueruntur lamentabili. Quanto igitur melior est conditio eorum iuvenum, quos ab his fraudibus et opinionum erroribus tutos praestat Academiae vicinitas. Hi ridiculis istis et ad ostentationem compositis nu-

*) Horat. I. Sat. II, 105.

gamentis de mira Academiarum felicitate illectari nequeunt. Ipsi omnia dispicere, et propria experientia hic quoque verum esse deprehendere possunt illud verbum: *Pluris esse oculatum testem unum, quam auritos decem.* Atque equidem haud scio, an inter praecipua scholarum in vicinitate Academiae constitutarum commoda referam, quod illarum alumni mature penetralia, vel, si dicere fas est, postscenia vitae Academicae introspicere, iustumque illi pretium statuere discant. Ad mercaturam bonarum artium proficiscuntur, qui in Academias se conferunt. Atqui haud dubie in coemendis conquirendisque mercibus dexterius rem suam administrabunt ii, qui prope habitant, et assidue versantur in foro, quibus tabernas singulas perlustrandi, res promercales venum expositas iterum atque iterum inspiciendi et institorum ingenia noscitandi crebra facultas data est. Profecto aut obtuso admodum et hebeti ingenio sint oportet, aut verba sibi dari a mercatoribus merces venales protrudere cupientibus, fumumque sibi vendi a praestigiatoribus, haudquaquam patientur. Didicerunt foro uti, et cavere sibi ab impostoribus, quorum in
19 celeberrimis mercatibus semper uberrimus est proventus. At longe alia et multo deterior est conditio eorum, qui longinquis e regionibus advecti mercaturam faciunt in loco nunquam antea sibi cognito. Hi, dum mercimonia exquirunt, dum tabernas sciscitantur ab obviis, dum frivolis rebus inhiant, fucosas et fallaces merces sibi obtrudi, imo clitellas sibi imponi, parum intelligunt. Fervet mercatus, diripitur merx proba et sincera ab emtoribus, acta transacta omnia; at isti interea stupent in funambulo. Quid opus est, auditores, ea, quae diximus, de mercatura transferre ad sublimiorum disciplinarum studiosos in Academia? Facile ipsi haec coniectura assequimini, et vel ex iis, quae hactenus ad diluendas criminationes adversariorum a me prolata sunt, intelligitis, incommoda scholarum, quibus perpetuum est cum Academia commercium, vel esse plane nulla, vel ea, quae in universum a scholis seiungi et segregari nequeunt. Enimvero multo maiora ex ista vicinitate ad scholas redundant commoda, dum praeceptores et discipulos in usum illa suum convertere, et

quae fraudi noxaeque esse possint, avertere non pigeat. Nam quid ego commemorem praeclara iuvenum exempla in stadio Academico strenue decurrentium, cuiusmodi plures in maiori numero Academicorum exsplendescere consentaneum est? Nonne erectioris indolis iuvenes in scholis propinquis hinc quoque exemplum sibi petent et fastum deponent, quo facile intumescunt, qui se primos in aliqua arte putant? Quid vero dicam de praemiis et laudum praeconiis, quae iuvenes isti confecto curriculo Academico consequi solent cum plausu et gratulatione bonorum omnium? Nonne nostros quoque in scholis adolescentulos, quorum aures talibus vocibus undique circumsonant, honestissima laudis inflammabit cupiditas, ut excusso desidiae torpore, ejecta omni ex animo mollitia, ipsi quoque mature emergere cupiant et volitare per ora virum? Nam qui propinqua ex Academia virorum doctorum consortio, literariae supellectilis commercio, varioque eruditionis apparatu non solum a magistris, sed etiam a discipulis, quibus haec curae cordique sunt, percipi potest fructus, multiplex ille et nequaquam contemnendus, illum tam manifestum esse arbitror, ut in illo explicando nolim intemperantius abuti patientia vestra. Ut in pauca me conferam, fortunata est schola, cui frui licet commodis e propinqua Academia copiose ad illam redundantibus; fortunati discipuli, quibus hunc ampliorem campum virtuti suae post emensum rite curriculum scholasticum patentem, quotidie contemplari, et alacritati suae nova incitamenta inde petere contigit *).

*) Quando, ut Columella ait (de R. R. XI. 1.) *nil recte sine exemplis docetur*, iuvat hic duo subtexere satis luculenta, quibus rem totam facile confici existimem. In duobus primariis Saxoniae oppidis, Dresdae et Lipsiae patent ludi literarii, antiqua fama et plus unius seculi laudibus inclyti. Nam quis ignorat, Dresdae florere scholam Crucianam, Lipsiae Thomanam, e quibus, tanquam armati e fatali illa machina Troiana, ingens virorum doctissimorum multitudo, per totam Germaniam sparsa et disseminata, prodierit? Utriusque scholae eadem fere est indoles et disciplina, eadem habentur instituta. At dici non potest, quantum, si nunc spectentur, inter se differant. In schola Cruciana refrixisse fertur praeclarum illud optimarum artium studium, quo incaluisse et inter omnes aequales enituisse constat alumnos illius scholae, rectore Schoettgenio, magno illo Saxoniae polyhistore. In illustri Thomana contra, in quam, hac cathedra Vimariensi relicta, commigravit olim Vir incomparabilis, Ioannes Matthias Gesnerus, calet officina, strenue urgetur opus, alubri et severa disciplina continentur alumni ita, ut qui scholam illam

21 Fortunatum etiam Gymnasium Vimariense, quod tantum abfuit, ut detrimenti aliquid acciperet a celeberri-
22 mae Ienensis Academiae vicinitate, ut incrementa etiam inde caperet laetissima, variisque ornamentis, doctoribus etiam, in quibus Carpovium et Gesnerum nominasse sufficiat, inde ductis, exsplendesceret. Fuit haec magna et rara eius felicitas, ut nunquam non curatores haberet et nutritores egregios, qui, quicquid ad augendum amplificandumque illud faceret, semper in promtu ac numerato haberent; magistros vero, qui curis indefessis et vigiliis omnem noxam ab illo propulsarent, et quicquid e re illius esset, in commune consulerent. Quo pertinet in primis illud institutum, ad imbecillam aetatem adversus illecebras vicinae Academiae praemuniendam valde accommodatum, quo cavetur, ne quis antea facultatem impetret
23 scholasticae vitae cum academica commutandae, quam certissima virium suarum institutione scholastica iam corroboratarum ediderit specimina.

In hac igitur schola prudentissimis curatorum et praesidum consiliis, docentium auctoritate et fide, discentium pietate et assiduitate florentissima PRINCIPIS SERENISSIMI, CAROLI AUGUSTI auspiciis rectoris provinciam mihi obvenisse, impense laetor, deumque hac ipsa hora et muneris capessendi solemnitate gratulabundus veneror, nutu eius et benignitate haec omnia e sententia et voto mihi suc-

---

penitus cognorint, antiquum illic stare honorem literis, uno ore omnes confirment. Atqui Cruciana pluribus milliaribus distat ab Academia; Thomanam in ipso sinu Lipsiensis academiae susceptam et enutritam esse dicas. Sciscitatus sum nuper, cum Dresdae commorarer, e viro harum rerum apprime gnaro, causas, qui factum sit, ut in tanta magistrorum eruditissimorum, quibus adhuc fruitur Cruciana, affluentia, tanto torpore elanguerint et a pristino splendore degeneraverint Cruciani? Causas commemoravit complures, incolarum luxuriem, parentum socordiam, magistellorum in latibulis ludos aperientium frequentiam, „sed una est, inquit, qua inprimis laboramus. Fastu ridiculo inflati detrectant obsequia, et vix nucibus relictis, cum pennae nondum succreverint, evolare gestiunt in Academias alumni nostri." En vobis scholam, ab Academia longiuscule remotam, sed cum maxime illa contagione, quam affricare dicitur vicinitas Academiae, infectam; en aliam, quam cingit et circumvallat quasi Academia, auctoritate docentium, discentium moribus et profectibus florentissimam. Ceterum universam hanc quaestionem scite et populariter pertractavit, V. III. *Niemeyerus* in libello theodisce scripto: *Welchen Einfluss hat die Nähe der Academie auf öffentliche Schulen? ein pädagogisches Gespräch.* Halle 1790.

cessisse, certissime persuasus. Idem annuet votis cum maxime suscipiendis, testis aderit promissis, quibus in hoc illustri auditorum consessu fidem meam publice obstricturus, finem imponam huic orationi.

Atque hic subito sese mihi offert, vultuque placido et sereno, qualis eorum esse debet, qui beatorum in sedibus sempiterna iam perfruuntur felicitate, me salutat imago senis longa serie annorum et meritorum splendore venerabilis. Agnosco vultum tuum, ab eo tempore, quo primum illum conspexi, animo meo penitus insculptum, agnosco te, IOANNES MICHAEL HEINSI? Tu mihi post decursum feliciter stadium, quod ego iam ingredior, lampada tradere, meque in illam scholam, quam accurate et fideliter docendo, et graviter prudenterque regendo viginti, et quod excurrit, annos pulcherrime ornasti, vis deducere. Accipio omen; 24
sequar te, beatissima anima, tuisque, quae hic ubique non adumbrata, sed expressa video, vestigiis, dum potero, insistam!

Nolite existimare, auditores, me nescio quibus intemperiis agitatum spectra videre, vel dicis tantummodo causa haec pronuntiare. Re vera obversabatur animo viri clarissimi, cuius partes mihi impositas esse cernitis, imago. Novistis Heinsium, magni Gesneri praeclarum discipulum, virum de re literaria cum universa tum Vimariensi egregie meritum, cuius manibus ita in posterum parentare constitui, ut exemplum eius mihi semper proponam et virtutum, quibus eminuit, contemplatione, tanquam calcari quodam ad idem honestissimarum laudum studium inciter. Multis ille bonis flebilis occidit, nulli flebilior, quam vobis, Heinsianae disciplinae alumni carissimi. Vos ille, dum in vivis fuit, animo vere paterno semper in sinu tulit et in oculis; vobis intima Latii Graeciaeque penetralia, quae quidem ipse penitus pervestigaverat, mira docendi voluptate, comitate singulari patefecit; vobis viam ad virtutem, probitatem, pietatemque non formulariam illam et ieiunam, sed genuinam et ex ipsis fontibus haustam, doctrina, auctoritate, exemplo commonstravit; Vobis vestrisque commodis curas, vigilias, lucubrationes, omnesque omnino vitae rationes dicatas consecratasque esse voluit. Dignus profecto est 25

Heinsius, cuius memoria nunquam in animis vestris oblitteretur, de cuius gloria detractum ire et delibatum, nefas putemus et grande piaculum. Heinsi, tu nobis semper in ore eris, et in pectore. Have, candida anima, et solida illa nullumque unquam finem habitura felicitate fruere!

Te, HERDERE, Vir Magnifice, Tuamque erga se benevolentiam lubenter praedicare, monumentis etiam publice tibi inscriptis *) palam testificari solebat Heinsius noster. Te spectatore et applausore fabulam in hoc theatro usque ad extremum illud: plaudite, peregit, et ingravescente iam aetate favoris Tui significationibus subinde recreatus, nunquam titubavit in officio senex venerabilis; Te laudatore et praecone honestissimo, qualem profecto quilibet sibi exoptabit, obtinebunt pauci, ex hoc ipso loco elatus est mortuus. Frustra mihi personam eius in munere
26 rectoris obeundo impositam putem, nisi in illum quoque locum, quo apud Te fuit, succedendi mihi fiat copia. Hanc veram, hanc amplissimam Heinsiani nominis putaverim hereditatem, quam sane cernere malim, quam si me heredem scribant, quicquid ubique est beatiorum hominum. Cum quinque ab hinc annis peregrinatione aliqua per has terras suscepta, Te quoque, Vir Magnifice, ut mos est peregrinatorum, salutarem, et suavitate sermonum Tuorum, quibus omnes delinire soles, captus, mirabundusque a Te discederem, statim pupugit animum haec cogitatio: Felix, cui tanti viri consuetudine perfrui, cui vitam suam ad eius consilia, muneris sui rationem ad auctoritatem illius componere liceat! O me fortunatum! quam vix animo concipere, nedum votis expetere tunc ausus fueram, ea nunc sponte sua mihi oblata est felicitas. Praeses et Ephorus a Principe Serenissimo datus es huic Gymnasio literario, qualis nescio an ulli, certe paucissimis, contigit in universa Ger-

*) Inscripsit Herdero Heinsius *Syntagma opusculorum scholasticorum*, quod gener Heinsii, Ruprechtus, librarius Gottingensis, vir honestissimus, prelo subiecit Gotting. 1788. Ceterum vitam b. Heinsii, dignam sane, quae cognoscatur ab omnibus, qui quidem his elegantiorum literarum sacris initiari cupiunt, exspectamus a praeclaro viri beati filio, *Valentino Augusto Heinsio*, Professore Kiloniensi Celeberrimo, Viro, quo candidiorem terra non tulit, et cui me pluribus nominibus tam obstrictum esse, quam qui maxime, gratus ac lubens profiteor.

mania. Postulat ipsa muneris mihi demandati ratio et perhonorifica, quae mihi Tecum intercedit, necessitudo, ut quicquid in munere meo agam, semper Tibi sit cognitum, quicquid ad amplificandum, exornandumque Gymnasium excogitaverim, ad iudicii Tui subtilitatem, tanquam ad amussim, sit exactum. Tu mirus ingeniorum et voce et scriptis fingendorum artifex lubenter mecum communicabis, quibus operam meam unice huic rei impendendam adiuvari posse senties: Tu veterum recentiorumque linguarum in- 27
dagator sagacissimus, fontes earum libenter indicabis, et pocula, quae non primoribus labris degustavisti, sed perbibisti, benigne propinabis, Tu — sed nolo singula percensendo vim afferre pudori Tuo, Teque obtundere. Quid multa? Tuo praecipue desiderio tactus huc accessi. Tu, quem totum muneris Tui esse, omnemque spem a Te quasi suspensam habere nosti, nunquam desines et consilio et auctoritate et re sustentare.

Vos vero, Viri spectatissimi, Praeceptores huius Gymnasii aestumatissimi, quem hodie in consortium et contubernium vestrum deduci videtis collegam, eum se totum fidei et amicitiae vestrae commendantem pro ea, qua polletis, humanitate, benevole excipere haud gravemini. Contigit mihi id, quod in prima felicitatis meae parte semper ponendum esse iudicavi, ut, cum apud Lusatos Gubenae primum, dein Budissae scholis, quibus Deus faveat, regundis admotus essem, utrobique collegis uterer mei amantissimis, mihique non necessitudinis tantum, quae saepe discordes etiam et reluctantes copulat, sed verae ac non fucatae amicitiae vinculo coniunctis *). Nec dubitandum est, quin si quid in illis scholis in iuventute rite instituenda et ad 28
humanitatem fingenda promoverim, id omne concentui illi et amicae collegarum conspirationi acceptum referendum sit. Non vana hariolor. Persuasissimum est, vos quoque, Collegae summa ope mihi colendi, si me talem reperiatis, qualem exspectatis, praesidio, fide, amicitia vestra me non

*) *Schaarschmidium*, de schola Gubenensi, *Demuthium* de schola Budissinensi optime meritum, facere non possum, quin hac quoque occasione oblata honoris causa nominem. Nunquam mihi excidet illorum memoria, in qua recolenda dulce animo meo paratum esse intelligo oblectamentum, dulce desiderii, quo in illos feror, solatium.

indignum esse iudicaturos. In eodem omnes vehimur navigio. Nostrum est, consociatissima voluntate cavere sedulo, ne fluctibus abrepta ventis debeat ludibrium, vel scopulis illisa penitus submergatur navis nostra. Equidem omnes animi ingeniique nervos intendam in eo, ut, quantum in me est, ad hunc omnium nostrum consensum firmandum conglutinandumque quam plurimum conferam. Quod igitur Deus faustum esse iubeat, coniunctis studiis, communicatis consiliis, consociatis vitae rationibus in eo elaborabimus, ut nunquam nobis in gratiam redeundum sit, et universi in unum quasi corpus coalescamus, quod eadem mente animatum, firmissima membrorum compage corroboretur augeaturque in perpetuum.

Vestra quoque ora, luvenes lectissimi, quotquot in hoc Gymnasio humaniorum literarum studiis operam nava-
29 tis assidue, vestros animos exspectatione suspensos et in me conversos esse video. Exspectatissimum suavissimumque vobis fuisse adventum meum, documento fuerunt multiplices laetitiae significationes, quibus et universi et singuli me huc accedentem excipere et exhilarare studuistis. Nec refrigeratum esse postea illud studium, aperte declarastis publico hoc amoris vestri documento, quod cum maxime per interpretem vestrum, data acceptaque dextra, in splendidissima hacce auditorum corona edidistis. Etiamsi vero quam fidem, quam benevolentiam a me vobis exhiberi velitis, nondum satis intelligo, cum nupera admodum haec sit inter nos notitia: hoc tamen vobis praestare ausim, si rectorem exspectavistis, qui amore studioque vestro incensus, ardentissimo de vobis bene merendi flagret desiderio, qui, quicquid uspiam vel guttatim collegerit labore multo ad honestissimam bonarum artium sitim restinguendam, id totum quasi in vos transfundere gestiat, rectorem denique, qui totum se vobis consecrandum et vestris commodis omnes utilitates suas postponendas esse censeat: me non frustraturum esse vestram exspectationem, sed quo magis haec vestris voluntatibus apta et attemperata esse intellexerim, eo maiore vestris desideriis satisfaciendi inflammatum iri cupiditate. Agite, iuvenes carissimi, pulcherrima praeclari certaminis se nobis offert occasio, in quo viribus nil peper-

cisse, nulla unquam nos subire poterit poenitentia. Vos indefessum literarum studium et insatiabilem cuncta perscrutandi, cuncta addiscendi cupiditatem, vos verae pietatis et virtutis amplectendae fervorem, vos modestiam, vos paratissimum ad obsequia praestanda semper in medium afferte animum: ego ut docilitati, pudori, pietati vestrae nullum apud me commodum praeclusum sit, quantum viribus conniti potero, contendam sedulo. Agite, iuvenes iam meis oculis mihi cariores, facite periculum, qui vir siem, et ad honestissimum certamen provocati, mecum in arenam non turpem illam et gladiatoriam, sed literariam et decoram descendite, sine tergiversatione ac missione pugnaturi acerrime. 30

Vobis autem, Viri Perillustres, Excellentissimi, Illustres, natalium splendore, virtutum laudibus praecellentissimi, quorum curae atque tutelae universa respublica tum sacra, tum civilis commissa est; Vobis, Viri Summe Reverendi, sacri Senatus Ecclesiastici Praeses, et Consiliarii, omnesque omnino sacrorum in hac urbe faciendorum Antistites amplissimi; Vobis, Consules et Senatores civitatis Vimariensis prudentissimi, consultissimique, Patroni scholae, quae se hodie Vobis plurimum debere fatetur, summa pietate prosequendi, Vobis, fautores omnis ordinis et loci summopere colendi, auditores, quotquot haec solemnia praesentia vestra cohonestare statuistis, aestumatissimi, maximas ex animo gratias ago, quod tam praeclarum iudi- 31
cii vestri de me et schola nostra monumentum hodierno die exstare voluistis. Favete Gymnasio, favete praeceptoribus, favete mihi, meisque de hoc Gymnasio vestrisque liberis bene merendi conatibus prolixae voluntatis aura leniter adspirate.

Quod reliquum est, Deum Optimum Maximum supplex veneror, omnigena felicitate cumulet, sospitet, beet Serenissimum Principem, patrem patriae, CAROLUM AUGUSTUM, quo tanquam genio aliquo tutelari florent ubique in his terris literarum studia, florent earum officinae et domicilia, florent artes,

vernat ager, flores submittit daedala tellus;

urtam tectam conservet augustam principis nostri domum,

MATREM CONIUGEMque celsissimam, et, cuius salute omnes nos salvos esse merito laetamur, PRINCIPEM IUVENTUTIS, spem patriae succrescentem, magni Parentis subolem generosissimam; tutos incolumesque praestet una cum splendidissimis familiis aulae Proceres et rerum in hac civitate gerendarum Administros, quorum laboribus otium, quorum vigiliis tranquillitas nobis paratur; prosperitatem, copiam, securitatem benigne suppeditet amplissimo Senatui et universae huic civitati; Bonam Mentem, Bonum Eventum adesse iubeat scholae nostrae: labores no-
32 stros et consilia fortunet omnia, conatibusque nostris adspiret propitius.

Annue votis nostris, Deus immortalis, fons sapientiae, auctor spirituum! A te principium, in te finis esto!

XI.

DE SOMNIO ANNIBALIS

APUD LIVIUM XXI. 22. PROLUSIO *).

3 T. Livius in praestantissima operis parte, qua res Annibalis ita exsequutus est, ut populus Romanus huius unius ingenium par tanto bello habuisse videatur, statim in exordio illius narrationis memoriae prodidit (XXI, 22.), Annibalem mirifice visu quodam nocturno excitatum confirmatumque esse. In ipso enim temporis articulo, quo dux Poenus admotis ad fauces saltus Pyrenaei castris, internecini cum Romanis belli aleam iacturus esset, et haud dubie magno curarum aestu fluctuaret, visum esse ab Annibale iuvenem divina specie, qui viam monstraret in Italiam, et, quem eventum expeditio eius habitura esset, mira specie adumbratum ob oculos poneret. De hoc igitur viso, Annibali secundum quietem oblato, quid statuendum sit, et cur Livius, scriptor fide dignissimus, somnium, vanissimum mentis angoribus discruciatae ludibrium, gravissimis

*) Prodiit Vimariae a. 1792.

historiae monumentis inserere et chartis prodere victuris non erubuerit, age, paucis disquiramus. Discant hoc exemplo tirones, quorum honestissimae voluntati obsecundantes nuper hanc Liviani operis partem interpretari coepimus *), quam caute et circumspecte versandum sit in eiusmodi historiis e nostri seculi moribus diiudicandis, et ad 4 normam historicorum, quos nostra aetas tulit, exigendis **).

Scilicet insita seculi labe et pruritu iam in teneris iuvenum animis gliscente eo abripimur hodie plerique omnes, ut si forte inciderimus in narrationem scriptoris veteris, quae fidem nostram excedere et parum congruere videatur cum seculi nostri moribus, statim exclamemus: en futiles veterum nugas, et importunam adscititio fabularum ornatu exsplendescendi lubidinem. Sic in hoc Livii loco audire mihi videor, qui vultu magna minanti, haec, tanquam ex tripode, nobis pronuntiet: Videte, quaeso vos, quantum fidei tribuendum sit omnibus omnino, quos tantopere exosculamini et veneramini, antiquitatis scriptoribus, cum optimus quisque monumentis, quae condidit, historicis fri-

*) Liviani operis reliquiae tot etiamnum voluminibus absolvuntur, ut pro brevi institutionis scholasticae modulo, quem succrescente rerum discendarum copia indies breviorem fieri constat, vix ullam hodie scholam reperiri putem, in qua Livius a capite ad calcem uno tenore perlegi possit. Plerisque igitur scholarum magistris, si ad Livium explicandum animum adiunxerint, idem usu venire videmus, quod accidit Tanaquillo Fabro, (V. *Morhof. Polyhist.* T. I. p. 441.) ut tribus quatuorve primae decados libris explicatis, refrigerato iam discentium studio, ad alia omnia transeant. Nec consuluerunt, mea quidem sententia, iuvenum rationibus, qui selecta tantum e Livio capita in unum aliquod volumen coniecerunt, Baueri, Soergelii, aliique. Quis enim pulcherrimum corpus e truncatis istis luxatisque membris cognoscere velit? Nonne igitur satius foret, in scholis, quae totius Livii lectionem non capiunt, maturioribus adolescentibus, his enim, non pueris propinandus est Livius, statim aditum patefacere ad Decadem tertiam, in qua grandiore iam spiritu assurgit, et generosum iuvenem mirabili rerum spectaculo allicit, inflammat, percellit summus historicus? Ceterum nec primam decadem intactam mihi relinquet tiro in scholis, in antiquitatum studio subinde ad hunc fontem deducendus, et in ipsa decadis tertiae interpretatione iterum atque iterum illuc, unde suopte ingenio facem difficilioribus locis accendere possit, oblegandus.

**) Legant quibus otium est, *Gattereri*, locupletissimi auctoris, dissertationem in Bibliotheca historica univ. T. V. p. 1. seqq. quam inscripsit: *vom Standort des römischen und teutschen Livius.* Et pertinent huc omnino, qui, post Tolandi Adeisidaemonem, Livium a calumnia superstitionis et credulitatis vindicarunt, quos diligenter laudavit *Meuselius* in biblioth. hist. Vol. IV. P. I. p. 158 – 60.

volas eiusmodi narratiunculas et fabularum portenta adspergere non dubitarit. Quis ferat nostra aetate ineptias historici, Gustavum Adolphum, cum bellum inferret Germanicae libertatis oppressoribus, praesagiis, qualia tunc multa ferebantur (vid. *Theatr. Europ.* T. II. p. 226. seqq.) aut somnio divinitus misso confirmatum appulisse oris Pomeraniae bona fide referentis. Aut quis non explodendum et exsibilandum esse clamitet scriptorem, Zimmermannum puta, aliumve fragmentorum editorem, qui Fridericum, cum ad inclytum illud bellum septenne sese accingeret, visu nocturno excitatum esse, temere effutiat? Atqui prudentissimus gravissimusque historiarum scriptor, T. Livius in eo loco, ubi de Annibale Pyrenaeis saltibus iam imminenti loquitur, somnium nescio quod nobis obtrudere conatur, quo, vastitate Italiae conspecta, perterritus primum, mox mira laetitia elatus imperator Poenus ingens opus, quod diu parturibat, non amplius differendum esse putaret. Acerrimum hercle ad Annibalis, ferocissimi mortalium, animos exasperandos exacuendosque stimulum! Nec pertaesum esse Livium, virum gravem et sobrium, anilium huiuscemodi fabellarum. Nimirum haec est fides, haec consuetudo omnium, quos antiquitatis favore excoecati tantopere laudamus, historicorum,

Pergula pictorum, veri nihil, omnia ficta!

Fallor, an his acuminibus dicaculus aliquis, Voltarii aut Bolingbrokii simia *), exagitabit Patavinum nostrum,

*) Tralatitia iam sunt et in vulgus nota, quae post Vayerium, Baelium aliosque bene multos ingeniose commentus est de Pyrrhonismo historico, sic enim appellant, Voltarius (cum passim alibi, tum in duobus voluminibus, *le Pirronisme de l' histoire* et *la philosophie de l' histoire*). Saniora in hoc genere dederunt Bolingbrokius, Humius, assidua veterum lectione perpoliti. Sed dici non potest, quantum turbarum dederit praeposterum hoc recentiorum studium, argutis quaestiunculis omnia in dubium vocandi, quam quidam *philosophiam historiae* appellare ausi sunt. Haec vero est illa philosophia, quam scite notat poeta Britannus, *W. Hayley*, in carmine nitidissimo, quod de arte historica composuit: *on History*. Epist. III, 181.

Her subtle influence, on History shed,
Strikes the fine nerve of Admiration dead:
(That nerve despis'd *by sceptic sons* of earth,
Yet still a vital spring of human worth).

Plane mirabilis in hoc genere exstitit Abbas quidam Italus, *Lancelottius*, qui ab omni Graecae Latinaeque linguae facultate destitutus, non dubita-

vel ob hoc unum somnium Annibalis turpissima censoris 5
ignominia notandum. Atqui nec nos adeo obtusa gestamus pectora, ut verba nobis dari et fumum vendi velimus a veteribus historicis. Agnoscimus et praedicamus solertiam seculi nostri, spuria a genuinis, vera a falsis non solum in profanis, sed in sacris etiam scriptoribus acutius discernentis. Nostris quoque auribus crebro insusurrat illud carmen suum senex Siculus:

νᾶφε, καὶ μέμναο ἀπιστεῖν, ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν.

Quin ipsis disciplinae nostrae alumnis in Herodoto et Livio, quos nunc illis interpretamur, lubenter materiam suppeditamus dubitandi, et, si quid sit, quod disceptandi ansam praebeat, quaestiones super ea re publice proponendi. Sic enim optime acui illorum ingenium et exerceri putamus ad semina veritatis perscrutanda, ubique sparsa, sed mendaciorum fraudibus, traditionum commentis, superstitionum praestigiis plus minus obruta et abscondita *). Iisdem ta- 6
men saepe inculcamus, modum in his quoque tenendum, et acriter coercendam esse illorum improbitatem dicam, an vanam, quam sibi induerunt, acuminis persuasionem, qui propter unam alteramve historiam, fide parum dignam, sed saepe ne intellectam quidem et penitus exploratam, statim omnem fidem historico derogandam, et quidquid veteres in historia conati sint, nugas meras esse, ὑπηνέμια ὀνείρατα καὶ ἐπῶν σκιάς (Lucian. in Harmonid. c. 4. T. I.

---

vit duobus voluminibus enumerare imposturas XCVI. in veterum historiis obvias. In manu est gallica versio: *les impostures de l'histoire ancienne et profane*. Paris 1770. Vol. I. II. 12. quam cum perlustraremus, saepe ridere subiit, saepe stomachari inscitiam hominis et os durum. Atque ex his officinis tela depromunt, quibus sacros etiam scriptores, quorum fidei innixa est religio nostra, facile iugulari posse, gloriantur. Ast ego cum magni Ernestii dissertatione: *de fide historica*, sexcentos eiusmodi libellos, quos isti aureolos perhibent, et in sinu gestant, haud redemerim.

*) Ut normam habeant tirones nostri, ad quam disciplinam nostram in historicis legendis exigant, non pigebit adscribere, quae monuit in libello bonae frugis refertissimo, sed caute legendo, *Penzelius de arte historica* p. 38. „Vituperandi sunt magistri, qui solent irridere pueros, et eos nasutulos obiurgare, si quaerere, dubitare, iudicare audent. Ast ego omnibus, qui historiam docent, vel historicos explicant, auctor sum, exhortentur discipulos ad hoc, ut moveant dubitationes: nemo enim, qui non dubitat, cogitat." Nec contulisse poenitebit, quae scite in hanc sententiam disputavit *Gattererus* in praefatione Tomo XXXV. historiae universalis Halensis praefixa: *de educatione historica*.

p. 857.) alto supercilio pronuntiant. Proinde, ut iam ad Livium, unde deflexit oratio nostra, revertamur, non est, quod iniquius obtrectemus scriptori gravissimo, consiliique, quod ipse profitetur (XXII. 7. *nihil haustum ex vano velim, quo nimium inclinant ferme scribentium animi*) tenacissimo, quia visum illud Annibali divinitus oblatum diligenter commemoravit.

Primo non poterat non mentionem facere huius somnii, quod in universum hanc legem sibi scripserat diligentissimus historicus, ut quidquid prodigiorum, portentorum, somniorum etiam, in veteribus monumentis annaliumque libris perscriptum reperiret, diligenter enotaret, in his maximum saepe rerum prospere gerendarum momentum situm fuisse, iisque praecipue religionem civitatium contineri, probe gnarus *). Id quod ipse cum aliquoties aperte prae se tulerit (vide sis locum insignem XLIII, 13.), satis mirari non possumus, qui factum sit, ut toties credulitatis et nimiae superstitionis insimulatus sit prudentissimus historicus. Iam vero somniorum etiam publice rationem habitam esse, vel notissimus ille Ciceronis Divinat. I, 2. p. 6. Davis. locus abunde declarat: *nec vero*
7 *somnia graviora, si qua ad rempublicam pertinere visa sunt, a summo consilio neglecta sunt.* Et pleni

*) Omnis ista de prodigiis et ostentis τερατεία penitus occoecaverat etiam maiores nostros in Germania, vixdum nostra aetate radicitus exstirpata. Hinc patrum memoria magnam vim istarum superstitionum ad res domi forisque strenue aut segniter administrandas fuisse, quis neget? Non ignorarunt hoc praestantissimi superiorum seculorum historici, quos multos esse in istis nugis recensendis, plerique hodie mirantur, multi indignantur. Sed nae isti parum intelligunt, quid vera postulet historici fides. Sic, ut uno tantum exemplo rem patefaciam, magnus *Thuanus* ob hanc frequentem prodigiorum memoriam iniquius saepe taxatus, diligenter enotavit signa et prodigia, quibus, ante proelium Mulburgense, Caesariano militi, Albim ingenti ausu transituro, mira alacritas indita fuerit (T. I. p. 138. edit. Londin.). Idem memoraverat Carafa in Germ. Rest. p. 22. et aequales scriptores bene multi. Non repudiare igitur debebat Robertsonus, qui hoc unum omisit T. III. p. 431. edit. Bas. Huc referendus etiam locus, multorum reprehensione notatus, *Sleidani* XXV. p. 315. a. ubi qui vulgo precrebuerant rumores de signis Mauritii ad Sivershusam caedem portendentibus, dignos habuit, quos praeclaris commentariis insereret. Nimirum his graphice depinguntur mores seculi et graviter peccant nostrae aetatis scriptores, quibus in historiis superioris aevi describendis talia commemorare religio est. Sic, quae Magdeburgi excidium praecessisse feruntur prodigia, prorsus intacta praetermittere non debebat laudatissimus illius belli scriptor, *Schillerus*.

sunt libri veterum eiusmodi somniis, quae vel post eos, quos laudavit I. A. Fabricius in Bibliographia Antiqu. c. XII. p. 160. percensere putidum foret. Quemadmodum igitur nec Tib. Atinii somnium, quo monente ludi magni instaurati fuerant a Senatu, omiserat in superioribus Livius (II, 36. cf. Davis. ad Cic. Div. I, 36. p. 70.) in eoque diligentis historici partes bene impleverat: sic hoc loco nocturnum illud visum, historicorum, qui ante Livium res gestas Annibalis memoriae prodiderant, Sileni, Antipatri Coelii, aliorumque testimoniis comprobatum, plane silentio praetermittere non potuit.

Deinde non praeteribat scriptorem prudentissimum, hoc somnium, si vel ab Annibale tantum ad constabiliendam firmandamque suorum fiduciam conflctum esset, non potuisse summam auctoritatem illi apud suos non conciliare. Ponamus enim id, quod primo obtutu facile cuique in mentem veniat oportet, non visum, sed excogitatum illud esse ab Annibale, nonne apparet, singula tam callide composita esse et superstitionibus, quae tum animos hominum insederant, attemperata a vaferrimo imperatore, ut efficacius telum ad res gnaviter perficiendas ne mente quidem concipere potuisset. Quod ut eo melius intelligatur, age, sigillatim praecipuas eius partes expendamus. Iuvenem sibi visum narravit Hannibal in quiete, *divina specie* conspicuum, qui Iovis iussu viam sibi monstraret in Italiam. Iam quid sibi velit illa divina species, optime cognoscitur e Valerio Maximo, qui Livium more suo exscribens (I, 7. extr. 1.) iuvenem fuisse ait mortali specie excelsiorem. Sic fere semper se conspiciendos praebebant dii hominibus. Sic, ut unum tantum e sexcentis afferam, Curtio Rufo offertur Africa dea, figura humana grandior, apud Plinium VII. Ep. 27. *). Edixisse igitur hunc iuvenem, *sequeretur, neque usquam a se deflecteret oculos*, vel, ut

*) Adde, si lubet, Lips. ad Tacit. Ann. XI, 21. Heyn. in Excurs. ad Virgil. Tom. II. pag. 154. edit. nov. Graecis μείζονες ἢ κατ' ἄνθρωπον. D'Orville ad Charit. pag. 310. Lips. Wesseling. ad Herodot. p. 636. 100.

idem extulit versificator, quam poeta melior, Silius Italicus III, 180.

> Fer gressus agiles mecum, et comitare vocantem:
> Respexisse veto.

Per se apparet, huic iussui vix aliam significationem subiicere potuisse ipsum Annibalem, quam acceleraret iter, ut quam maxime Romanos subito impetu perterritos adoriri posset. Nam qui gradum praecipitant festinabundi, nec oculos circumferunt, nec post tergum respiciunt *). Sed
8 longe aliam ob causam, ni fallor, cautum etiam fuit superstitione veterum, ut qui piaret sese, aut purgamenta post lustrationes abiiceret, aut sacris magicis operatus esset, in via ne respiceret **). Maior igitur hac opinione conciliabatur auctoritas visui, quem noctu sibi oblatam fingeret callidus religionum simulator. Sed apparet etiam, cur impune respicere potuerit Annibal, nullo, quod sacris istis ritibus inesse solebat, piaculo obstrictus. Denique illud etiam,

*) Hinc solennes Graecorum formulae *facere aliquid*, *fugere* ἀμεταστρεπτί, ἀνεπιστρεπτί, μηδὲν ἐπιστρεφόμενον, quas post Clericum in Art. Crit. et Gatakerum docte illustrarunt Duumviri Batavi, *Ruhnk.* ad Tim. Gloss. p. 25. ed. nov. et *Alberti* ad Hesych. T. I. c. 253, 4. Livius, Graecum exemplar sequutus, vertit: *sine respectu* VIII, 38, XXXII, 12.

**) Deorum conspectum noxium habitum fuisse, omnis clamat antiquitas cum sacra, tum profana. Notissimus est versiculus Homeri (Iliad. *T*, 132.) χαλεποὶ θεοὶ φαίνεσθαι ἐναργεῖς, et quae copiose in hanc rem disseruit *Spanhem.* ad Callim. p. 602. seqq. 610. seq. Et cui non dictus hic Hylas? Porro hoc sibi persuaserant veteres, quae abiicerent in purgationibus, aut offerrent in sacris magicis, statim tolli a diis praesentibus, qui frueretur illis et inhiarent avidissime. Fundus totius superstitionis est Homerus Odyss. E, 350. ubi iubetur Ulysses, si naufragio emerserit, abiicere vittam, a Leucothoe dea sibi porrectam: αὐτὸς δ' ἀπὸ νόσφι τραπέσθαι. Hoc translatum deinde ad lustrationes, ubi purgaminibus abiectis, nefas respicere. Antiquissimus locus, ubi hoc occurrit, est apud Aeschyl. in χοηφ. 96. ubi cf. Schol. Reliqua diligenter collegerunt *D. Heins. et Ernest.* ad Sil. III, 181. *Barth. ad Claudian.* p. 748. Huic additum postea, ut piamenta trans caput *aversi* abiicerent, V. *Cerda* ad Virg. Eclog. VIII, 102. et Lomeierus de lustr. V. Egregie totam rem illustrant, quae de Lemuriis cecinit Ovid. Fast. V, 436—44. qui locus fugit aliorum diligentiam. Eadem opinio invaluit in sacris magicis, ubi elicerent manes, et Hecaten ad nocturnas incantationes cierent. Loca classica in hanc rem sunt apud Apollon. Rhod. III, 1037—41. cf. 1220. et Pseudo-Orpheum π. λιθ. XVIII, 96. Atque hinc explicanda est etiam decantata fabula de Orpheo, Eurydicen, quod respiceret, iterum amittente, quam ex obscuris rumoribus de Orpheo magicis incantamentis umbram uxoris eliciente, sed, quod oculis non temperaret, nil proficiente ortam esse, alibi ostendam. Tu vide interea *Bochartum* in Hieroz. T. II. p. 386.

quod ingentis magnitudinis serpentem, obvia quaeque vasto impetu prosternentem, a tergo conspexerat, illaque mole vastitatem Italiae portendi acceperat, dubitari non potest, quin sacro quodam horrore perfuderit et in stuporem dederit milites, quibus haec narraverat. Quis nescit, quam varia et inveterata fuerit veterum in omni draconum et serpentium genere superstitio *)? Iam vero, quae commemoratur in hoc visu ingens bellua e serpentum genere, vel ad illud genus superstitionis referenda est, qua genios loci et heroas draconum specie praesentiam suam manifestare putabant, vel ad vulgarem de draconibus loca vasta et deserta incolentibus opinionem, de qua contulisse iuvabit *Bochartum* in Hierozoico T. II. p. 438. s. Nec illud omittendum, quod de nimbis cum magno coeli fragore erumpentibus affertur in hoc visu, quos irati Iovis signa et maxime portentosos habitos esse, (*τέρας Διὸς καταβάτου*, v. *Burm.* in *Iov. Fulgerat.* c. 6. p. 266. seqq.) neminem fugit. E quibus omnibus hoc liquido patere arbitror, nil ad animos militum religionis fiducia sustentandos aptius accommodatiusque architectari potuisse imperatorem Poenum, quam talem visus nocturni speciem. Notissimae sunt similes excellentium tam antiquioris, tum recentioris aevi impe- 9

*) Vide, quos laudarunt *Fabric.* in Bibliogr. A. p. 313. *Musgravius* in docta dissertatione *de dea Salute* (Londin. 1720.) et nuperrime *Reschius* in Lexico numismatico, docto opere et laborioso, s. v. *draco.* Sed in hac assidua virorum doctorum opera, in numis, inscriptionibus, libris veterum omnia tam multiplicis et per omnes fere gentes diffusae superstitionis vestigia indagandi, multa tamen supersunt, nondum ad liquidum perducta. Nimirum ut singula, quae nondum ad genera sua redacta et descripta sunt, apte disponi et secerni queant, historiam naturalem in partes aliquis vocet, et innumera fere serpentium genera, quae apud veteres occurrunt, quod nuper in simiis fecit *Lichtensteinius*, rite discernat opertet. Quod quam difficile sit expeditu, norunt naturae consulti, qui adhuc in herpetologia maximas tenebras sibi offundi conqueruntur. Cf. *Beckmann*, V. Cl. ad Aristot. M. A. p. 318. 351. Multa suppeditabit Bochartus, egregius harum antiquitatum promuscondus, et passim a recentioribus, novissime in notis ad Brucii itinerarium, compilatus. Quidquid ex intimis naturae et antiquitatis penetralibus proferri poterit, affatim praebebit Vir Summus, *Schneiderus*, in editione Nicandri, quam hisce nundinis Lipsiensibus e scriniis, in quibus diu delituit, emissum ivi, laetabundi accepimus. Sed his praemissis, parum tamen extricabitur, nisi hoc ponamus: omnem *ὀφιολατρείαν* veterum derivandam esse ex antiquissimo Fetissorum cultu (*aus dem Fetischendienst*), de quo ad librum Brucii in vernaculum sermonem conversum docte disputavit *Pistorius*, Praepositus Poseritzensis in Rugia insula.

ratorum technae ac strategemata, quo pertinet alba Sertorii cerva, Marii mulier fatidica, Palladis clypeus ante Alexandrum gestari solitus, et permulta alia, quae collecta reperias apud Frontinum Strateg. I, 11. 8—16. Lipsium in Politicis, Camerarium in Horis Subsecivis, et sexcentos alios *). Nec abhorruit Annibal a commenticiis eiusmodi et fictis religionibus, quibus fiduciam suorum adiuvari intelligeret. Id quod simul ex aliis locis, simul ex eo, quod paulo ante Livius de itinere eius Gades suscepto, et votis Herculi Gaditano persolutis nuncupatisque enarraverat, luculenter apparet. Laudanda igitur Livii diligentia, non vituperanda, si quo strategemate Annibal callide usus erat, ut milites ad tanti itineris longinquitatem et discrimina expavescentes confirmaret, id bona fide literis consignavit et ad posteritatem propagavit.

Sed ne quid dissimulem, dum haec singula perpendo, pupugit animum suspicio, totum hoc somnium nec ab Annibale unquam visum, nec fictum esse de industria. Vix videbatur ille tantae molis bellum suscipere et impeditissimum per Pyrenaeos Alpesque iter conficere potuisse sine praesenti numinis ope et deorum ἐπιφανείᾳ. Arripuerunt hoc historici, Graeculi in primis, fabularum miraculorumque captatores avidissimi, et variis fictionibus, quibus inescarent ac delinirent lectores, pro more et ingenio quisque suo, res gestas Annibalis exornarunt. Ad lecythos igitur et pigmenta historicorum, vanam lectorum delectationem aucupantium, pertinuit hoc quoque Annibalis somnium. Quo in genere quantum indulserint sibi historici Graeci, vel ex una Alexandri Magni historia abunde patet **). Confirmare suspicionem nostram, et conficere rem videtur locus eximius Polybii (III, 47. 48.) ubi perstringit illorum

*) Nec contulisse pigebit, quae in haud dissimili argumento de nobilissimo illo crucis signo, quod Constantinus in quiete sibi oblatum esse finxit, priusquam infestis armis cum Maxentio de summa rerum decerneret, acute disputavit *Gibbonius History of the Decline and Fall of the R. Emp.* Tom. III. p. 209. Basil.

**) Huc pertinet somnium illud, quo herbam sanando Ptolemaeo ideneam Alexandro indicatam ferunt, vid. *Davis.* ad Cic. Div. II, 66. p. 284. et *Wesseling.* ad Diod. T. II. p. 240, 54. Alia laudavit *Freinshem.* ad Curt. IX, 8. 26. cf. *Sainte Croix Examen Critique des anciens historiens d' Alexandre le Grand*, p. 46.

ineptias, qui Annibalem itineris per Alpium praecipitia et solitudines ignarum una cum exercitu periturum fuisse dicerent, nisi deus aut heros aliquis, tanquam deus ex machina, illi suppetias tulisset. Hinc fingere illos, *ἥρωά τινα ἐπιφανέντα συνυποδεῖξαι τὰς ὁδοὺς αὐτοῖς*. Facile iam coniectura assequi possumus reliqua. Hinc orta etiam videtur mira illa serpentis species, in qua cernere possumus ridiculam mendaciorum paulatim excrescentium fabricam. Nam qui primum illud excogitaverat, simpliciter heroem a Iove missum apparuisse Annibali, tradiderat. Alter, ut suam quoque symbolam adderet, affinxit draconem, perpetuum scilicet heroum famulum et pedissequum. (Vid. Plut. in Cleom. p. 824. A. et lepidam de Alexandro, impostore, fabulam apud Lucian. in Alexandr. c. 12—26. unde draconem in somnio visum etiam ad heroas refert Artemid. Oneirocr. II, 13. p. 101.) Tertius, ut horribilius aliquod terriculamentum procuderet, efformavit nobis *beluam vastam, immanem, circumplicatam serpentibus* (verba sunt Coelii apud Ciceronem de Div. I, 24. p. 64.) ad modum illius monstri apud Lucianum (in Philops. c. 22. T. III. p. 50.) quod *τοὺς δράκοντας βοστρυχηδὸν περιέχειτο*. Nec est, quod de historici nomine, e cuius fertilissimo ingenio haec monstra propullulaverint, valde laboremus. Suggerit illud Cicero de Div. I, 24. Fuit procul dubio Silenus, scriptor Siculus *), unde sua derivavit Coelius Antipater, et multis seculis post Zonaras Annal. VIII, 11 22. Et cum Livius ipse in loco aliquo (XXII, 7.) Sileni auctoritatem non defugerit, hoc quoque in somnio eundem, et, qui vestigia eius presserat, Antipatrum Coelium illi ob oculos fuisse versatum, veri simillimum esse iudico. Scilicet nolebat diligentissimus historicus desiderari in historia

*) Silenum illum in historia Annibalis fabularum deverticula Graecula levitate ubique consectatum esse, apparet e loco Strabonis III. p. 161. B. ubi Silanum (sic Dores pronuntiabant) Calatianum de fontibus in templo Herculis Gaditani vero parum consentanea tradidisse refert. Narrandi haec occasionem illi praebuerat haud dubie Hannibal, in templo illo fontis indolem perscrutans, ut intelligitur e Silio III, 46. quem locum superus interpres *Ernestius* perperam cepit de aestu Oceani. Ceterum Silenum hunece male audiisse ob rumores temere collectos et historiis suis intertos e Dionysio Halicarnassensi docuit iam *I. G. Vossius* de Histor. Gr. IV. p. 413.

sua, quod, sive ab Annibale ipso profectum esset, versutiam ducis Poeni luculenter declararet, sive ab historicis ornamenti gratia additum, omnium iam sermonibus celebraretur. Sic qui sacrorum per Lutherum instauratorum historiam mira solertia concinnavit, Seckendorfius, veri, si quis alius, studiosissimus, somnium illud, quod Fridericus Saxoniae Elector pridie, quam Lutherus libellum proponeret Vitebergae adversus Tezelium, habuisse dicitur Suinitii, non plane silentio sibi praetermittendum esse duxit, licet ipse, magis pie quam vere illud vulgo narrari, persuasum haberet.

Atque haec quidem sufficiant ad propulsandas a Livio nostro credulitatis et superstitionis calumnias prolata. Animum, ulterius evagaturum, cohibent angusti, quibus hae scholasticae commentationes circumscriptae esse solent, limites. Tironibus haec nostris, ut iam dictum est antea, scripta sunto. Qui si fructum quemcunque ad uberiorem luculentissimi scriptoris interpretationem ex his percipiant, et acriorem stimulum ad illum legendum, diurnaque et nocturna manu versandum sibi additum esse intelligant, operae iam pretium me fecisse arbitrabor.

XII.

DE HERODOTI HISTORIA

AD CARMINIS EPICI INDOLEM PROPIUS ACCEDENTE PROLUSIO PRIOR *).

2 Omnes, qui quidem Herodotum non membratim concisum et misere mutilatum, ut in libellis fieri solet, quas nomine satis specioso Chrestomathias appellant, sed integrum ab initio usque ad calcem perlegerint, singulare illud artificium, quo tot gentium longa annorum serie terrarumque intervallis disiunctarum historias et instituta in unum corpus coagmentavit, demirari solent et summa laudum

*) Prodiit Vimariae a. 1792.

praedicatione extollere. Nam cum ab antiquissimis inde temporibus, postquam res domi forisque gestas regnorumque casus literarum monumentis consignare coeperunt homines, multi passim in hoc elaborarint genere, ut quae patrum memoria suoque aevo evenissent, in orbem aliquem redigerent et per partes suas descripta apte disponerent: tamen, qui res temporum ac locorum spatio disiunctissimas diligentius investigaverit, investigatas artificiosius copulaverit et in unum coegerit, nemo in omni antiquitate, si acutissimorum iudicum sententia stare velimus *), repertus est, nec hodie in hac temporum et literarum luce facile reperietur **). Ut verbo rem absolvam, unus fuit Homerus, 3 unus Herodotus, quorum operibus ipsa natura quasi obste-

*) Consulendus est omnino, quem, quidquid ubique est venustiorum hominum, semper idoneum habuit harum rerum arbitrum, Dionysius Halicarnassensis in epistola ad Cn. Pompeium, bonae frugis plenissima, ubi comparatione inter Herodotum et Thucydidem instituta, hoc quoque nomine Herodotum alteri anteponendum esse iudicat, quod historiam tribus fere seculis comprehensam et res diversissimas tam apte colligaverit, ut omnia in unum aliquod et formosum corpus coalescerent, *πολλὰς καὶ οὐδὲν ἐοικυίας ὑποθέσεις προελομένῳ, συμβέβηκε σύμφωνον ἓν σῶμα πεποιηκέναι*, T. VI. p. 774. ed. Reisk. quod repetit fere in *iudicio de Thucydide* p. 820. s.

**) Scilicet claudicant hac in re omnes fere recentiorum temporum historici. Singulos rerum eventus eodem ordine, quo invicem se exceperunt, simpliciter enarrant, de nexu vero et cohaerentia totius historiae, unde id efficitur, quod in prooemio *τὸ σωματοειδὲς* appellavit Polybius I, 3. nihil laborant. Hinc lectoribus plerumque usu venire solet illud, quod in recentiorum historiis acriter reprehendit *Gattererus* in *Allgemeiner historischen Bibliothek* Vol. I. p. 78. ut modo huc, modo illuc abrepti, ancipites fluctuent, et quo consistant, non habeant. Ceterum de *unitate*, quam vocant, historica vide commode disputantem *Blairium* in *Lectures on Rhetorik and belles Lettres* T. III. p. 41—46. edit. Basil. ubi, quod de Thuano fertur iudicium, illum rerum parum inter se connexarum mole obruere lectores, ad plerosque alios, Thuano etiam recentiores, transferri posse, satis apparet. Intellexerunt hoc, ni fallor, duumviri Britanni, *Robertsonus* et *Gibbonus*, qui hac unitate, si fas est ita appellare, historiis suis gratiam conciliare studuerunt. Sed excidit uterque ausis suis. Neuter enim in numerum eorum referendus, quibus hanc ipsam ob rem similem praedicat Herodotum nostrum aequissimus virtutum eius aestimator *Gilliesius* in *History of Greece* T. III. p. 298. ed. Basil. De historicis, quorum laetissima iam in Germania nostra effloruit seges, eandem ob causam, quod spiritus illos deficiat in apta totius argumenti descriptione, asperam admodum sententiam nuperrime tulit *Kochius* in libello, quem inscripsit: *Hodegetik für das Universitätsstudium* p. 158. In manibus tamen est historia, non illa quidem historiae nomen prae se ferens, sed, modestiore titulo, *notiones tantum historico generis humani utiles* suppeditatura, quae si, quod speramus, ad umbilicum perducta fuerit, formosum eiusmodi omnibusque numeris absolutum corpus efficiet, plausumque feret omnium, quibus non cornea fibra est.

tricata est. Tot in illis congruunt commoda, quae, si ab isto aevo discesseris, omnibus poetis, omnibus historicis, deesse necesse est. Atque hinc fuerunt etiam omni tempore, qui Herodoti historiam ad carminis epici vim et naturam propius accedere existimarent. Id quod non ita accipiendum esse putaverim, ut fides historica abrogetur scriptori diligentissimo, utpote qui poeticis ornamentis et fictionibus plus studuerit, quam veritati. Iam dudum enim virorum doctorum disputationibus eo res perducta est, ut ob inanium fabularum amorem et fictionum ludibria, quae passim illi exprobrata sunt ab imperitis, male audire desierit Herodotus *historiae*, quod magnificum est Ciceronis elogium, non fabularum *pater*. Longe aliam ob causam comparandum esse nostrum cum poetis, epicis in primis, statuerunt idonei atque elegantes harum rerum arbitri. Nam sive verborum ornamenta et sententiarum lumina, quibus passim exsplendescit noster, ubi altius assurgit, rerumque magnitudinem verborum et sententiarum pondere aequare conatur; sive miram structurae et compositionis iucunditatem, et canoram numerorum *latentium*, ut Quintilianus (IX, 4. 19.) appellat, dulcedinem spectemus, in utroque magnam illi cum poeta intercedere similitudinem,
4 liquido apparet *). Sed in universa etiam operis descri-

*) Quod ad verba singula attinet, Herodotum ionicae dialecti scriptorem saepissime iisdem vocabulis, rarioribus etiam, usum esse, quae occurrunt apud Homerum, τῆς παλαιᾶς Ἰάδος scriptorem antiquissimum, (vide, quae ex Heynii dictatis monuit *Koeppen über Homers Leben und Gesänge* p. 233.) nil est profecto, quod miremur, et monuit, in rarioribus praecipue, ubique *Portus* in Lexico. In his igitur non Homerum imitatus, sed dialecti suae normam sequutus esse dicitur Herodotus. Manifesta tamen poetae imitatio apparet in peculiaribus loquendi formulis; cuiusmodi plures observavit *Valcken.* ad Herod. p. 237, 15. 325, 27. 701, 69. Sententiis ad poetarum rationem compositis, et ex Homerico fonte derivatis plenus est Herodotus, quod illustribus aliquot exemplis docuit doctus Britannus, *I. Geddes* in *Diatribe de genere scribendi, quo veteres auctores Graeci, et in primis Plato, usi sunt.* p. 228—40. version. Theotiscae in collectione: *Sammlung vermischter Schriften zur Beförderung der sch. Wiss.* T. III. Ipsam etiam orationis structuram, numeros leniter fluentes et ἁρμονίαν, quam valde admiratur Dionys. π. συνθ. s. 3. p. 22. Upton. proxime olim accessisse ad mellitissimam carminis modulationem (nostrarum enim aurium illud iudicium facere non possumus) vel ex eo intelligitur, quod Lucianus diserte ait, illum decantasse historiam suam in conventu Olympico, ἀγωνιστὴν Ὀλυμπίων παρεῖχεν ἑαυτὸν, ᾄδων τὰς ἱστορίας, in Herodot. c. 1. T. I. p. 833. Nec pigebit contulisse, quae ad illum locum monuit *Wielandus* vers. vernac. T. III. p. 413.

ptione et argumenti, quod sibi explicandum sumserat Herodotus, tractatione tanta inest cum carmine epico similitudo, ut, qui vel e versione qualicunque notionem aliquam huius historici sibi in animo informaverit, in controversiam hoc vocare non possit. Nam quo magis omnem illum historiarum ambitum, quem novem libris complexus est Herodotus, ad epicorum poetarum, sive, quod eodem redit, Homericorum carminum normam exigas; et, quo inprimis cernitur ars poetae, digressiones et episodia, ad gravitatem carminis exhilarandam excogitata, cum deverticulis illis et digressionibus, quas ubique in historiis consectatur Herodotus *), apte componas: eo dilucidius apparebit, universam eius historiam multum traxisse e carminis epici natura et ingenio, sive quod temporum illorum, in quibus tantum historiarum orbem primus pedestri oratione comprehendit, rationes et prima, ut ita dicam, artis historicae incunabula ita ferrent **), sive quod ipse Herodotus rerum, quibus circumfusum se videbat, infinitam varietatem arte summa connectendam esse probe intelligens, talem historiae imaginem, quam ad Homerici carminis indolem con-

*) Libenter Herodotus narrationibus interiectis ab instituto sermone sic digreditur, ut lectorem semper iucunda varietate teneat et oblectet, ποικίλην ἐβουλήθη ποιῆσαι τὴν γραφὴν, Ὁμήρου ζηλωτὴς γενόμενος, ut scribit Dionys. Halicarn. in Epist. ad Pompei. p. 772, 3. edit. Reisk. Non latebat enim scriptorem nostrum, ut bene monuit ibidem Dionysius, omnem narrationem, quae in uno aliquo grandiori argumento explicando occupata esset, facile taedium ac fastidium creare lectoribus, nisi amoenioribus deverticulis passim interpositis, ἀναπαύσεις appellat scriptor acutissimus, morosa illa argumenti severitas mitigetur, et crebra respirandi interquiescendique facultas detur lectoribus. Atqui hanc ipsam ob causam carminibus suis episodia intexere solitos esse poetas epicos, satis constat. Vid. *Sulzeri Theoria artium s. V. Episode*, T. II. p. 69. edit. nov. De Herodoti episodiis pulchra est observatio *Valckenaerii* ad Herodot. p. 356, 97. quacum comparasse iuvabit, quae monuit Vir Doctus Britannus in dissertatione, quam ex Anglico sermone in Theotiscum conversam Bibliothecae historicae inseruit *Gatterer*, *Jacob Moor's Versuch über die historische Composition*, Biblioth. Hist. T. V. p. 63. seq. Cf. ipsius *Gattereri* super hac re iudicium in Biblioth. Hist. T. II. p. 48.

**) Tenendum enim est, quod verbo indicasse sufficiat, Herodotum primum ingressum esse hanc viam historiae scribendae, cum qui ante illum historias conscripsissent (quorum catalogum diligentissime confectum habes in *Beckii* V. Cl. *Prolegg. ad Goldsmithii Hist. Graec.* T. I. p. XX—XXIV.), paucarum tantum gentium urbiumque origines et fata monumentis suis sigillatim exposuissent, ἱστορίας κατ' ἔθνη καὶ κατὰ πόλεις διαιροῦντες, quae verba sunt *Dionysii* saepius iam laudati p. 819, 6. ubi acutissimum de illis exstat iudicium.

formaret, animo conciperet. Atque hanc quidem Herodoteae historiae cum carmine epico similitudinem, cuius et in toto narrationis filo, et in singulis, quas passim intexuit et adspersit, digressionibus manifesta ubique deprehendas vestigia, alii iam uberioribus disputationibus ita patefecerunt, ut hac opera nunc plane supersedere possimus *). Verum enimvero in hac ipsa disputatione restant nonnulla, ab aliis nondum penitus excussa et explorata, quo pertinet etiam illa quaestio, an Herodotus, qui mira dexteritate, quod e re sua esset, ex epici carminis ingenio in historiam suam converteret, et in mirabili operis sui compage struenda adhiberet, in ministeriis etiam deorum et praesentaneo numinis interventu passim historiis interponendo ad Homerici carminis indolem se composuerit. Iam vero cum commodum sese nobis obtulerit occasio, commentandi aliquid de Herodoto
6 nostro, quem non sine magno iucunditatis utilitatisque fructu nuper explicare coepimus disciplinae nostrae alumnis, age, in illorum gratiam, quorum lubenter servimus com-

*) Conferant, quibus volupe est haec diligentius excutere, doctam dissertationem Abbatis *Geinozii*, qui cum Herodotum ab obtrectationibus Plutarchi vindicare satageret, eo etiam pervenit, ut ordinem ac nexum historiae Herodoteae ad normam Iliados et Odysseae exigeret, et utriusque carminis indolem ac seriem accurate expressam esse a summo historico ingeniose demonstraret. V. *Défense d'Hérodote, troisième mémoire, où l'on expose la méthode et le plan de cet historien, Mémoires de l'Acad. des Inscript. et B. L.* T. XXIII. p. 102—114. Negari non potest, ad argutias nonnunquam deflexisse Geinozium inventae huic similitudini nimis, ut fit, tribuentem, atque ea etiam huc detorquentem, quae plane aliena esse, cuivis satis apparet. In universum tamen hoc effecit ista disputatione, ut Herodotum ad carminis epici speciem composuisse historiam suam, nemini dubium esse possit. Sensit idem et scite sententiam suam exornavit, magnum apud Britannos nomen, *Monboddo*, qui in praeclaro opere, cui titulum fecit: *the Origin, and Progress of Language*, multa disserit de Herodoto, eumque hoc etiam nomine maximis laudibus efferendum esse censet, quod e tot diversissimarum rerum narrationibus unum historiae aptissime coagmentatae corpus concinnaverit, et manifesta epici carminis vestigia ubique impressa reliquerit. Iuvat ipsa verba adscribere, quibus incipit illam dissertationem Vol. IV. B. II. ch. 10. p. 420. „*To this so various history, he has contrived to give an unity (for the ancients esteemed no work of any kind, unless it was a whole, without which they conceived no beauty in any thing) such as Homer has given to each of his two poems.*" Non fugit hic locus *Harlesii* miram in hisce conquirendis diligentiam ad *Fabricii Biblioth. Graec.* T. II. p. 333. a. edit. nov., sed quod ibidem, prolata hac sagacissimi Britanni sententia, interponit iudicium, sibi haec ingeniose et acute magis, quam vere dicta esse videri, in eo neminem, qui quidem cum Musis Herodoti familiaritatem aliquam contraxerit, assentientem sibi habebit, sat scio, nec, si huc intenderit animi aciem, ipse adseverabit.

modis, agitabimus quaestionem illam ab aliis adhuc praetermissam, et *num Herodotus diis quoque partes aliquas in historia sua tribuerit et interventu illorum eodem fere modo, quo poetae talibus utuntur, ad maiorem operi suo gratiam auctoritatemque conciliandam usus sit*, paulo diligentius anquiramus.

Sed cum versari in ambiguitate quadam id, quod proposuimus, videatur, pauca praemittenda erunt, quibus et sensum, quem huic quaestioni subiiciendum esse putamus, declaremus, et viam ad illam rectius diiudicandam nobis muniamus. Scilicet non in hanc partem illud, de quo quaerimus, accipi volumus, ut dispiciamus, finxeritne Herodotus consulto ac de industria eiusmodi deorum, rebus humanis sese immiscentium, ministeria et machinationes, quibus, ceu dulcibus fabellis, permulceret popularium suorum aures, lectoribusque, portentis eiusmodi avide inhiantibus, velificaretur? Id vero si fecisset Herodotus, dignus sane esset, qui cum ineptis istis et futilibus nugis exsibilaretur et farcillis, quod aiunt, ex honestissimo historicorum ordine eiiceretur. Sunt enim Critici haud obtusi ingenii, qui hanc deorum praesentiam et opem passim obtrudendi licentiam ne poetis quidem epicis ubique concessam velint, atque in iis tantum carminibus ferendam esse censeant, quibus comica insit levitas et magna in tenui argumento fictionum eiusmodi portentis exaggerando facilitas *). Longe aliter igitur hoc, quod quaerimus de Herodoto ministeria aliqua deorum ac interventum mirabilem, poetarum instar, narrationi suae interponente, intelligendum esse arbitramur. Scilicet quicquid huius fecit, id Homeri exemplo fecisse putandus est.

*) Vide sis *Homium* in *Elementis Art. Critic.* Vol. I. p. 158 seq. vers. theotisc. ubi displicere sibi ait morem poetarum, fabulam per ministeria deorum praecipitantium. Neminem enim his, quae falsa esse sciat, moveri aut persuaderi; nullum igitur, nisi in carminibus iocosis, in quibus risum excutere velis lectoribus, his adventitiis ornamentis locum hodie relictum esse. Labefactare hanc sententiam et refellere conati sunt *Riedelius*, aliique, quos laudat *Blankenburg.* ad *Sulzerum* T. III. 295. Omnia huc redeunt denique, ut videas, an deorum geniorumque interventus, quem finxit poeta, cum argumento fabulae ita cohaereant, ut inde ortus esse videatur, velut in Miltoni Klopstockiique carminibus. Hic enim, quod acute observavit amicissimus *Schatzius* in Additamm. ad Homium p. 323. non est, quod reprehendas poetam, argumento fabulae, quam tractandam sibi sumsit, servientem.

Iam vero, quae utramque apud principem poetarum implent paginam, praesentanea deorum vel leniter adspirantium, vel graviter obluctantium ministeria, non arte aliqua et solertia poetae efficta sunt et ad ostentationem composita, sed quod res ipsa hoc postularet, quod ingenium et mores hominum, quibus haec caneret poeta, ita ferrent, quod ipsa
7 de illorum veritate quasi persuasum esset, haec omnia in scenam et theatrum sunt inducta *). Quae cum posteriores poetae, ab ista heroici seculi persuasione longe remoti, more tralatitio imitarentur, et ubique, nulla nec personarum nec temporum ratione habita, satis inepte infercirent, tandem res eo pervenit, ut omnis ista ratio penitus evilesceret, et in lusum iocumque conversa ridiculis tantum carminibus inservire inciperet. Quod si igitur Herodotus, scriptor Ὁμηρικώτατος, ut scite appellatur a Longino (s. XIII. p. 98. ed. Toll.), hac quoque in re similem esse voluit historiam suam carmini Homerico, ut nihil non deorum nutu geri, summasque rerum conversiones numinis cuiusdam vi ac impulsu factas esse, traderet, profecto haec non ad vanam lectorum suorum delectationem confinxit, vel ideo excogitavit, ut nugis sibi turgesceret pagina; sed quod ipse manifesta in his numinis deprehenderet vestigia **), vel

*) Nimirum „deorum ministeriis, ut *Heynii* verbis utar in *Disquisi-*„*tione I. de carmine epico Virgilii* p. XXV. omnia exsequitur Homerus, „quoniam priscis hominibus hoc erat persuasum, humanis rebus gerendis „interesse deos praesentes, multoque magis praesentes adfuisse rebus ge„stis patrum aetate, iniicere eos hominum animis bona vel prava consi„lia, obiicere pericula ac discrimina, irasci, dolere, metuere, sperare." Ergo non ipse architectatus est haec deorum ministeria et tanquam adscititia ornamenta carminibus suis allevit, quod factitarunt recentiores poëtae, sed moribus tantum seculi heroici attemperavit, in quo haec omnia a diis revera administrata esse, communis ferebat opinio. Haec post *Heynii*, Viri Summi, aliorumque, qui e disciplina eius profecerunt, *Schowii*, *Koeppenii*, *Hermanni* disputationes de origine et causis fabularum Homericarum, hodie satis ad liquidum perducta esse videntur. Multum ab hac sententia, quam facile omnibus in mentem venire potuisse putes, discrepant antiquiores Critici, in hoc quoque loco περὶ τοῦ θαυμασίου carminis epici (*machinas* vulgo nuncupant) multa argutantes, quae bonus Homerus ne in somnis quidem cogitavit. Sic, ut uno exemplo defungar, qui priore seculo elegantissimi iudicii Criticus habitus est apud Gallos, *Bossu* in libro, quem *de carmine epico* conscripsit, hanc eximiam virtutem τοῦ θαυμασίου in carmine praedicat: *Il doit être fait de telle sorte, que l'on puisse retrancher les Machines, sans rien retrancher de l'Action*, T. II. p. 178.

**) Sexcenta in promtu sunt loca, in quibus non δεισιδαιμονία, sed εὐσέβεια Herodoti nostri apparet. Nec dubitari potest, quin plures sen-

certe hominum, haec ita evenisse, ut vulgo tradebantur, 8
penitus sibi persuadentium, ingenio maxime accommodata esse sciret. Scripsit enim seculo suo, ad cuius mores et persuasiones sese componere, necesse habuit. Itaque prodigia, oracula, variasque de deo scelerum ultore et arrogantiae vindice opiniones cum magnam in rebus gerendis vim et efficaciam habuisse, non ignoraret; nec potuit, nec debuit ea praeterire, unde pars maxima hominum omnes agendi rationes suspensas haberent, et miras gentium imperiorumque vicissitudines exortas esse, satis constaret.

Haec utique praemittenda fuerunt, ne si quis audiat, nos quaestionem agitare de Herodoto ad exemplum Homeri deos historiis suis interponente, ansam sibi datam existimet invehendi in Herodotum, et statim cantilenam illam iam ad nauseam usque repetitam *) nobis occinat: en callidissimum anilium fabellarum artificem, qui ne deum quidem e ma-

---

tentiae de numinis divini efficacia et in dispensanda utraque hominis fortuna aequitate ex Herodoti historiis per universam Graeciam, in legendo Herodoto assidue versatam, sparsae sint et propagatae. Exempla reperies apud *Valckenaer.* ad Herodot. p. 216, 59. 625, 78. *Gataker.* ad Antonin. IX, 40. Atque hinc factum est, ut eum recentioribus etiam temporibus magni literarum sospitatores, Phil. Melanchthon, Ioach. Camerarius, aliique bene multi semper in sinu ferrent et commendarent discipulis suis. Illustre huius rei exemplum est Davides Chytraeus, magnus ille seculi XVI. apud Rostochienses philologus et theologus, qui multa in laudem Herodoti scripta publicavit, et speciminis loco historias ex Herodoti libris decerptas ad singula decalogi praecepta retulit. Vid. *C. Fr. Schützii Commentarios de vita Davidis Chytraei, libr. I. p.* 184 seqq. (ed. Hamburg. 1720.) Nam quod Plutarchus, virulentus Herodoti insectator, impietatis illum reum peregit propter nobilem illam sententiam, *πᾶν τὸ θεῖον φθονερόν*, in eo patrocinium eius iam suscepit Abbas Geinozius in Memoriis Academiae Parisiensis iam supra laudatis. Magis memorabile esse putamus illud, quod in diligenti Herodoti lectione observavimus, in tanta superstitionum, quae ubique illi commemorandae essent, copia, vix tria quatuorve exstare loca (vid. VIII, 54. et 77., ubi Valck. 129. IX, 65. 100.), e quibus animum eius tenui superstitionis labecula adspersum fuisse, recte colligere queas. Sed de his alibi forsan copiosius disputandi locus erit.

*) Sic non sine indignatiuncula quadam nuper legimus in libello *Goetzii*, sacrorum apud Quedlinburgenses antistitis, *Natur, Menschenleben und Vorsehung*, Vol. I. p. 336, *Herodotum nil fere, nisi fabulas, memoriae prodidisse.* Dolebamus sane talem notam inustam Herodoto a scriptore, cuius libelli a iuvenibus etiam teri et propter argumenti varietatem diligi solent. Nec impune tamen tulit hanc temeritatem, acriter hoc nomine a criticis quibusdam (V. *Goett. Anz.* 1789 p. 1312. *Allg. Lit. Z.* 89. n. 361.) reprehensus. Maioris sane momenti sunt dubia, quibus Herodoti fidem ex Orientalium scriptorum narrationibus nuper labefactare coeperunt Viri Docti Britanni, *Richardsonius* et, qui acerbissima censura nostrum perstrinxit, inclytus ille societatis Calecuttanae, in perscrutandis Orientalium

china advocare, quod mali poetae solent, si, quomodo sese extricent, non habeant, erubuerit! Quin mittimus haec, et quam similis sit Herodoti historia carmini epico in deorum etiam ministeriis apte interserendis, paucis explanamus. Duo igitur in ea mihi deprehendere visus sum e communi, quam sibi induerant homines de deorum vi ac natura, persuasione ducta et per totam eius historiam ita fusa et dilatata, ut quotiescunque nodus aliquis difficilior incidat, vel casus
9 ac fortuna gravior ingruat, fere semper ad alterutrum recurrat, suadente hoc ipsa rerum serie et eventu, ad quas apte coniungendas copulandasque arctiore vinculo uti vix poterat. Referenda huc puto primum *oracula*, quorum ope et consilio omnia tunc temporis administrata esse, inter omnes constat; deinde gravissimam illam iterumque atque iterum repetitam sententiam de *numine*, *fastum impotentiorum hominum et arrogantium deprimente*, sive, ut ipse aliquoties appellat, *deorum*, qua in fortunatos feruntur, *invidia*, Nemesin dixerunt Graeci posterioribus temporibus.

Quod igitur ad priorem illum *de oraculis* locum attinet, Graecos illos antiquiores, quorum res gestas enarrat Herodotus, nil domi forisque gessisse, nisi Delphos deliberatum, aliudve oraculum consultum misissent, neminem, qui vel a limine Graeciam salutaverit, praeterire potest. Qua quidem in re prudentiam priscorum illorum hominum satis mirari nequeo. Falluntur enim et valde coecutiunt, qui sacerdotum fraudibus et impostorum praestigiis superstitiosae plebeculae fucum facientium omnem veterum illorum oraculorum sapientiam tribuendam esse, censent et pessime cum hominibus illis, tanta superstitionis caligine oppressis, actum esse dictitant. Nam quid efficacius ad expellendam ferociorum hominum immanitatem et diritatem, quid accommodatius ad animos rudes gustu aliquo humanitatis imbuendos, quid ad sinceram pietatem in deos et patriam fovendam aptius cogitari potest, quam oraculorum religio-

monumentis occupatae, praeses, *Guilielmus Ionesius* in vita Nadirii (*History of the Life of Nadir Schaw, King of Persia*, London 1773.) in Praefatione p. XXXVI. seq. Sed hi quoque rumusculi, novitatis studio incensi, iam raucescunt, mox consilescent, spero.

nes, egregia sane pro captu temporum illorum ad omnem virtutem adminicula, ideoque a scriptore in rerum causis investigandis rite versaturo, silentio minime praetereunda*)? Quae cum ita sint, oracula eiusmodi, sortes, et vaticinia digna habita esse ab Herodoto, quae diligenter collecta et undique conquisita monumentis suis insereret, inde ab illo oraculo, quod Croesum, rebus prosperis inflatum, frustra corripuit (I. 32. cf. 91.) usque ad Bacidis vaticinium, quo Persarum strages apud Plataeas praedicta esse fertur (IX, 43. cf. Valcken. p. 655.), continua fere serie omnem fortunam tum privatorum hominum tum civitatium ad deorum monita referri, non est, quod miremur **). Iam vero ra-

*) Recentiorum disputationibus extra omnem positum est controversiam, oracula illa antiquissima pertinuisse ad egregia primorum Graeciae legum latorum instituta, quibus a silvestri cultu ad humanitatem traducerentur homines. Dictae per carmina sortes, *et vitae monstrata via est.* Horat. A. P. 404. Ingeniosa est *Hommelii*, Antecessoris quondam Lipsiensis, dissertatio *de Apolline, Iurisperito* (in Opuscc. Iuris Elegantioris selectis, cura *Roessigii* P. I.), ubi prisca illa aetate Delphicum oraculum in causis gravioribus cognoscendis et litibus disceptandis eodem fere modo in consilium adhibitum esse docuit, quo hodie illustria Iureconsultorum collegia (*die Schöppenstühle oder Iuristen-Facultäten*) de iure consuli solent. Sed omnia, quae in hanc rem disputari possunt, diligenter collegit *Koppius*, in disputatione: *Vindicia oraculorum a daemonum imperio et sacerdotum fraudibus.* Goetting. 1774 habita. Cf. elegantissimam hac de re iudicium *Herderi* V. S. Ven. in *Ideen zur Geschichte der Menschheit*, Vol. III. p. 211. Sic ut uno exemplo, ex Herodoti historiis depromto, rem declarem, responsum illud Glauco periuro ab Apolline datum, (VI, 86.) qui cum Denina (*Istoria politica e letteraria della Grecia*, P. I. p. 175. vers. theotisc.) aliisque eiusdem farinae scriptoribus ad strophas et versutias sacerdotum referri velit, nae is praeconceptis opinionibus penitus occoecatus sit, oportet.

**) Haud scio, an operae pretium facturus sit, qui, quaecunque apud Herodotum exstant oraculorum responsa vatumque carmina in classes suas redacta apte disponat, et quae hinc effici queant ad persuasionem illius seculi de rebus sacris et universam prudentiam cum civilem tum sacram penitius perspiciendam, inde eliciat. Nam qui subtiliter hoc argumentum enucleasse fertur, *Groddeckius* in commentatione: *de oraculorum, quae Herodoti historiis continentur, natura et indole*, in Societate literarum Goettingensi d. 18. Novembr. 1786 praelecta, iucundissimo dissertationis illius fructu nos nondum impertivit. Certe frustra illam quaeras in commentariis Societatis, qui statis temporibus in lucem emitti solent. Salivam, fateor, mihi moverunt ea, quae inde selecta et in compendium redacta legas in Ephemerid. Goetting. (*Goetting. Anz.* 1786 p. 1980—83.) unde dicas, virum sagacissimum oracula, quorum apud Historicum nostrum mentio fit, tantum non omnia referre ad illa tempora, in quibus, corrupta iam nativa oraculorum simplicitate, omnia ad fraudes sacerdotum et turpes fallacias degeneraverint. Cui sententiae quo minus calculum addere possimus, faciunt loca complura, unde pristina illius instituti severitas mihi liquido demonstrari posse videtur. Forsitan *Blühdornius*

tionem illam, eventus rerum ex oraculorum ambagibus et praedictionibus metiendi, accommodatissimam esse carmini epico, et pertinere omnino ad mirabiles deorum effectus, quibus res humanae ad altius dignitatis fastigium evehuntur, documento sunt innumera veterum poetarum loca, Calchantis et Tiresiae apud Homerum vaticinia, Cassandrae furores, quercus fatidica Argonautarum et totius Aeneidos ex his oraculis ut plurimum pendentis decursus *). Haud absurda igitur nostra erit sententia, si statuamus, diligenti ista oraculorum commemoratione, quam frequentavit Herodotus, lectores eius non solum pietatis aliquo sensu tactos, qualis in homines istius aetatis cadebat, verum etiam admiratione captos et eodem fere modo affectos esse, quo carminum epicorum, per eiusmodi deorum effata rerum eventus vel praecipitantium vel retardantium, lectores affici solent. Ut-
11 cunque tamen facile intelligitur, nos in hac similitudine historici cum poeta epico explicanda non eo progredi, ut data opera haec ab Herodoto disposita dicamus et rerum eventibus innexa, quo lectorum animos aut religionum terroribus obstupefaceret, aut rerum mirabilium illecebris deliniret. Sponte sua haec illi subnascebantur. Postulabant hoc mores et ingenia hominum, quae, tanquam in tabella, depingere constituerat **). Sed in iis apte sciteque interponendis eximiam scriptor tersissimus probavit solertiam.

Enimvero longe maiorem similitudinem cum ministeriis

V. Cl. Scholae, quae Brandenburgi floret, Prorector, quem olim, cum Gubenae versaremur, nobis operam dedisse, magna cum voluptate recordamur, in dissertationibus editioni, quam molitur, carminum Sibyllinorum praemittendis, haec quoque accuratius expendere, suum esse putabit.

*) Inprimis illos poëtas, qui *Νόστους* scripserant et Cyclici appellabantur, hac arte usos esse, ut per fatorum decreta et oraculorum responsa deorum interventum frequentarent, vel ex argumentis Cypriorum carminum et *Νόστων*, quae a Proclo servata sunt, satis apparet. De Virgilio contulisse iuvabit, quae disputavit *Heynius* ad *Aeneid. Disquis.* II. p. LXVI. seqq.

**) De consilio, quod sequutus sit Herodotus in hac frequenti oraculorum commemoratione, disseruit etiam in fine commentationis, quam supra ex ephemeridibus Goettingensibus laudavimus, *Groddeckius*. Omnia huc redeunt scilicet: non poterat haec omittere historicus, nisi mancam et lacunis deturpatam esse vellet historiam, his oraculorum ambagibus usque quaque connexam. Eodem argumento ad excusandum Herodotum, cui tam crebra oraculorum enumeratio fraudi fuit apud criticos quosdam superciliosos, recte usus est *de Rochefort*, in commentatione *sur la morale d'Herodote*, *Mem. de l'Acad. d. Inscript.*, T. XXXIX. p. 21.

deorum, in carminibus epicis identidem occurrentium cerni puto in illa nobilissima dicam an famosissima sententia: τὸ θεῖον φθονερόν (I, 32.), sive in Nemesi Herodotea, cui, tanquam fundamento omnem historiae suae οἰκονομίαν superstruxisse historicum, satis liquido apparet. Sed cum haec altera disputationis nostrae pars latissime pateat, et ad sensus priscorum hominum recludendos totamque illam de Nemesi, seu Rhamnusia dea fabulam patefaciendam aditum nobis aperiat, videmus, haec in angustos, quibus hoc totum scriptionis genus circumscriptum esse solet, limites compingi non posse. Integram igitur illibatamque servabimus hanc materiam alteri eiusdem generis scriptioni, cui, si vivimus, componendae occasio in posterum non deerit.

XIII.

DE HERODOTI HISTORIA

AD CARMINIS EPICI INDOLEM PROPIUS ACCEDENTE SIVE DE NEMESI HERODOTEA PROLUSIO ALTERA *).

Esse deum, cuius sapientissimis consiliis administretur 3
mundus, cernique in mundo numinis providentiam, rerum humanarum moderatricem, virtutis fautricem, ultricem scelerum, clamat historia omnium saeculorum, clamat consensus populorum, qui quidem a belluina ferarum gentium immanitate ad meliorem humanitatis cultum transierunt, omniam. Quid multa? Vetus est dictum: solem e mundo tollere velle videntur, qui providentiam negant. Atqui in hac omni, quae latissime patet, de providentia disputatione facile apparet, illam in primis partem semper maximi habitam esse a mortalium genere, qua virtutibus praemia, sceleribus poenas constitutas esse certissimas, rerum eventa inde ab antiquissima hominum memoria comprobaverunt. Δίκην appellarunt Graeci hanc providentiam, Deam omnium, quae Olympum incolunt, severissimam, augusto Iovis solio assi-

*) Prodiit Vinariae a. 1793.

dentem, improbos inextricabilibus retium nexibus implicantem, et antecedentem scelestum raro ac vix unquam deserentem *). Scilicet quocunque oculos convertimus, cum in fatis singulorum hominum, tum in conversionibus totarum civitatium et gentium non leviter adumbrata, sed expressa ubique et exstantia institiae illius divinae signa deprehendamus, venerabundique adoremus oportet. Atque hic ultro se nobis offert et quasi invitos ad contemplationem sui abs-
4 trahit, quae omnium sermonibus adhuc teritur et diurnorum libellis quotidie depraedicatur, foedissima Francogallorum strages, tristissimusque e Belgio discessus. Quae quidem vulnera, intestinis discordiis, teterrimoque tumultu per universam Galliam dudito passim recrudescentis, a deo infandi parricidii, sacrilegiorum, rapinarumque ultore genti illi imposita esse vidit, et in praeclara epistola ad populares suos scripta aperte prae se tulit, magnum in hoc bello regibus pariter ac matribus detestando nomen, Dumourierius **). Nimirum est haec illa Nemesis, vindictae divinae

*) Multum differt haec Δίκη a Themide, Astraea aliisque similibus deabus apud scriptores et poetas antiquos obviis, quae cuivis facile succurrent. Iovis πάρεδρος appellatur in loco Plutarchi *ad principem ind.* p. 781. B. id quod e notissima Themidos fabula ductum esse, facile intelligitur. Vide Arnaldum de diis παρέδροις c. III. p. 46. Huc pertinere locum Pindari Olymp. 13, 17. apparebit, si compares Callim. in Iov. 81. Tribuuntur illi retia, sive laquei, quibus scelestos implicat et constringit. Illustravit ἄρκυας τῆς Δίκης *Valckenaer. ad Herodot.* p. 545, 11. quas restituendas esse puto Aeschylo in Agamemn. 1611. τῆς Δίκης ἐν ἄρκυσιν, ubi editiones, Schütziana etiam, exhibent ἔρκεσιν; vid. Eurip. Electr. 966. et Intt. ad Hesych, s. v. ἔρκεσιν. Atque hinc explicandi etiam *Mortis laquei*, vulgo perperam intellecti apud Horat. III. od. 24, 8. Uno verbo: ἡ Δίκη est vindicta divina, poetarum sermone ad peculiaris Deae speciem composita. Latini proprio vocabulo *Poenam* appellant, qua non Furiam aliquam, sed hanc ipsam Dicen intelligendam esse, facile patebit conferenti locum Horatianum Od. III. 2. 31. cum fragmentis Euripidis, a Valckenaerio in Diatribe et *Wyttenbachio* ad Plutarchum de S. N. V. p. 17—19. illustratis. Cf. Theogn. 209. Solon in Analect. T. I. p. 65. VI.

**) Temperare mihi non possum, quin ipsa verba famosissimae dicam an nobilissimae epistolae adscribam ex actis diurnis Parisiensibus (*Journal de Paris* n. 86. p. 344.): „Il a existé de tout tems dans les événemens humains une récompense des vertus et une punition des vices. Les „particuliers peuvent échapper à cette Providence, qu'on appellera comme „on voudra, parceque ce sont des points imperceptibles. Mais parcourez „l'histoire, vous y verrez, que les peuples n'y échappent jamais. Tant „que notre cause a été juste, nous avons vaincu l'ennemi; dès que l'a„varice et l'injustice ont guidé nos pas, nous nous sommes détruits nous „mêmes, et nos ennemis en profitent." Ecquis vero, qui haec aliaque permulta, quotidianis sermonibus cum maxime iactata, probe apud animum

filia, sive, si Platonem audire malumus, internuntia*), quam delubris, aris, statuis, incantamentorum et precum formulis superstitiosa coluit antiquitas; quam fraenis cubitoque armatam tumidorum minas compescere, et spes improbas intercipere pulcherrimo commento finxerunt poetae; quam universis populis potentissimisque regibus pestiferam et luctuosam passim celebrarunt historici; quam denique, adventitiis illis ornamentis exutam, nos quoque Christiani, eximiae virtuti a summo doctore commendatae τῇ ταπεινοφροσύνῃ studentes, adhuc colimus et veneramur.

Hanc igitur Nemesin ab Herodoto etiam, historicorum, quotquot e profana antiquitate aetatem tulerunt, venustissimo antiquissimoque passim in iis locis commemoratam esse, in quibus miras casuum vicissitudines regnorumque conversiones ad *invidiam numinis* referendas esse docet, affirmavimus nuper in ea prolusione, in qua de Herodoti ingenio in historia scribenda ad epicum carmen propius accedente a nobis exponi coeptum est. Idoneis sane argumentis inducti ita statuimus. Quae cum illo tempore angustis limitibus, quibus istiusmodi libelli circumscripti esse solent, interclusi alteri eiusdem generis scriptioni servaverimus, age, inchoatum opus nunc perficiamus, et, quando opportuna iterum de literulis nostris aliquid commentandi sese nobis obtulit occasio, telam exorsam haud cunctanter pertexamus. Dabimus hoc Herodoto, cuius mellitissima oratione verborumque pariter ac rerum illecebris disciplinae nostrae alumnos magis magisque capi et, ut ita dicam, inescari valde laetamur; dabimus ipsis tironibus nostris, quorum in conscribendis huius generis libellis cum nunquam non spectare solemus utilitatem, tum in primis in Herodoto nostro diligenter versando incensum inflammatumque esse cupimus studium et industriam.

Numen nimia prosperitate mortalium offensum, carpens et attenuans sublimes, arrogantibus infestum, ubique

---

suum reputet, abiecto et pusillo animo esse poterit, recordatus praestantissimi in Tyrtaei carminibus versiculi: *Θαρσεῖτ' οὔπω Ζεὺς ἀπέχθεται λοξὸν ἔχει.* Analect. I, 49. 11.

*) Nemesis *Θυγάτηρ Δίκας* audit in praeclaro Mesomedis hymno apud Brunckium in Analect. T. II. p. 293. I. *Δίκης ἄγγελος* appellatur a Platone de Legg. T. VIII. p. 188. ed. Bip.

inculcavit et, ceu deum aliquem ex machina, acerbissimis regum e fastigio deturbatorum casibus, mirabilibusque, quibus abundat illa historia, rerum eventis passim immiscuit Herodotus. Agnoverunt hoc et insigni sententia per universam eius narrationem fusa et dilatata, tanquam peculiari nota distingui posse et secerni nostrum a reliquis historicis tradiderunt plerique, qui hoc sibi sumerent, ut censuram agerent scriptorum veterum *). Sed cum in omni narrationis suae ambitu comprehendendo carminis epici indolem expressisse et in describendis partibus ac ordine totius operis ad perfectissimum Homeri exemplar se totum composuisse appareat; hanc quoque similitudinem cum poetis epicis in illo nobis reperire visi sumus, quod, quemadmodum in epico carmine deorum ministeriis et ope praesentanea pleraque ad exitum perducantur, et extricentur, sic in illius narratione omnia administrentur numinis spes immodicas graviter comprimentis, fastumque et contumelias tyrannorum acerrime ulciscentis invidia. Itaque non inepte hoc affirmari poterit, eandem provinciam, quam Iovi aliisque dis in Iliade, quam Neptuno in Odyssea mandavit Homerus, quam Iunonis irae inexpiabili tribuit in Aeneide Virgilius (vid. *Heyn. in excursu* I* ad Virg. Aen. p. 127), tradidisse Herodotum numini suo, quod, ut Horatii verbis utar, *valet ima summis mutare, et insignes attenuare.* Quod
6 quidem ut eo dilucidius appareat, age, seligamus et carptim perstringamus loca luculentiora, in quibus numen illud

*) Palmam reliquis praeripuit acutissimus tersissimusque scriptor *Barthelemius*, qui in Itinerarii illius, quod Anacharsidi cuidam affinxit, capite LXV historicos Graecos etiam recensuit et trigam illam nobilissimam Herodotum, Thucydidem, Xenophontem inter se composuit. Ponamus ipsa verba T. VII. p. 82. „*Herodote voit par-tout une divinité jalouse, qui attend les hommes et les empires au point de leur élévation pour les précipiter dans l'abyme.*" Vir Doctus, qui in *Bibliotheca nova bonarum artium*, T. XLI. p. 224. excerpta dedit e Barthelemio, interpositis, in quibus passim ab auctore illo discedit, iudiciis, huic quoque sententiae calculum suum se addere posse negat, propterea quod, quae pervulgata fuerit omnium hominum Herodoti aetate opinio, nec ad historicum illum solum pertinuisse, nec praecipue ab eo exornata fuisse dici queat. Sed, pace dixerim Viri amicissimi, quamvis hanc quoque sententiam e quotidianis hominum sermonibus et vulgi persuasione haustam esse liquido appareat, historicum tamen singulari artificio eam in usum suum convertisse et complura, quae aliunde explicari poterant, ad numinis invidiam retulisse, negari nullo modo potest.

haud dubie in scenam produxit suoque more exornavit Herodotus *).

Atque hic quasi in limine se nobis offert notissimum illud et pueris etiam decantatum Solonis cum Croeso opibus suis inflato colloquium (I, 32), quod haud scio an hoc ipso consilio e vagis quibusdam rumoribus, qui de hoc Solonis itinere circumferebantur, arripuerit Herodotus **), ut ex

*) Cum Plutarchus in libello, atrae loliginis pleno, quo Herodoti malignitatem perstrinxit, hoc quoque nomine historicum nostrum acerrime exagitasset, quod impiam de numinis malevoli invidia sententiam, a Solone, cui perperam tribuatur, alienissimam, effutire non erubuerit (v. Plutarch. de Mal. Herod. p. 857. F. seq.): suum esse putavit Abbas *Geinozius*, vindex Herodoti et defensor fortissimus, hanc etiam maculam eluere scriptori candidissimo. Idcirco in altera dissertatione, in qua vindicias egit historici, copiosissime tractavit hoc accusationis caput, locisque, in quibus haec de numinis invidia opinio vel exemplis constabilitur, vel diserte traditur apud nostrum, diligenter collectis, eo consilio haec omnia ab Herodoto disposita et adornata esse docuit, ut haberent homines, unde saperent, et numinis invidiam a se amoliri discerent. V. *Défense d'Herodote, second mémoire*, où l'on s'attache à développer le système de morale qu'Herodote a suivi, in *Mémoires de Litterature* T. XXI. p. 126—140. cuius versionem theotiscam dedit Eyringius in *Gatterers Allg. historischer Biblioth.* T. X. p. 87. seqq. Scilicet hanc viam potius sequi debuisset Geinozius, ut ortum huius opinionis ex indole humani ingenii derivandum sagaciter indagaret, et quam commode illam ad deos transtulerit Herodotus, ostenderet. Mature observarunt homines, plerosque, quibus prosperrime diu cessissent omnia, *funditus* (προοῤῥίζους, v. Valck. et Wesseling. ad Herod. p. 479, 72.) periisse. Tribuebant hoc indignationi deorum, quos ex suo ingenio metiebantur. Nam, ut verissime Herodotus noster III, 80. *ὁ φθόνος ἀρχῆθεν ἐμφύεται ἀνθρώπῳ*. Hanc opinionem cum penitus iam inveteratam apud aetatis suae homines inveniret historicus, pulchre illa usus est, cum ad sententiam, in qua omnis fere sapientiae veteris cardo vertitur, *μηδὲν ὑπερ τὸ μέτρον*, confirmandam, tum ad tyrannorum, a quibus ubique abalienare studet lectorum animos, regumque miserrimos casus graphice depingendos. Eodem fere consilio in Tragoediis Graecorum introduci tyrannos, vecordia et arrogantia in praeceps ruentes, pulchra est observatio *Gasp. Barthii ad Statii* VI. Theb. 691. p. 580. s.

**) Nondum enim, fateor, omnem mihi in hac re scrupulum exemerant, quae ad colloquium illud Solonis cum Croeso cum temporum rationibus conciliandum ingeniose commenti sunt Bouhierius, Wesselingius, Larcherius in notis ad Herodotum. Acumine quidem omnes superavit *Gibertus*, qui Croesum commune omnium Mermnadarum nomen fuisse statuit in dissertatione, cuius excerpta habes in *Mémoires de Litterature* T. XXI. p. 142. seqq. Sed quo magis rem apud animum meum expendo, eo verisimilior mihi videtur Frereti et Bruckeri sententia rem totam ad incertos vulgi rumores et suaves fabellas, quas saepe ad palatum saeculi sui confinxerunt historici (vide subtilem dissertationem doctissimi Francogalli *sur le goût du merveilleux, reproché aux historiens Grecs et Latins, Histoire de l'Acad. des Inscr.* T. XL. p. 16. seq.) haud ambigue referentium. Conferat mihi aliquis fragmenta Solonis in Gnomicis Brunckii p. 74, 28. 77, 5. cum oratione, qua Herodotus illum ad Croesi spiritus retundendos usum esse perhibet et fontes, unde haec narratio profluxerit,

7 sapientissimi legum latoris persona, quae de fragilitate rerum humanarum et de numinis vi, homines opibus suis nimium confisos percellente loctores suos statim ab initio monitos vellet, proponeret, atque ita, quod dramaticae artis scriptores appellant, παρασκευὴ fieret fabulae, numinis illius invidi et turbulenti (τοῦ θείου φθονεροῦ καὶ ταραχώδους) ope et interventu usque ad calcem historiarum suarum continuandae. Vix discesserat Solon ex aula Croesi, cum numinis ira in regem, inani divitiarum suarum fulgore occoecatum, expeteret. Atys enim, regis filius, in venatione ab Adrasto regis hospite imprudens occiditur, id quod numini ingentes Croesi spiritus et arrogantiam exoso acceptum refert ipse Herodotus (I, 34. ἔλαβεν ἐκ θεοῦ νέμεσις μεγάλη Κροισόν). Sequitur iam funestissimus ille Croesi casus, quo regno exutus, rogoque impositus poenas temeritatis suae luit gravissimas. Cuius oratione, qua stoliditatem suam deplorat (I, 68), cum parum profecisset Cyrus, et secundae fortunae aura inflatus Croesum monentem, ne homo natus immortalem se esse autumaret (I, 207.), vili penderet, praeceps agitur in perniciem suam et a Tomyri internecino proelio funditur, trucidaturque. Iam vero filius eius Cambyses, diis hominibusque infestus, importunitatis ac superbiae poenas dat acerbissimas, suopte gladio in eodem loco sauciatus, quo olim percusserat Apin, Aegyptiorum deum, et ad postremum deorum potentiam validissimis hominum machinationibus superiorem esse profitetur (III, 65.). A Cambyse ad luctuosissimum Polycratis, Samiorum regis, exitum narrandum deflectit oratio. Quo quidem fato, mira facundia a disertissimo scriptore exposito, quid efficacius cogitari possit ad numinis illam ineluctabilem invidiam declarandam, non video. Digna profecto est, quae saepe legatur, imo ediscatur, Amasidos epistola (III, 40.), in qua post repetitam illam de numine altiora deprimente senten-

---

facile indagabit. Quis vero nescit, plures eiusmodi haud illepidas narratiunculas omnem antiquitatem pervagatas esse? Adi, si tanti est, *Meinersium*, qui diligenter haec excussit in *Geschichte der Wissensch. in Griechenl. und Rom*, T. I, p. 127. seq. Ceterum hoc iam apparet, cur Herodotus hos rumores non repudiaverit. Scilicet mirifice confirmabant sententiam suam in Solonis ore plus ponderis habituram, quam si ipse illam copiosius enucleasset.

tiam diserte affirmat, fuisse neminem, qui, cum diu ab omni parte beatus vixisset, non ad postremum malis undique impendentibus perculsus et de gradu suo deiectus fuerit. Idem numen superbiam et crudelitatem severissime ultum esse dicitur in Pheretimae, mulieris Cyrenaicae, immani saevitia punienda, quae viva vermibus corrosa est (IV, 205) *). 8 Nec praetermittenda sunt, quae in digressionibus nonnullis de Periandro, Corinthiorum tyranno, gravissima numinis vindicta liberis ad extremum orbato (III, 50 — 53) et de Glauco, impurissimo homine (VI, 86.), apte intexuit historicus. Sed cum ad inclytam illam Xerxis adversus Graecos expeditionem ventum est, ubi cum rerum gestarum magnitudine ipse quoque altius exsurgit Herodotus, hic vero omnia numinis, fastum tyrannorum ulciscentis et eminentissima quaeque defringentis vi atque impetu rapi, prosterni, proculcari cernas, et tanti spectaculi stupore attonitus ipse quoque numine quodam te afflatum vel sacro horrore perfusum sentias **). Et ut intelligas, in hac summa numinis efficacia omnes rerum gerendarum nervos sitos esse, Arta-

---

*) Miror hunc locum Herodoti nulli interpretum, quos quidem inspicere licuit, in mentem venisse ad explicandum vexatissimum locum de morte Herodis Agrippae apud Lucam in A. A. XII, 21—23, ubi qui Nemesin lacessere et divinos honores sibi arrogare ausus esset Herodes Agrippa, morbi repentini vi percellitur *καὶ ἀνέψυξεν σκωληκόβρωτος γενόμενος*. Hic non est, quod cum *Ernestio* in disputatione *de Lucae et Iosephi consensu* aliisque in conciliandis iis, quae diversa tradunt Lucas et Iosephus *Αρχ.* XIX, 8. 2. multum laboremus. Tenendum est, vulgarem fuisse opinionem, eos, qui pro humanae sortis mediocritate arrogantius aut crudelius se gessissent, vivos vermibus consumi. Sic misere exspirasse dicitur perditissimus impostor Alexander, deum Aesculapium mentitus apud Lucian. in Pseudomanti c. 59. T. II, p. 263. *σκωλήκων ξέσας*. Sic Antiochum *θείᾳ μάστιγι* vivum computruisse et vermibus pullulasse refert historicus II. Maccab. 9. 9—11. Et pertinent huc nonnulla ex exemplis, quae laudavit *Elsner. in Obs. Sacr.* p. 417. Quis miretur igitur, Lucam in tralatitiis eiusmodi superstitionibus recensendis saepe simium hanc quoque secundum vulgi opinionem tradidisse.

**) Quam vim haec haberent ad lectorum animos percellendos concitandosque pulchre sensit, qui nostra aetate Leonidae mortem ad Thermopylas praeclaro carmine celebravit, poeta Britannus *Gloverus*. Is enim cum unus fere omnium poetarum, qui in genere epico elaborarunt, indignum persona sua iudicasset, intexere carmini suo fictiones de deorum vel geniorum ope et praesentia (*Maschinerien*), ideoque numini Xerxen cladibus coercenti locum in poemate suo non reliquisset, e fastu tamen tyranni pulcherrimos colores duxit in praeceptis illis adumbrandis, quae mater Artemisia tenero filii animo instillat B. IV. 841—64, edit. Londinens. 1770. Lubet pauca tantum inde decerpere:

banus Xerxis patruus, bellum, quod moliebatur, temera-
9 rium dissuadens non paucis tantum verbis, ut in prioribus a Solone et Amaside factum erat, sed integra fere oratione (VII, 19. 45.) vim numinis excelsa ferientis, humilibus parcentis*) explicat. Ab eodem fonte derivatum fluxit somnium Xerxi ante expeditionem illam divinitus immissum, et miserrima eiusdem eiulatio, cum innumerabilem copiarum suarum multitudinem a turri Abydena contemplatus opprobria iaceret in numinis invidiam, brevis vitae usuram hominibus maligne praebentis (VII, 46, *ὁ θεὸς γλυκὺν γεύσας αἰῶνα, φθονερὸς ἐὼν ἐφαίνετο*). Sequitur iam incredibilis stolidissimi regis vecordia, qua copiis, quae fluvios exsiccarent, classibusque maria absconderent, cinctus in montes et maria sacra profanaque debaccharetur, et tandem post ingentem suorum cladem, ultima mortalium passus, vix scapha piscatoria turpiter elaberetur. At ne quis in causa tantarum calamitatum investiganda erraret, et regis scelerum suorum furiis numinisque vindicta exagitati casum secus

---

— look undazzled on the pomp of men
Most weak, when highest. Then *the jealous Gods*
Watch to supplant him. — Bless'd be these Lords;
They, who alone can tame, or swell the floods,
Compose the winds or guide their strong career,
O'erwhelming human greatness, will confound
Such vanity in mortals. —

*) Dignus profecto locus, qui peculiari dissertatione illustretur. In gravissima sententia, *ὁ θεὸς τὰ ὑπερέχοντα οὐκ ἐᾷ φαντάζεσθαι*, Wesselingius parum commode explicat verbum *φαντάζεσθαι*, cuius vestigia, ut fere ubique, hic quoque pressit *Larcherius* in notis Vol. V. p. 273. Verbum h. l. haud dubie adiunctam habet notionem iactationis et ambitiosae ostentationis, ut observavit etiam, qui diligenter de hac voce egit, *Th. Gataker* ad Antonin. 1, 7. p. 8. Vide omnino *Wetsten. ad A. A.* XXV, 23. Antiquam hanc esse verbi virtutem et veteri Ionum dialecto iam frequentatam patet e loco auctoris, cuius libellus *de decenti habitu medici* exstat in Hippocrateis 8. I. p. 26, 2. Foes. ubi medicus iubetur *ποιέειν μηδὲν περιέργως, μηδὲ μετὰ φαντασίης*, id est, ut scite exposuit *Reinesius* V. L. II, 3., sine ulla ostentatione. — Paucis verbis interiectis terrorem a diis iniici magnis exercitibus refert Herodotus, in quo loco antiquissima opinionis de terrore Panico vestigia facile deprehendas. Insignis in hanc rem locus est apud Thucydidem VII, 80. ubi observat, magnam manum militum facilius his terriculamentis agitari. Scilicet hos quoque metus daemon quidam coeptis grandioribus infensus immittere putabatur, quos deinde cum alio quodam terrorum genere in pastorali vita saepius obvio (v. Longi *ποιμεν.* II. p. 53, 10. Villois.) comparare et ad Panes et Faunos transferre coeperunt. Sed de his alibi agendi locus erit. Vide interea *Valckenaer.* ad Herod. IV, 163. p. 370. et Intt. ad Polyaen. p. 15. seq. ed. Masvic.

interpretaretur, cavit prudentissimus historicus concione illa, quam vere epilogum dramatis appelles, a Themistocle in concilio totius Graeciae habita, ubi moderationem suadet in ipsa victoria. Nec enim nos, inquit, ista effecimus, sed dii pariter et heroes, qui uni viro improbe et stolide factis infra infimos mortalium detruso Asiae et Europae imperium *inviderunt* (VIII, 109.). Corollarium totius fabulae libro nono attexuit historiam eorum malorum, quae familiam regis post reditum eius in Persiam pessumdederunt. Nam hic quoque impurissimus tyrannus inter omnia voluptatum genera et incestas libidines volutatus, pestem sibi suisque conflavit atrocissimam *) (IX, 109. ἔδεε κακῶς κακοικίῃ γενέσθαι).

Innumera eiusdem opinionis semina passim sparsa reperias apud auctorem nostrum **), quae si quis singula rimari vellet et vel leviter tantum perstringere, facile appareret, illi integrum commentarium in Herodoti historias et iustae magnitudinis volumen conscribendum esse. Sufficiat

*) Pulchra est observatio Abbatis Geinozii, adiecisse Herodotum hoc Epimetron historiae, quam in victoria ad Mycalen parta finire debuisset (in illa enim argumentum totius historiae, quod *Graeciam liberatam* inscribi posse monuit post alios *Gattererus* in *Allg. Hist. Biblioth.* T. II. p. 17. haud dubie ad finem perductum est) eo tantum consilio, ut melius constaret vis sententiae de numine inflatos tyrannorum animos domesticis etiam luctibus et intestinis cruciatibus excarnificante, v. *Mémoires de Littérature*, T. XXI. p. 131. Cogitemus hic Augustum, in summo humanae felicitatis fastigio domesticis uxoris et flagitiosissimae filiae furiis ita exagitatum, ut subinde exclamaret *Αἴθ' ὄφελον ἄγαμός τ' ἔμεναι, ἀγονός τ' ἀπολέσθαι*, Sueton. c. 61; cogitemus e recentiorum temporum historia Ludovicum, Galliarum regem eius nominis quartum decimum, qui ad extremum omnibus fere liberis et nepotibus suis superstes inter luctus et femineas cathedras consenuit, nec in Xerxem tantum hanc Nemesin domesticam desaeviisse arbitrabimur.

**) Sic, ut digitum certe intendamus ad ea, quae nuper in scholis Herodoteis explicata nondum excidérunt spero animis tironum nostrorum, numen superbis infestum manifestatur in turpissima clade Lacedaemoniorum, quas ad Tegeatas vinciendos attulerant compedes, iam suis cruribus iniectas esse cernentium I, 66. Confer similem Carthaginiensium calamitatem apud Diodorum XX, 13. Sic in praeclara narratione de Adrasto Atys Croesi filium occidente, quam miror a nemine adhuc in scenam productam esse, cum ad miserationem fletumque excitandum sit aptissima, (v. acutissimi Angli *Gillies*ii iudicium in *History of Greece* T. III, p. 298.) in ea igitur narratione haud obscura arrogantiae in Adrasto punitae deprehendas signa. Temerarium enim, quod scriberet Nemesis in tabellis suis (Callim. H. in Cer. 57.), fuit promissum Adrasti, se adolescentulum cuius suae commissum *certissime* tutum et incolumem ab omni periculo praestiturum esse. Atqui ipse illum paulo post venabulo imprudens confodit.

capitulatim attigisse loca insigniora, quorum seriem et nexum si quis accuratius dispiciat, intelliget, puto, numen successus nimios et insolentiam mortalium retundens in eodem fere loco et numero haberi apud historicum, quo dii reliqui opem vel noxam praesentaneam hominibus afferentes sunt poetis epicis, nec iniuria hinc colligi posse, quod supra posuimus (in Prolusione I. p. 8.) simillimam esse Herodoti historiam carmini epico in deorum ministeriis apte interserendis.

11 Video iam amplissimum mihi campum apertum esse, in quo evagari et decurrere possit oratio mea. Dici enim non potest, quam late pateat haec sententia per universam Herodoti historiam fusa et dilatata cum ad sensum interiorem plurium locorum in illo opere penitus recludendum enucleandumque, tum ad aliorum scriptorum, ad Herodoti normam in sententiis et formulis passim sese accommodantium, ingenium accuratius explorandum perspiciendumque. Sufficiat duo tantum attigisse, quae copiosius exsequi prohibent angustiores, quibus hae scriptiones continentur, limites.

Primum igitur aut egregie fallimur, aut multum valet tota haec ratio ad veras causas, quibus inductus historicus in diversis de una eademque re narrationibus hanc vel illam amplexus sit, recte investigandas et diiudicandas. In Croesi a Cyro devicti historia multum a Ctesia et Xenophonte discrepat Herodotus. Apud illos totius tragoediae de Croeso ad ultimum supplicium condemnato et in ipso mortis articulo sortis humanae imbecillitatem deplorante nec vola, quod aiunt, nec vestigium apparet. Herodotus e variis, qui de hac re percrebruerant, rumoribus illum sequi maluit *); quem scenae suae servire et optime congruere cum sententia de numine superbis infesto, intelligeret. Porro autem in celeberrimo illo historicorum de Cyri morte divortio, quis est, qui ignoret, quantum discordent inter se et dissentiant

*) Bene observavit *Larcherius* in notis Vol. I. p. 330. ad I, 86. Herodotum ea, quae de rogo Croesi referat, e vulgi rumoribus tantum accepisse, et ne fraus fieret lectoribus diligenter caviisse, addito solemni illo verbo *λέγουσι*, quod post voces *τὸν μὲν δὴ κοτίων ταῦτα* supplendum esse, satis liquet. De dissensu Herodoti a Ctesia et Xenophonte plura haud protrita monuit *Hiesmannus* in animadversionibus ad librum e Francogallorum lingua versum: *Neue Welt- und Menschengeschichte* T. III. p. 87. adde quos laudat *Meuselius* in *Bibliath. Historica* Vol. I. P. II. p. 30.

Xenophon et Herodotus. Enim vero Xenophontem fabulam Socraticis praeceptis refertam scribere maluisse, quam historiam ad veritatis amussim exigere, veteribus iam probe perspectum fuit et cognitum. Audio. Sed nec cum Ctesiae narratione, qui Cyrum in bello cum Sacis gesto ad Iaxartem fluvium occubuisse refert, nec cum Orientalium scriptoribus, quos post Richardsonium diligenter recensuit *Ionesius* in Praefatione ad vitam Nadirii (*History of the Life of Nadir Shaw, King of Persia.* Lond. 1773.) p. XXXVI. seqq. conspirant ea, quae Herodotus tradidit, terrorum et ingentium in rebus humanis vicissitudinum plenissima. Atqui haec ipsa immane quantum adiuvabant consilium historici, ubique in colligenda historiae suae materia ea consectantis, quae miserabiles potentissimorum regum casus et infortunia scite depingerent, et populares suos, spectaculis eiusmodi ob insitum libertatis et aequalitatis amo- 12
rem mirum in modum delinitos, suaviter permulcerent. In proclivi foret, haec uberius persequi, pluribusque, quae in promtu sunt, exemplis ostendere, quam tenax huius propositi in omnibus iis, quae diversimode traderentur, suo more narrandis fuerit Herodotus. Sed restat aliud, quod nunc vel digito commonstrasse sufficiat.

Cum apud Herodotum deae illius, quam Nemesin, Rhamnusiam, Adrasteam appellarent Graeci, et universo isti negotio, improborum fastum compescendi et immodicos conatus refraenandi praefecerunt, nusquam diserta occurrat mentio: apparet, historicum nostrum vel plane ignorasse deam illam, vel certe cultum illius et magnificas, quas Graeci de illa extulerunt, sententias tunc temporis nondum late sparsas fuisse et disseminatas. Atque hic semper mirari subiit, qui factum sit, ut Herodotus in pugna Marathonia describenda diligentissimus, lapidis illius a Medis e Paro insula advecti, unde Phidias eximiam illam Rhamnusiae statuam caelasse dicitur (Pausan. I, 33. p. 81.), nullam mentionem fecerit. Constat enim, multa passim ab historico, cum iam absolvisset opus suum, illic inserta esse, quae ad posteriora tempora spectarent. Potuisset igitur illud quoque supplere eo in loco, ubi miram quandam de statua Deiorum a Medis post pugnam Marathoniam relicta repetiit

fabulam (VI, 118.). Sed si verum fateri volumus, tota ista narratio de Nemesis statua e marmore a Medis relicto fabricata, tot posteriorum scriptorum testimoniis et epigrammatibus nobilitata *), e vulgi mira captantis fabellis profluxisse, nec satis firmo fundamento nixa esse videtur. Scili-
13 cet causam, qua commotus Herodotus et hoc in loco et in aliis Nemesin silentio plane praetermiserit, eandem esse putemus, qua Aeschylus impeditus fuit, quo minus in Persis Deam illam commemoraret, quam argumento fabulae sic postulante **) non potuisset non in partes suas vocare, si in vulgus nota et ab omnibus cognita fuisset illius Deae vis

*) Si quis locum classicum Pausaniae I, 33. p. 81. de Nemesis Rhamnusiae statua cum verbis Plinii XXXVI, 5. s. 4. Pomponii Melae III, 2. 8. Strabonis IX, p. 607. B. et Hesychii T. II. c. 1101. s. v. *Ῥαμνουσίαν* conferat, facile intelliget, tantam esse de auctore illius statuae et ornamentis eius sententiarum varietatem, ut verum ex his eruere, valde difficile sit et lubricum. Hoc apparet, foecundum admodum fuisse Graecorum in his exornandis ingenium laetissimamque inde progerminasse fabellarum segetem. His adiiciantur oportet epigrammata in Anthologia Graecorum bene multa, quae quidem, quantus in hac re dissensus fuerit veterum, abunde declarant. Sunt autem, quae quidem observare licuit, haec in Analectis Brunckii T. II. p. 515. V. p. 202. VI. T. III. p. 166. LXXXII. p. 203. CCLVII. Laudavit iam *Heynius* in commentatione de auctoribus formarum, quibus dii in priscae artis operibus efficti sunt, in *Comment. Societ. Gotting. Class. Philolog.* T. VIII. p. XXIX. *Herderi* V. S. V. ingeniosam et subtilem hac de re dissertationem in *Zerstreute Blätter* T. II. p. 221. seqq., quae, cum omnibus iam diu in sinu et deliciis fuerit, nostro praeconio non eget. Scripsit etiam Vir Doctus apud Batavos, *Io. Ouwens* orationem *de Nemesi Phidiaca*, quam tamen oculis usurpare nondum licuit.

**) Aeschylus in egregia illa Persarum fabula ubique ostendit, foedissimam Xerxis stragem a deo fastum impotentissimi tyranni exoso derivandam esse. Vide 91. 360. 470. 513. 721. 805. 810. 907. in primis vero loca praestantiora v. 736—48. ubi loquitur Darii umbra et verba nuntii 815—20. Sed cum in omnibus istis locis nulla plane Nemesis mentio occurrat, haud improbabili coniectura colligimus deam a Tragici grandiloquentia nequaquam alienam non neglectam, sed ignoratam esse ab Aeschylo. Ceterum hoc facile observabit, qui Aeschyli fabulam cum Herodoti oratione diligenter componet, tragicum in multis sententiis ita conspirare et concinere cum historico nostro, (verbi causa v. 789. cum Artabani oratione post lustratas a Xerxe copias VII, 49, et paucis versibus interpositis v. 799. cum Herodoti VI, 77.) ut fere alter alterum imitatus esse videatur. Iam vero eodem anno (Olymp. LXXXI, 1.), quo Aeschylus mortuus esse dicitur in Sicilia, Herodotus historiam suam primum recitavit Olympiae. Vix igitur alter ad alterius exemplar se componere potuit. Quid, si dicamus utrumque profecisse e Phrynichi fabulis, quarum mentio apud Herodotum VI, 21. Non multum abhorrere videntur ab haec coniectura, quae *Bentleius* disputavit *Dissertation on the Epistles of Phalaris* p. 257. ubi Phoenissas Phrynichi ad cladem Persarum spectasse, ingeniose coniicit. Et Phrynichi imitationem in Persis Aeschyli agnoscit magnus eius, utinam plenus etiam sospitator *Schützius* in Prolegg. p. 8.

et efficacia. Iam vero Herodoti iuxta ac Aeschyli silentium claro atque evidenter ostendit, utrique parum aut nihil adeo de dea illa innotuisse. Uterque, Homericum morem sequutus, vel numen in genere, id quod semper occurrit apud Herodotum, vel Iovem, aut Aten, aliumve daemonem malignum in scenam producit *), quotiescunque in calamitatibus divinitus immissis et θεοβλαβείαις manifestandis ad numen aliquod illis decurrendum est. Verum utcun- 14
que statuamus de originibus illius Deae, doctissimorum virorum sagacitate nondum penitus indagatis **), hoc sane extra omnem positum est controversiam, gravissimam hanc de numine superbos ulciscente sententiam ex unius Herodoti historiis, quas in Panegyri Olympica aliisque conventibus publice praelectas totam Graeciam avidissime arripuisse, imo edidicisse vero consentaneum est, mox ubique sparsam et ab historicis aliisque scriptoribus certatim ita expressam esse***), ut, si quis Herodoti auctoritate in primis invalu- 15

*) Apud Homerum vel ad Iovem (loca collecta dedit *Loesnerus ad Herodianum* T. I. p. 283. ed. Irmisch.) vel ad Parcas (vide *Manso* de fato Homerico in *Neuer Bibliothek der sch. Wissensch.* T. XXXVI, p. 14.) vel ad Aten ea referuntur, quibus posteriores Nemesin praefecerunt. Homeri vestigia ubique pressit Aeschylus. De Iove superbos ulciscente vide Sept. c. Theb. 485. Pers. 824. Aten, quae et in aliis locis cum Nemesi confunditur (vid. Theogn. 207. et locum pulcherrimum in Lucian. Imagg. c. 21. T. III, p. 479.), pro Nemesi adhibuit Aeschylus in nobilissimo vers. 818. ὕβρις ἐκπνεῦσ' ἐκάρπωσε στάχυν Ἄτης. Alias in eadem fabula commemorat genium ἀλάστορα Pers. 351. cui partes Nemesis interdum tributas esse, apparet e locis Pausaniae I. 30. p. 75. et Inscriptione Herodis Attici in Brunckii Analectis T. II. p. 301, 34. ubi iungitur Alastor Nemesi.

**) Digna in primis, quae diligentius examinentur, sunt ea, quae disputavit Phil. *Buonarottius* in libro bonae frugis plenissimo *Osservazioni istoriche sopra alcuni medaglioni* n. XI. p. 220—27. Omnem Nemesis i. e. providentiae divinae cultum ab Oriente in Graeciam descendisse putat, pulchre comparat Nemeses Smyrnaeorum cum duabus Fortunis Antiatina, acute distinguit inter Nemesin et Adrasteam, et id genus alia. Nec dubium est, quin e diligenti comparatione numorum, quos plena manu porrigit *Raschius* in *Lexico Rei Num.* T. III. P. 1. c. 1179—86. et gemmarum, quas undique collectas recensuit *Raspius* in *Tassie's Catalogus* n. 8231—8262. multum lucis afferri queat obscuritati, qua totum hoc caput offuscatur. Unum hoc addam, pleraque insignia, quibus condecorata apparet Nemesis in monumentis antiquis, ut gryphos illi adstantes, vel illam vehentes, *flagellum*, vultum in sinum demissum, morem illam despuendi in sinum ad avertendam Nemesin, minime adversari Buonarottii coniecturae, rem omnem ab Oriente repetentis.

***) Patidum foret, per singulos auctores eundo loca undique corradere ad Herodoti τὸ θεῖον φθονερὸν adumbrata. Multa peti poterunt e *Valckenaerio* ad Herod. p. 216, 59. et *D'Orvillio ad Charit.* p. 577. ed. Lipsiens. Notatu tamen prae reliquis digna mihi semper visa sunt loca

isse altissimasque in Graecorum animis radices egisse universam illam de Nemesi μυθοκοσίαν adfirmet, ille in vetustissimis huius superstitionis dicam an saluberrimae persuasionis vestigiis et latibulis pervestigandis a vero parum aberrasse dicendus sit.

XIV.

DE ORIGINIBUS TIROCINII APUD ROMANOS.

PROLUSIO *).

3 Habuerunt hoc veteres Graeci et Romani, ut institutis quibusdam solerter excogitatis magnos in tenera iam aetate sensus alerent, et, quam cum lacte materno suxissent pueri, caritatem patriae et disciplinae cum publicae tum priva-

---

Luciani in Navig. c. 26. T. III. p. 265. et Philostrati in Vitis Sophist. II, 5. 4. p. 575. unde manifesto apparet, omnes Herodoti sententias et narrationes de numinis invidia Graecorum sermonibus non minus tritas fuisse et usurpatas, quam apud nostrates Pharaonis, Sauli aliorumque regum fata et historiae, quibus tenera aetas ex oraculis sacris impertiri solet. Quin eo res adducta est, ut saepe etiam inepte haec libris suis inferciret sequioris aetatis scriptores, quo pertinet elegans observatio *Wolfii*, quem honoris causa nomino, *in narratione de Herodiano* p. XLXI. n. 21. ubi ineptias ridet Herodiani, formulam illam, ἴδει γὰρ Κανδαύλῃ γένεσθαι κακῶς, puerili imitatione identidem inculcantis. Unum addere libet de voce φθόνος, quae cum apud Herodotum prima et antiquissima significatione vi etymi sui a φθίνω, φθέω, perdo (v. *Hemsterhus.* in Lennepii Etymolog. p. 1060.) cum in universum *odium perniciosum* (IX. 71. et sic ἐμφθονέειν IX, 79), tum in specie indignationem et vindictam numinis, superbos in ordinem redigentis, denotet (qua quidem virtute saepissime occurrit apud Tragicos, qui nondum distinguunt inter νέμεσιν et φθόνον, v. Aeschyl. Pers. 360. Sophocl. Phil. 775. et quae ex Euripide laudat *Musgravius* ad Hecub. 288.): hinc factum est, ut procedente etiam tempore, quo philosophi et in primis Aristoteles νέμεσιν ad virtutes, φθόνον ad vitia retulissent (v. locum classicum in Aristot. Rhetor. II, 9. p. 127. seq.), multi tamen pedestris orationis scriptores et historici φθόνον ad exemplum Herodoti antiqua illa significatione passim frequentarent. In primis hoc observavi apud Appianum, qui fere taedium creat lectoribus crebra huius vocis repetitione, v. c. T. I. p. 49. p. 375, 91. 882. II. 492, 21. T. II. p. 101, 85. et quae laudat *Schweighaeuserus in notis* T. III. p. 428. s. Pruritu huius vocis inculcandae tenetur Philostratus, ut in Vit. Sophist. II, 25, 6. p. 612. Denique huc pertinet glossa Hesychii T. II. c. 665. Νέμεσις, ὕβρις, μέμψις, φθόνος, ubi legendum ὕβρεως μέμψις.

*) Prodiit Vimariae a 1794.

tae amorem, corroborata paulatim aetate, magis magisque excitarent confirmarentque. Sic, ut in Romanorum institutis subsistamus, quae reperimus adeo sapienter fuisse temperata, ut nihil non dicam sapientius, sed par invenire summi Philosophi potuerint, et, quae ingenti fremitu, magnis doloribus novum rerum ordinem parturit res publica Francogallica, subinde ad prisca Romanorum inventa deflectere et ad illud perfectissimum exemplar sese componere coacta sit, solemnis illa adolescentulorum pubertatis annos ingressorum in forum deductio, die tirocinii, ad togam virilem a praetore accipiendam, deducentibus patre, cognatis, amicis, quorum cohortationibus incensus puer digna viro, digna togato, id est, cive Romano cogitare inciperet, quam vim ad alendam augendamque illam, quae omnes omnium caritates complexa est, patriae caritatem et ad gloriae cupiditatem laudum stimulis incitandam in tirunculorum animis habuisse putanda est? Quo quidem instituto quid pulcrius, quid ad suscitandos fovendosque omnium virtutum igniculos efficacius cogitari possit, non video. Ponamus nobis ob oculos puerum Romanum praeclarae indolis, in faustis parentum, quod Venusinus poeta canit, penetralibus natum educatumque. Exacto aetatis anno quinto decimo, vel si paulo antiquiora tempora spectemus, decimo sexto *), aderat tandem ille dies, quem generosissimum 3

*) Multum variatum esse in hoc tirocinii anno prō temporum diversitate, satis constat. Scilicet antiquioribus reipublicae temporibus usque ad Ciceronis aetatem annos XVI nati puberes habebantur, togamque virilem accipiebant pueri praetextati. De Cicerone, de cuius tirocinii die multa disputavit *Norisius* ad *Cenotaph. Pisana* II, 4. p. 114. pulchra est observatio *Middletonii Life of Cicero* T. I. p. 12. Basil. Ipse Octavianus togam sumsit natali sexto decimo, quod extra omnem controversiam posuit *Oudendorp.* ad Sueton. p. 161. Sed degeneraverat iam tum paulatim a pristina severitate mollities Romanorum, nec dubitandum est, quin sub primis statim imperatoribus annus XV. plerumque tirocinio aptus haberetur, quod copiose docuit, in nonnullis tamen calculo temporum lapsus, *Henr. Dodwellus* in *Praelectionibus Camdenianis* Prael. V. p. 248 seqq. Nonnullos tum quoque retinuisse veterem disciplinam, patet ex antiqua vita Persii, qua narratur togam sumsisse, *cum esset annorum* XVI; v. *Breitingerum* ad illam vitam in *Amoenit. Literar. Schelhorn.* T. X. p. 1120. Atque, ut hoc addam, hinc apparet etiam, cur *pueri* vocabulum tam late patuerit apud Romanos (v. *Drakenb.* ad Sil. IV, 462. et in primis *Dodwell.* in *Annal. Quintil.* §. 3. p. 1120. Burm.), quod in anno pubertatis constituendo valde fluctuarent, et *pueros* haberent, quos Graeci παῖδας (unde descendit etiam Latinum *puer*. V. doctam observationem

quemque ardentissimis votis expetiisse consentaneum est, dies tirocinii. Auspicabatur puer diem inter paucos laetum et genialem precibus ad domesticos lares effusis, libationibus et thure litabat, maioribus victimis haud dubie ad Capitolini Iovis aram servatis, bullam, et si qua alia amuleta illi appensa fuerant, diis tutelaribus dedicabat *). Congregabantur interea et praesto erant in atrio aedium omnes, qui necessitudine aliqua coniuncti essent parentibus, amici, clientes, consanguinei ad solemne deductionis officium obe-
4 undum, salutabant tironem novitium, et ex amplexu matris, inter gratulationem totius familiae prodeuntem laeti, gratulabundique comitabantur. Hac frequentia amicorum, hoc agmine civium stipatus ingrediebatur forum Romanum puer ultimum praetextatus. Ante oculos erant curia, comitia, rostra, tribunal, templa, sanctissima Romanae maiestatis domicilia et sedes. Iam deducitur ad sellam praetoris, et

---

Valcken. ad *Lennep. Etymolog.* p. 534.), qui *παίονται*, i. e. paedotribarum, sive apud Romanos, campidoctorum obiurgationibus parere coguntur.

*) De sacrificio Laribus illo die oblato nos dubitare non sinit locus insignis Propert. IV, 1. 131. Bullas, ingenuorum puerorum insignia, eodem die diis domesticis, seu *succinctis Laribus*, ut Persius ait, dedicatos esse satis constat. Sed mirum sane, ut hoc obiter moneam, parum intellectum esse cum a veteribus (v. Plut. Quaest. Rom. p. 285. A. Varro apud Festum s. v. p. 86. qui ab Aeolico *βόλα* derivat), tum a recentioribus (vide libellum peculiarem Francisci *Ficoronii*, Italice conscriptum: *La bolla d'oro de' fanciulli nobili Romani*, Rom. 1732. 4.), quid sibi voluerint Etrusci, et qui hunc morem inde acceperunt, Romani ista bulla, infantibus et pueris appensa. Scilicet si figuram eius a *Sponio*, *Montefalconio*, aliisque e veteribus monumentis delineatam inspicias, facile intelliges fuisse capsulam rotundam, vel lunatam, cui aliquid includi posset. Includebatur res turpicula, *αἰδοῖον*, ad amoliendam fascinationem, et pertinuit hoc ad antiquissima cultus ithyphallici vestigia. Sic hodie adhuc Lingamum suum parvulis appendunt Indi. Appendebat hoc amuletum pater infanti recens nato ipso natali die, et patet e Plauti Rudent. IV, 4, 127., cuius ritus imaginem, aere expressam dedit *Th. Bartholinus de puerperio veterum* p. 161. atque hinc explicandum etiam, quod eadem bulla a collo triumphantium pependisse perhibetur. Rem conficiunt verba diserta Plinii XXVIII, 3. s. 7. „*Fascinus, imperatorum quoque, non solum infantium custos*" quicum consentit Macrob. I, 6. p. 228. — Ceterum lavacris etiam et lustrationibus usos esse pueros, ante quam ad haec sacra accederent, vero simillimum est. Certe induebantur antea omnis causa tunicis *rectis*, seu *regillis*, v. Festum s. vv. p. 426. 432. Nec abhorret a vero, in illis familiis, ubi privata essent sacra hereditaria et gentilitia, die tirocinii primum admotos esse filios hisce sacris tractandis. Quod monere forsan non neglexit Cl. *Reitemeierus* in commentatione typis, quod dolemus, nondum exscripta *de sacris privatis Romanorum*, quae praemium tulit in academia Cassellana.

honestissimo puerorum ingenuorum vestitu, cuius usu et adspectu quotidie admonerentur, quid spectandum sibi, quo contendendum esset, *praetexta**) deposita, accipit a praetore togam puram, virilem, Romanae civitatis testem locupletissimam, nec ab alio, nisi a cive Romano gestandam. Addit cohortationem magistratus honorarius, nuncupat vota parens, subiiciunt verba bene ominata cognati, acclamant Quirites. Quo facto ascendit agmen inter plausum et favorem circumfusae turbae, virtutes maiorum et gentilitia decora commemorantis, clivum Capitolinum, et in augustissimo populi Romani sacrario, ubi verbis rite conceptis munera auspicabantur omnes magistratus, sacrificabant consules et praetores in bella ac provincias profecturi, quo pompae ducebantur et triumphi, ante aram Iovis Optimi Maximi vota suscipit, tironem iam ad viros transscriptum Custodi urbis et universi populi commendat, offert victimas **). Domum inde reversos, sacris rite perpetratis, excipiunt epulae. Accumbunt convivae. Afferuntur munuscula, bonae scaevae causa tironi oblata,

— undique magno
Pulsa domus strepitu resonat, plausuque remugit.

Nemini profecto mirum videri debet, laetissimam huius diei recordationem nulla unquam oblivione in animis suis oblitterari passos esse Romanos ***), quippe a quo cives Romani

*) Quaecunque tandem fuerint origines praetextae in pueris et puellis ingenuis apud Romanos, hoc satis apparet, non tantum pudoris custodiendi causa (v. *Casaub.* ad Pers. V, 30. p. 155.), sed eo etiam consilio gestatas esse, ut intelligerent praetextati, elaborandum sibi esse, ut similes fiant summis magistratibus, quorum insigne erat praetexta. Monuit hoc iam *Ernestius* de *disciplina privata Romanorum* in Opusculis Philol. p. 38.

**) Tironem toga vestitum statim a tribunali praetoris cum comitatu deducentium petiisse Capitolium, ex insigni loco Valerii Maximi V, 4. 4. ubi *Cottam protinus ut e Capitolio descenderit*, Carbonem postulasse narrat, recte collegit iam *Ald. Manutius* in Quaesit. p. Epist. T. IV. Lampad. Grut. p. 277. Nec praetermisit, si bene memini, *Ryckius* de Capitolio, qui liber iam non est ad manus. Ad sacrificia in Capitolio a tironibus oblata referendus est etiam locus Appiani Bell. Civ. IV, 30. p. 571. T. II. Schweigh. ubi refert, in triumviralium proscriptionum tabulis scriptum esse nomen Atilii adolescentuli illo ipso temporis articulo, quo tirocinium suscepturus in foro ἦγε, ὡς ἔθος ἐστί, σὺν κομιτῇ φίλων ἐπὶ θυσίας ἐς τὰ ἱερά.

***) Testatur Seneca Epist. IV. p. 152. Paris. „*Tenes utique memoria, quantum senseris gaudium, cum, praetexta posita, sumsisti togam virilem, et in forum deductus es. Maius expecta, cum puerilem animum*

esse inciperent et, quod vulgari sermone de tironibus illis ferebatur, *forum attingerent* et campum Martium. Ab illo enim tempore et togatam militiam et campestrem inchoabant. Applicabant se ad virum aliquem illustrem, cuius contubernio et quotidiano usu multum proficerent *), intererant concionibus populi, iudicibus et causarum patronis operam navabant assiduam, mox ipsi accusatione civis clarioris et in re publica iam diu versati tirocinium forensis eloquentiae
6 posituri **). Iidem campestribus meditationibus quotidie desudabant, pugnabant ad palum, decurrebant, natabant in Tiberi, inspectante adhortanteque populo ***), mox, si

---

deposueris, et te in viros philosophis transscripseris." Et incipiebat omnino vita publica civis Romani ab illo die. Hinc solemne fuit oratoribus Romanis, si vitam et mores adversarii perstringerent, initium facere ab illo die, quo togam virilem sumserat. Sic Cicero Antonii scelera recenset inde a tirocinio eius Philipp. II, 18. Sic Antonius, quaestor Caesaris, insectatus erat Pompeium oratione, *in qua erat accusatio eius usque a toga pura*, Cic. Att. VII, 8. p. 690. Graev. Hinc lux pluribus orationibus Ciceronis, in quibus adversariorum crimina in accusatos conjecta (v. e. in *Coeliana*, et *pro Murena*) ita refutat, ut vitam eorum inde a tirocinio exponat.

*) Sic Scaevolis, auguri et pontifici, erudiendum se tradidit Cicero tiro, v. *Wezel* ad Cic. Brut. c. 89. p. 213. Apprime huc facit locus dialogi de corrupt. eloquent. c. 34. p. 135. ed. Schulz. *Apud maiores nostros invenis, qui foro et eloquentiae parabatur, imbutus iam domestica disciplina, deducebatur a patre vel a propinquis ad eum oratorem, qui principem locum in civitate obtinebat. Hunc sectari, huius omnibus dictionibus interesse sive in iudiciis, sive in concionibus adsuescebat.*" Cf. *Abram.* ad *Cic. pro Coel.* 4. p. 298. Graev. Atque hoc proprie appellabatur *forum attingere*, quod multi perperam intelligunt de ipso tirocinii die, quo togam accipiebant a praetore. Adi sis loca ab interpretibus laudata ad Cic. ad Divers. V, 8.

**) Solebant vires suas periclitari in eiusmodi accusationibus adolescentuli generosioris indolis. Exempla dabit Cicero Off. III, 13. 14. de Orat. II, 48. Et laudi dabatur, si nobilissimum quemque arriperent, *creditum*, ut Quintiliani hac de re verbis utar XII, 7, 3. *obsidem rei publicae dare malorum civium accusationem*, sive, quod Romani, ut pulchra observat Plutarchus in Lucullo c. I. T. III, p. 275. Hutten. *πάνυ ἐβούλοντο τοῖς ἀδικοῦσιν ἐπιφυομένους ὁρᾶν ὥσπερ θηρίοις εὐγενεῖς σκύλακας*. Adde, si plura cupis, *Gesner.* ad *Quint.* V, 3. 13. Ex hoc more explicanda est phrasis, *tirocinium ponere*, quam vulgo pessime accipiunt de solemni togae virilis accipiendae actu. Imo loquendi ratio ducta est ab illa consuetudine, qua apud priscos Romanos tirones aliquandiu silentio et modestia cohibebantur, et auscultabant tantum, non loquebantur. Hoc ipsum appellabatur *tirocinium*. Proinde, si primum ipsi prodirent verba facturi coram iudicibus, *ponebant* tirocinium, id est, deponebant silentium, cui adhuc adstricti fuerunt. Hinc *tirocinium ponere* in universum dicitur, qui primo eloquentiae specimine edito gloriolam aucupatur apud Liv. XLV, 37.

***) Notissimus est, sed hic quoque exscribendus locus Vegetii I, 10.

belli occasio adesset, in castris sub custode aliquo seniore vel ipsius ducis, qui cum imperio esset, auspiciis, stipendia meriturі.

Atque haec totius instituti ratio, quam leviter et quasi extremis lineis tantum adumbratam hic posuimus, cum uberior eius declaratio ex antiquitatum Romanarum scriptoribus facile depromi queat, a quibus initiis profecta, quo fonte derivata ad Romanos pervenerit, eo diligentius dispicere et anquirere debemus, quo magis constat, hoc fundamento omnem disciplinam et militarem et civilem, quam *reipublicae et civitatis disciplinam* vocat Cicero (Verr. III, 69.) subnixam fuisse et constabilitam. Haud scio igitur, an operae pretium facturus sim, si quas causas huius ritus et origines in monumentis priscae artis Italicae indagasse vel ab aliis iam indagatas collegisse mihi videor, hac de literulis nostris commentandi occasione oblata, paucis edisseram, cum in omnibus, quarum inspiciendarum mihi copia facta est, antiquitatum Romanarum collectionibus et compendiis vel plane omissas, vel parum sagaciter investigatas esse deprehenderim.

In vasculis antiqui operis, quae recentioribus temporibus in pluribus Italiae inferioris regionibus, in primis in agro Campano, e cryptis monumentorum sepulcralium eruta, ab amatoribus harum deliciarum diligenter conquisita et eruditissimorum virorum studio integris voluminibus, luculentissimarum iconum seriem exhibentibus, illustrata sunt, reperiuntur complura, in quibus tirocinii solemnia et adolescentulos pallio, qui tum habitus erat virorum, iam obvolutos a pictoribus adumbratos esse, communis est omnium, qui gustu aliquo harum antiquitatum imbuti sunt, opinio *).

---

p. 12. ed. Vesal. „*Romani veteres — campum Martium vicinum Tiberi delegerunt, in quo iuventus post exercitium armorum, sudorem pulveremque diluerent et lassitudinem cursus natandi labore deponeret.* Nimirum ex his campestribus meditationibus, quibus in campo Martio prope Tiberim exercerentur puberes ad militiam, *tironum* appellatio (in cuius etymo in Graeco sermone investigando operam luserunt viri docti, cum sit vox vetus Osca vel Etrusca, τῷ ἔφηβος Graecorum plane respondens) venit ad omnes milites novitios. Hinc explicanda est etiam ode 8. libr. I. Horatii, ubi Sybaris est nomen fictum tironis Romani, ob amorem puellae campestres meditationes susque deque habentis.

*) Multa passim observavit *Passerius* cum in explicationibus vasorum in *Picturis Etruscorum*, tum praecipue in *Paralipomenis ad Dempsterum*

7 Quod si quis vel unam illam collectionem, quam tribus voluminibus comprehensam ex apographis vasorum undique consarcinatis publicavit Jo. Bapt. *Passerius* (Rom. 1767 ad 1775.) curiosius evolverit, inveniet plus quam sexaginta tabulas, aere expressas, quas, si recte examinaverit, ad hunc ritum, *togae dationem* appellant harum antiquitatum promi condi, referendas esse, nullus dubitabit *). Praecipue vero in his eminent, notatuque dignissimae habentur, quae duplicem ostendunt figurarum ordinem in parte antica et postica multum inter se diversum, sed, si rem accuratius excutias, tamen eidem consilio inservientem **). Nam quae in antica vasculorum parte plerumque exhibentur Bacchicorum sacrorum pompae, lustrationes et initia scite admodum coniungi possunt et copulari cum tirunculorum figuris, quas in postica parte adumbratas videmus, dummodo

---

ad tab. X. XI. p. 39. 42. Sed argutatur saepe, ingenioque nimis indulget Passerius, praeconceptis opinionibus et Etruscorum suorum studio mirum in modum occoecatus, quamquam in hoc de togae datione argumento assentientem sibi habet virum, in his diiudicandis facile principem, *Heynium*, cuius verba hic ponere non pigebit: „Paucissima sunt, in qui„bus ille (Passerius sc.) coniectandi licentiae fidem faciat: si unam togae „virilis dationem exceperis, quam vir sagacissimus recte observasse vide„tur. In vasculis hoc argumentum picturae est frequentissimum, ut ante „lararium vel ante aram pater stet togatus baculo viteo innixus, adstante „filio, qui modo manus intra togam cohibet, modo alterum brachium ex„serit. Pleraque ex his institutis Romam migrasse, aut ex communi vete„ris Italiae more servata esse, manifestum est. Bullam laribus suspendere „Romani moris est: Etruscis cingulum, quo praetexta cingebatur." *De vestigiis domesticae religionis in artis Etruscae operibus in Nov. Comment. Gotting.* T. VI. P. II. p. 57.

*) Potest integra rituum in togae datione occurrentium ex hisce picturis contexi historiola. Primo lavabantur adolescentuli, et strigilem accipiebant a patre, quo significatum esse putat Passerius, illos iam sine custodibus in balneis publicis lavari posse; vid. *Passerii Picturae Etruscorum in Vasculis* T. I. tab. LXXI. (quam *Paciaudus* iam exhibuerat in commentario *de umbellae gestatione*, Rom. 1752. 4. p. 28) LXXII. LXXIV. Togam virilem, seu pallium accipiebant in sacrario Liberae deae, T. I. tab. CXXXVI. Nam de dea Libera, non de matre iuvenum sedentem mulieris figuram explicandam esse bene monuit *Heynius* l. l. p. 48. seq. Pallio sumto praeceptis imbuebantur a patre, vel custode, quo pertinent omnes illae picturae, in quibus senior exsertis humeris baculo innixus, vultu ad severitatem composito, praecepta tradere et nescio quid praemonstrare videtur iuvenibus brachio obvoluto adstantibus, qua in re praeter triginta fere tabulas in Opere Passeriano, insignis est tabula in Vasis Hamiltonianis, quae *Hancarvillius* olim magnis impensis, sed magis ad venustatem, quam ad veritatem delineatis publicavit, Tom. IV. n. 8.

**) Evolvendus in hanc rem est Passerianae collectionis *tomus tertius* a tab. CCI.—CCXXIII.

hoc teneamus, quod recte posuerunt viri in hoc genere antiquitatum bene versati, mysteria Bacchica per Campaniam et omnem Italiae inferioris oram ab antiquissimis inde temporibus ita celebrata fuisse *), ut statis diebus quotannis adolescentuli iuventam ingressi in illa ipsa tirocinii so- 8
lemnitate simul sacris illis Bacchicis initiarentur, atque adeo eodem tempore mystae fierent et tirones **). Nec est, quod valde repugnemus *Passerio*, qui magna vasculorum has species prae se ferentium copia inductus vasa ista adolescentibus a propinquis et amicis donata esse censet ***), ut diei quam religiosissime culti monumenta aliqua exstarent et mnemosyna. Hinc intelligitur etiam, ni fallor, cur haec vascula potissimum una cum mortuis, quos terra conderent, humanda esse putaverit superstitiosa antiquitas †).

*) Antiquissimis iam temporibus orgia, quae ad Samothracia sacra pertinuisse videntur, in Italiam translata esse, testis est Clemens Alexandr. in Protrept. p. I. D. Sylb. cf. *Gutberleth. de myster. Cabiror.* c. XVII. p. 120. Nec dubium est, quin in fertilissima illa Campaniae et magnae Graeciae ora, quam *Liberi Cererisque certamen* dictam esse observat Florus I, 16. 3. Bacchi et Cereris sacra antiquitus suscepta et multifariam celebrata fuerint. In hymno pulcherrimo ad Bacchum apud Sophoclem Antig. 1130. Bacchus appellatur: *κλυτὰν ὃς ἀμφέπεις Ἰταλίαν*. Idem manifesto declarant picturae in vasculis Campanis et Graecis, quarum dimidiam fere partem ad Bacchanalia et initia Liberi et Liberae referendam esse, quis non videt? Et cum saepissime in illis picturis barbata senis figura occurrat, confirmantur inde ea, quae de Baccho tauriformi, Hebonem appellant e Macrobio, disputavit *Matthaeus Aegyptius* de SCto Postumiano p. 774. Tom. I. Supplement. Poleni, *Martorellius* in opere, variae eruditionis thesauris locupletato: *delle antiche colonie, venute in Napoli* T. I. p. 229. et qui novissime miro, ut solet, acumine hoc argumentum tractavit, *Eckhelius* in *Doctrina numorum veterum* Parte I. Vol. I. p. 136—140.

**) Iuvat hic quoque excerpere, quae doctae super hac re disputationi subiecit Heynius in Commentatione: *monumenta Etruscae artis ad genera sua et tempora revocata* in *Nov. comment. Gotting.* Tom. V. P. II. p. 49. „Est horum vasculorum (in quibus initia et pompae exhibentur Bacchicae) omnino magna copia. Frequentiora ceteris sunt exempla cum togae datione coniuncta, ut adeo probabilis sit Passerii conjectura, sumta toga virili, adolescentes sacris illis esse initiatos."

***) Saepius hanc sententiam in commentario ad Picturas Etruscorum protulit *Passerius*, v. c. *Tom.* I. ad tab. XCIX. p. 95. Idem in *Prolog.* ad Tom. I. p. XVII. bene monuit, vasa haec ornamento templorum et aedium privatarum fuisse, eademque in nuptiis, die natali, aliisque ejusmodi occasionibus memoriae ergo data esse a cognatis et amicis. Omnino hoc tenendum, multiplicem fuisse usum horum vasculorum, quem expressit iam *Winckelmannus in historia artis* p. 203. Adde, quae ex Hancarvillio et Passerio excerpta sunt in versione Itala huius operis Abatis *Fea* studio confecta, T. I. p. 25. A. p. 226 seq.

†) Scilicet, qui apud animum suum reputaverit, quanta copia va-

9 Iam vero etsi ego is non sim, qui litem illam de antiquitate et originibus sive Graecis, sive Etruscis fictilium horum vasculorum inter Florentinos et Neapolitanos magnis animorum motibus diu agitatam meam facere velim *): hoc tamen liquido apparere arbitror, sive a Graecis artificibus, in Italia inferiore et coloniis Graecorum degentibus, effictae fuerint et pictae, quod quidem proxime accedere videtur ad veritatem, sive ab Etruscis, florente rerum statu magnam etiam inferioris Italiae partem tenentibus ad Graecorum exemplar compositae, vetustissima merito haberi Italicae artis opera ad illa tempora referenda, quibus Romani angustioribus Latii limitibus circumscripti vel regum imperiis adhuc parerent, vel eiectis regibus in suburbano agro latrocinia magis, quam bella exercerent **). Quae cum

---

sculorum eiusmodi Bacchica sacra referentium inde ab eo tempore, quo insanire coeperunt Itali et Britanni in ἀγγειοθήκαις instruendis, collecta et e sepulcris effossa sit, non potest non mirari, qua ratione, quove consilio factum sit, ut haec potissimum vascula mortuis apponerent, terraque conderent antiqui regionum illarum incolae. Vidit hoc et ingeniosa explicatione rem expedire conatus est *Heynius Nov. Comment.* T. V. P. II, p. 51. Mihi in mentem venerunt ea, quae legeram apud Aristophanem de felicissima initiatorum post mortem conditione in *Ranis* 454—59. (adde, quae ex Aristide rhetore laudavit *Meiner's Vermischte Schriften* T. III. p. 288.) Potuerunt igitur in hanc opinionem venire, non defraudandos esse mortuos istis vasculis, quibus certissime constaret filos aliquando initiatos fuisse.

*) Historiam huius controversiae, in qua disceptanda pro aris et focis pugnare sibi visi sunt Florentini, Guarnaccius, Gorius, Passerius, Lanzius, vel ab Hancarvillio abunde refutati, dextre concinnavit Abbas *Fea* in observationibus ad Winckelmanni *Storia delle arti del disegno*, T. I. p. 215. seq. Unum laudasse sufficiat testimonium *Swinburnii*, elegantis harum antiquitatum spectatoris, in *Itinerario per utrumque Siciliam* T. I. p. 235. vers. Germ. mille vascula Campanae vel Graecae artis loco unius, quod vere Etruscum appellari queat, reperiri affirmantis.

**) Vidit hoc, ipsa temporum ratione admonitus, Heynius in Epochis Etruscae artis constituendis in *Nov. Comment. Gott.* T. III. et IV. Sunt tamen, qui, quae ad Etruscos retulit Heynius, pleraque omnia ad inferioris Italiae Graecos et Campanos spectare putent. Exstiterunt in illis oris opulentissimae civitates, in quibus artes etiam, divitiarum ministras et, si dicere fas est, pedissequas floruisse credibile est, diu ante bella Persica, unde artium Graecarum incunabula repetere solent, qui historiam illarum scripserunt, et docet hoc omnis historia, colonias citius saepe laetiusque effloruisse, quam quae intestinis discordiis perpetuis agitarentur, μητροπόλεις. Iam cogitet mihi aliquis Pythagoram, Chirondam, Zaleucum aliosque, qui in Italia inferiore et Sicilia floruerunt, viros inclytos, et quae tunc nobilissimarum in ipsa Graecia civitatium fuit conditio, consideret. Num absurda illi statuere videbitur is, qui prius in coloniis insignes fuisse pictores, architectos cet. arbitretur, quam in ipsa Graecia? Scio, multos me temeritatis accusaturos esse, qui talia affirmare ausim. Sed in viam me deduci facile patiar.

its sint, non est, quod diutius fluctuemus et haereamus in originibus tirocinii a Romanis usurpati circumspiciendis. Graecorum et hoc fuit inventum, a colonis in Italiam inferiorem propagatum, adscitiis superstitionum, quae ibi animos incolarum obsedissent, commentis exornatum dicam, an inquinatum. Inde ad Etruscos pervenit, cerimoniarum et pomparum mirum in modum studiosos. Ab Etruscis Romani acceperunt, sed, quae prudentia fuit primorum apud Romanos legum latorum, et mira in religionibus constituendis solertia, omni, quae corruptela depravare posset civium animos, superstitione perpurgatum *).

Manserunt tamen sic quoque vestigia originum illarum in tirocinio Romanorum haud pauca, in quibus explicandis ipsos Romanos interdum turpiter hallucinatos esse, minime mirum. Nam, quod vix fidem inveniat apud hominem recentioris literaturae rudem et expertem, possumus nos hodie, diligentissima monumentorum veterum et rituum antiquorum comparatione instituta, multa in priscae aetatis opinionibus et institutis subtilius enucleare, quam ipsi Catones illi et Varrones, rerum vetustate exolescentium indagatores laboriosissimi, sed iidem anilium fabellarum et nugacissimarum interpretationum fautores cupidissimi. Id quod adeo duobus exemplis ex hoc Romanorum tirocinio petitis facile demonstratum dabo. *Liberalibus*, festo Bacchi die a. d. XVII. Calend. April. celebratis, togam puram dare adolescentulis consuetos fuisse Romanos, vel e diserto Ciceronis loco (ad Att. VI, 1. p. 580. Graev. ubi vid. Corrad.): *Quinto* (Quinti fratris filio) *Liberalibus togam puram cogita-*

*) Antiquissima praetextae Romanis pueris concessae vestigia habes apud Plutarchum in Romulo c. 20. T. I. p. 68. ubi filiis Sabinarum raptarum hoc a Romulo tributum esse perhibet. Nam quae de Tarquinio Prisco refert Macrobius I, 6. p. 228. mihi satis firmo fundamento nixa esse non videntur. Non abhorret igitur a vero, tirocinium mature admodum, vel sub ipso Romulo, a Romanis fuisse susceptum. Sed respuerunt omnem, si qua tunc iam illi adhaeserat, arcanorum sacrorum corruptelam et licentiam. Nam, ut pulchre in praeclaro loco de religione Romanorum docuit Dionys. Halicarn. II. 18. p. 273. Reisk. diligenter caverunt inde a primordiis civitatis, ne coitionibus arcanis, pervigiliis, aliisque id genus sacris, quibus apud Graecos et vicinos populos omni nequitiae fenestra aperiretur, aditus ad suas religiones cum publicas tum privatas pateret, *οὐδ' ἂν ἴδοι τις παρ' αὐτοῖς βακχείας καὶ τελετὰς ἀποῤῥήτους*, verba sunt Dionysii. Egregie hac de re disputavit *Beckius* in dissertatione Fergusonii historiae Romanae Vol. III. P. II. praemissa p. X. seq.

bam dare, abunde patet. Hinc ipsa toga pura *liberior* audit Ovidio (IV. Trist. 10, 28.). Iam dici non potest, quantum aestuet et in omnes partes se vertat Ovidius in eo Fastorum loco, ubi causas, quare hoc potissimum die toga libera detur tironibus, se redditurum esse profitetur (Fast. III, 774 — 788). Nimirum post varios conatus, quibus extricare sese ex hisce angustiis studet, tandem eo delabitur, ut ideo hunc diem olim huic rei constitutum esse arbitretur, quod rustici frequenter tunc coirent in urbem:

Ergo, ut tironum celebrare frequentia possit,
Visa dies dandae non aliena togae.

11 Atqui recordari debebat poeta flosculorum undique decerpendorum, quam veri indagandi studiosior tirocinii solemnia apud populos, unde ductus ille mos ad Etruscos et Romanos transiisset, arctissime coniuncta fuisse cum sacris Bacchicis, quibus tunc primum initiarentur adolescentuli, et cum Libero patri Liberaeque, id est, Cereri haec Mysteria celebrarentur, nomen hinc haesisse vestimento seu togae virili, quae et ipsa iam *libera* appellaretur *). At forsan haec temporum et locorum longinquitate nimis offuscata fuerunt. Meminisse certe poterat illorum Bacchanalium, quae duobus seculis ante poetae aetatem subito ex obscuris, in quibus diu delituerant, cubilibus prorumpentia, ut foeda aliqua tempestas, in rem publicam ingruerant, et *Posthumiano SCto* validissime depulsa fuerant **). Nam in his

*) Si missis Etymologorum vanas umbras assectantium argutationibus, etymon vocis *liber* et totius, quae inde descendit, familiae dispiciamus, facile apparebit, vocem esse non e Graeco fonte ductam, sed indigenam Italiae. Memoratu dignus est locus Ciceronis II. Nat. Deor. 24. s. 62. ex quo cognoscimus, *Liberum* fuisse arcanum et mysticum Bacchi nomen. Atqui ingenui tantum initiari poterant. Hinc vulgaris illa et communis *libertatis* notio. Filii et filiae familias fiebant *Liberi et Liberae*, dum initiarentur, et nomen illorum deorum in sacris sustinerent. Hinc factum est, ut cum *ἀνφημισμῷ* quodam pueri et puellae ingenuae *liberorum* nomine comprehenderentur, cum servorum suboles *vernae* appellarentur. Haec est mea qualiscunque de originibus huius vocabuli sententia, quam nemini obtrudam, nec pugnabo, si quis cum *Scheidio* in *Lennepii Etym.* p. 1205. a Graeco *λείβειν*, aut cum Seneca de Tranqu. an. c. 15. p. 687. ab animo curis libero repetere velit.

**) Nimirum hic quoque a communi sententia mihi discedendum esse video. Nunquam enim mihi persuaderi patiar, nefandam illam, quae Postumiano SCto (historiolam eius dedit *Saxius* in *Onomast.* T. I. p. 113. seq.) exstirpata est, Bacchanalium licentiam *nuper* demum, quod nec ipse Livius XXXIX, 8. diserte affirmavit, a Graeculo in Etruriam inve-

multa, quae antiquioribus illis Bacchi initiis perpetrata fuisse, 12
e picturis vasculorum nobis constat, Romae etiam et in finitimis oppidis conciliabulisque agitata esse, e Liviana narratione (XXXIX, 11—18.) facile est ad intelligendum *).

Sed pergimus ad aliud. In nobilissimo loco, in quo Cicero severiorem maiorum disciplinam in coercendis tironibus commemorat (pro Coelio C. 5. s. 11.) verba illa: *nobis quidem olim annus erat unus ad cohibendum bra-*

ctam et deinceps per universam Italiam, Campaniam etiam, disseminatam esse. Imo Bacchica illa initia, multis seculis ante iam foedis flagitiosisque ritibus in Italia inferiore contaminata, cum internecione fere populorum, assiduis bellis et cladibus exhaustorum, qui olim illis obstricti fuerant, ipsa quoque deleta et oblivione obliterata videbantur. Sed propagata tamen erant clanculum et inter paucos. Subito, quae dudum intercidisse videbantur, sacerdotum machinationibus et mulierc ularum pruritu ubique recruduerunt. Qui historiam arcanarum societatum, quas nostra aetas post longum intervallum subito renasci vidit, perspectam habet et cogitam, non mirabitur, idem prisco aevo fieri potuisse. Nec est, quod Livii auctoritate nimium moveamur. Memoriae mandavit ea, quae rumoribus tunc, cum res in vulgus emanaret, percrebuerant. Non capit hic locus subtiliorem disputationem, alias cum de *sacris opertaneis Bonae Deae* i. e. Liberae agendi locus erit, instituendam. Nam in his quoque antiquissimorum illorum initiorum, per universam Italiam diditorum, reliquias quivis facile agnoscet.

*) Commemorantur a Livio nocturni coetus, bacchantium ululatus, fanatica corporum iactatio, matronae, Baccharum habitu, cum ardentibus facibus discurrentes, et lavationes, antequam Bacchicis initiarentur tirunculi. Quae quidem in vasculis etiam saepissime obvia esse, nil mirum. Omnibus enim orgiis haec fuerunt communia et in sarcophagis etiam marmoreis, aliisque anaglyphis passim reperiuntur. Sed quae in aliis antiquae artis operibus haud temere invenias, flagitiosissimas voluptates et stupra, quibus Bacchanalia illa conspurcata fuisse tradidit Livius, in vasculis etiam graphice depicta videas, v. c. apud *Passerium* T. III. tab. CCI. in qua explicanda mirum portentum conflavit Passerius, et apud *D'Hancarvillium* T. IV. n. 123. 128. et quae de caedibus et cruciatibus illorum, quos propter spreta sacra machinis illigatos abriperent, narrat Ficulnia apud Livium XXXIX, 13. lucem foenerantur obscurissimae imagini in vase Vaticano apud Gorium in Museo Etrusco T. I. tab. CLXXIII. et Passerium T. III. tab. CCC. Fuerunt igitur, ut *Fea* ad Winckelmannum T. I. p. 216, qui hac similitudine inducti totum hoc vasculorum genus ad haec tempora, quae notavit Livius, referendum esse contenderent. Quam opinionem docte iam refutavit *Heynius Nov. Comment.* T. III. P. II. p. 53. et inprimis T. V. P. II. p. 45—48. in eo tamen parum cum nostra sententia concordans, quod Liviana bacchanalia plane diversa ab illis antiquioribus, quae vasculorum iconibus expressa cernimus, statuit. Enimvero omnia pulchre cohaerent, si una eademque fuisse, sed e latebris, in quibus apud Campanos sepulta fuerunt, excitata, quam coniecturam egregie confirmant, quae de Paculla Campana sacerdote, filios suos primum initiante, narrantur apud Livium. Sicco pede, quod aiunt, haec omnia transilliit Matthaeus *Corellius*, hic enim est, quem *Aegyptium* vulgo nominant, in commentario indigestae eruditionis pleno, quem ille ad tabulam in vico Bruttiorum, *terra di Teriolo*, inventam et in Museum Vindobonense translatam, qua continetur SCtum Postumianum, compilavit, et excerpsit Drakenborchius T. VII. p. 197. seqq.

chium toga constitutus aperte, quod e tota orationis serie efficitur, eo consilio proferuntur, ut modestiae et pudicitiae custodiendae tirones impense studuisse declaret. Nec dubitandum est, quin hunc sensum antiquae isti consuetudini ipsi tunc temporis subiecerint Romani. Sed vasculorum fictilium, in quibus tironum utramque manum pallio cohibentium frequentissimae occurrunt imagines, diligens contem-
13 platio *) facile nos in eam adducet sententiam, perantiquum hunc morem e Graecia in colonias Italiae inferioris migrasse, et inde de manu in manus traditum ad Etruscos etiam et Romanos aditum sibi patefecisse. Opportune admodum hic nobis sese offert Artemidori, doctissimi in re futilissima interpretanda commentatoris, narratio **) (*Ὀνειρ.* I, 56. p. 48.) de disciplina epheborum Atheniensium: *Χρὴ τὸν ἔφηβον ἐν τῇ χλαμύδι καὶ τὴν δεξιὰν ἐνειλημμένην ἔχειν διὰ τὸ ἀργὴν εἶναι καὶ πρὸς ἔργα καὶ πρὸς λόγους τὴν χεῖρα.* Scilicet cum ex his Artemidori verbis, tum ex Aristotelis fragmento coniectura satis probabili colligimus, antiquioribus temporibus, nam postea desitus est hic mos, ephebos primo post chlamydem susceptam anno in gymnasiis adhuc exercitandos, nec dum custodiae castellorum praefectos, assidue concionibus civium et si qua alia publice administrarentur negotia, operam dedisse, ut notitiam aliquam rerum civilium sibi compararent, prius quam ipsi ad rem publicam accederent ***). Haec si perpendas, facile intelliges,

*) Illustrarunt hanc figuram, vasculis illis peculiarem et plus centies obviam *Passerius* T. I. p. 81. *Buonarota* in Explicationibus monumentorum Etrusc. operi Dempsteriano de Etruria regali additis T. II. p. 17, *Heynius* Nov. Comm. T. VI. P. II. p. 57.

**) Hunc locum, omisso, ut solet, auctoris nomine laudavit Suidas s. v. ἔφηβος T. I. p. 921. et cum ignoraret sedem eius, *Valesius* ad Excerpt. Peiresciana p. 34. retulit ad Polybium. Observarunt errorem *Kusterus* ad Suidam et *Graevius* ad Cic. pro Coelio c. 5. Nec sumsit haec Artemidorus e Polybio, Romanorum mores describente, ut nonnulli suspicati sunt. Nam qui totum illud caput Artemidori perlegerit, statim intelliget, de ephebis Atheniensium ibi sermonem esse.

***) Epheborum apud Athenienses disciplinam a nemine, quod sciam, satis dilucide expositam (turbavit etiam *Barthelemius Voyage du jeune Anacharsis* T. III. p. 211 seq.), ideo parum intellectam esse puteni, quod eam hac quoque in re multa, ut fit, procedente tempore novarentur et a pristina severitate remitterentur, ad temporum rationem parum attenderent viri docti et permiscerent omnia. Anno XVII. aetatis exacto solemni die (ἐφηβεῖα Meurs. Graecia Feriata V. p. 129.) omnes qui simul hanc aetatem attigissent (in inscriptione vetere ad Venetos e Graecia

quid mos ille manuum intra chlamydem cohibendarum significaverit apud Athenienses. Manibus in altum sublatis (*χειροτονεῖν*) suffragia ferebat populus *). Brachio extra pallium exserto gesticulabantur oratores **). Volebant 14

advecta commemoratur *συνέφηβοι* CCII. vid. *Gruteri* Inscript. CCCXVII. 3. et Marmora Oxoniens. p. 48.) adscribebantur publice ephebis. Appellabant hoc *εἰσιέναι εἰς τοὺς ἐφήβους*, Pollux VIII. 105. *ἐγγράφεσθαι εἰς τοὺς ἐφήβους*, Aesch. Dialog. III. 8. p. 131. Accipiebant chlamydem, *militaris* tirocinii signum, quam usque ad annum vigesimum perpetuo gestabant. Hinc chlamys insigne epheborum, v. *Hemsterhus.* ad Poll. X. 164. et ad Lennep. Etymol. p. 1108. *Ἱερὰ χλαμὺς* appellatur in loco pulcherrimo Luciani Amor. 44. T. II. p. 447. Wetsten. quem Reizius, Graevii et Codd. quorundam, quos ipse non inspexerat, auctoritatem sequutus, misere interpolavit, *χλανίδα* refingens. Vetus et proba lectio exstat in Codice Gorlicensi, cuius collationem debeo amicissimo *Geislero*, Bibliothecario Gothano. Iam vero antiquioribus temporibus biennium illud disciplinae ephebicae ita descriptum erat, ut priore anno in Lyceo, Academia aliisque maioribus Gymnasiis exercerentur, a *κοσμήταις*, si peccarent, castigarentur (v. Aeschinem l. l. et praeclarum fragmentum Teletis apud Stob. in Flor. XCVI. p. 535. *Petitum* de LL. Att. III. 7. p. 384. seq. ed. Wesseling. et *van Dalen* ad Marm. Antiqu. VIII. p. 587.) et assidue in concionibus populi et theatris (*τὰς ἐκκλησίας περιεκάθηντο* in loco notatu dignissimo Philostrati Vit. Soph. II, 1. p. 550.) operam darent concionantibus et deliberantibus. Hoc fuit illud tempus, quo *anno uno* chlamyde cohibebant manus ephebi, ut Artemidorus ait loco supra laudato. Altero deinceps anno militiam auspicabantur domesticam. *Δοκιμασίαι* nudorum corporum facta (Aristoph. Vesp. 576.) fiebant custodes castellorum, Piraeei, sed intra regionem Atticam, seu *χώραν*. Tunc demum adipiscebantur *περιπόλων*. Terent. Eun. II, 2. 58. *Petit.* LL. Att. VIII. 1. p. 654. seq., et quos laudant *Wassius* et *Dukerus* ad Thucyd. IV. 67. Insigne de hac *veteri* disciplina fragmentum Aristotelis exstat apud Harpocrationem (v. *περίπολος* p. 288.), ubi diserte ait, *secundo anno* concione in theatro habita, accepisse ephebos hastam et clypeum (ad pupillos, parentibus orbos, qui publicis impensis educarentur, hanc *παιδείαν* publice traditam pertinuisse patet e Platonis Menexeno c. 21. p. 63. ed. Gottleb.) et factos esse *περιπόλους*. Magnopere in illo Aristotelis fragmento explicando torquet se *Maussacus*, sed bene monet *Valesius* ad notas Maussaci p. 127. *Priore anno exercebantur, altero militabant.* Id postea labente disciplina severiore immutatum patet ex Aeschinis oratione de falsa legat. T. III. p. 329, 33. Reisk. ubi biennium se excubias in castellis egisse testatur; v. *Corsini Fast. Att.* T. I. 5., quem ibi laudat *Taylorus*. De posterioribus intelligendus etiam Pollux VIII. 105. *δύο ἔτη ἐφοιτῶντο εἰς περιπόλους*. Anno vigesimo sui iuris fiebant adolescentuli, *excedebant ex ephebis*, Terent. Andr. I. 1. 25.

*) Res vel ex etymo vocis clara. Lepidissime hunc ritum ad mulierculas concionantes detorsit Aristoph. Eccles. 263—67. Hinc fuerunt *Χειροσκόποι*, vid. Suid. s. v. Sigon. de Republ. Athen. II. 4. p. 501. Postea *Ψηφισμός* successit in locum *χειροτονίας*. Multa hic quoque sunt obscuriora. Nonnulla dabit *H. Vales.* ad Harpocrat. p. 32. a. edit. prioris.

**) Vehementiores scilicet et in actione motoria. Nam qui modestiae studerent, tum quoque manum intra pallium continebant oratores Attici, v. Quintil. XI, 3. 138. ubi vid. *Gesner.* XII. 10. 21. Locus nobilissimus est apud Aeschinem contra Timarchum T. III. p. 52. Reisk. ubi contulisse non poenitebit *Taylorum*. Sed pertinent haec ad locum de *εὐσχημοσύνῃ*

igitur Athenienses, ut ephebi primo anno nec suffragia ferrent, nec causas orarent vel verba facerent ad populum. Sic orta est consuetudo, quae cum ad Romanos pervenisset, qui suffragia voce ferrent vel tabellis, simpliciter ad modestiam et εὐσχημοσύνην adolescentulis propriam referri coepta est.

XV.

DE PERSONIS SCENICIS,

VULGO LARVIS, AD LOCUM TERENTII PHORM. I, 4. 32. PROLUSIO *).

2 In lectione festivissimi Comici, Terentii, incidimus nuperrime in locum Phormionis (I, 4, 32—36.), ubi iuvenis, adventu patris, peregre qui fuerat, nuntiato totus cohorrescit, et quo pacto nuptiis, quibus animum amore aegrum irretiri passus fuerat, sese extricet, apud animum suum exputare nequit. Trepidanti et animum muliebriter despondenti adsunt Geta monitor et Phaedria, patruelis eius, haud dissimili ingenio adolescentulus. Hortantur, bono animo ut sit, assimulet se fortem, et fingunt iam vultum Antiphonis (hoc enim nomen est adolescenti formidoloso), qua fronte, quove oculorum obtutu patris stomachantis truculentia ferenda sit et propulsanda, callide praemonstrantes. Ponamus ipsum locum, quem si dexteritas histrionum pulchre adiuverit, magnum risum excussisse spectatoribus non est, quod dubitemus.

GETA. Hoc nihil est Phaedria,
Quid conterimus operam frustra? quin abeam. PHAEDR. Et quidem ego. ANT. Obsecro!
Quin si adsimulabo, satin' est? GE. Garris. AN. Voltum contemplamini, hem

---

veterum, quae latissime patuit et lucem affundit sexcentis locis, parum saepe intellectis, id quod vel ex uno libello, qui fertur inter Hippocrateos, περὶ εὐσχημοσύνης (v. *Bernardi* epistolam ad Reiskium in Epistolis a Reiskio editis p. 264.) abunde declarari poterit.

*) Prodiit Vimariae a. 1794.

Satin' sic est? Ge. Non. An. Quid si sic? Ge. Propemodum.
An. Quid si sic? Ge. Sat est,
Hem isthuc serva! —

Nec quemquam futurum esse arbitramur, qui, si res in nostris Theatris nostro more ageretur, huic loco aliquid difficultatis inesse suspicetur. Quod si vero rem ita ob oculos nobis ponamus, ut Terentii aetate spectante populo haec omnia perpetrata esse in scena credibile est, sane scrupulus nobis iniicitur, qui fieri potuerit, ut cum omnes comoedi *personati* in scenam prodirent, nec personam unquam in theatro deponerent, actoris facies, cui scilicet Antiphonis persona circumposita esset, alios atque alios subinde vultus sibi induere et ad nutum alterius inflectere posset. Profecto autem mirari subiit, nullum recentioris aetatis interpretem, cuius inspiciendi perlustrandique copia nobis facta esset, hunc tantillum scrupulum, sed qui haud dubie multos iam male habuit, qui recitationem harum fabularum ad antiquorum theatrorum morem exigere suum esse putarunt, ex animis lectorum eximere conatum esse *). Atqui haeserunt ad 3

*) [Vidit difficultates in Comico nostro, ubi de vultu subito mutato sermo est, v. c. Adelph. IV. 5. 9. *Erubuit, salva res est;* Andr. V. 3. 6. *Num eius color pudoris signum unquam indicat?* nec nostrum locum in Phorm. omisit *Ouwens*, Rector Haganus, in Noctibus Haganis I. 1. p. 1—10. Sed secundum eius sententiam Terentii aetate histriones nondum personati in scenam prodierunt. Morem personam capiti imponendi inveatum fuisse autumat a Q. Roscio, qui cum Cicerone teste Nat. D. I. 28. *oculis esset perversissimis*, primo ad occultandam istam foeditatem personis usus esse fingitur. Diserte hoc tradidit Diomedes III. p. 486. Putsch. „Personis uti primus coepit Roscius Gallus, praecipuus histrio, quod ocellis obversis esset, nec satis decorus in personis (Cannegieterus coniiciebat *sine personis*, Ouwens supplet *repraesentandis*, exhibendis, p. 10,) nisi parasitus pronuntiaret." Deinde e Festo s. v. *personata* ostendit, personatam fabulam Naevii idcirco dictam esse, quod praeter consuetudinem ab Atellanis actoribus, qui iam ante personis usi essent, ageretur p. 7. Locus sane apertus. Inprimis verba illa notanda: *Cum post multos annos Comoedi et Tragoedi personis uti coeperunt.* Monet etiam Ouwens p. 8. in comoediis et tragoediis Graecis id observari, ut actores describantur ab illis faciei notis, quae depingi ab ipsa persona poterant. Aristoph. Plut. 367. Nub. 1173. Ante personam actores antiquissimos Romae *galero* tantum, i. e. capillo adscititio usos esse, statim ab initio capitis p. 2. tradit Ouwens. Nam cum tonsi essent viri, intonsi iuvenes, adrasi servi, haec capillis inprimis distingui debuerunt. EX ADD.] *Schmiederus* V. Cl., qui comico nostro curis novissimis perpoliendo operam haud contemnendam contulit, in nupera editione (Hal. 1794.) subodoratus est aliquid huic loco difficultatis inesse, sed illud, quod maxime morari debet lectores, *personati* histrionis actionem ne attigit quidem p. 327. Atqui professus erat vir doctus, praecipuam hanc editionis suae dotem fore, ut omnia ad veteris theatri morem expenderentur. Scilicet aut egregie fallimur,

cum disciplinae nostrae alumni, quos quidem in Terentii fabulis interpretandis ita semper adsuevimus, ut ad rem scenicam nunquam non attendant et sese in theatrum aliquod vetus, ubi res inspectante populo cum maxime peragatur, translatos esse existiment. Monui igitur, at tribus verbis tantum ac prout instituti nostri ferebat ratio, quae ad difficultatem hanc expediendam facere visa sunt, fide data, me hac ipsa, quae commodum sese nobis obtulit, scribendi et de literis nostris commentandi occasione ita usurum esse, ut diligentius, copiosiusque hunc locum in eorum gratiam illustrem. Standum igitur erit promissis, et dissolvendum nomen, quod haud inviti contraximus. Qua in re ita versabimur, ut primum in universum quaedam de *personarum*, quas vulgo *larvas* sive *mascheras* *) appellant, usu carp-

---

aut desideramus adhuc eam Terentii editionem, cuius duplex haec dos sit, ut omnia Athenis Atticis, quae scena fuit Menandri et Apollodori fabularum, agi videas, additis ubique sententiarum Graecarum, quas vertit Terentius, luminibus, et ut rem scenicam veterum perpetuo tibi ob oculos ponat, adiectis figuris ad veterum monumentorum exemplar aere expressis. Prodibit specimen editionis, in has leges confectae, quam diu iam animo agitavimus, si subsecivarum horarum usura aliqua nobis continget, proximis nundinis Lipsiensibus.

*) Facere non possum, quin verum huius vocis etymon obiter indicem, cum vulgo in illo investigando frustra operam teri videam (v. *Adelungs* Wörterbuch s. v. *Maske*, T. III. p. 387.). Ridicula de illius vocis originibus e Calcagnini Apologo, cui Personati titulum fecit, protulit *Bergerus de Personis, vulgo Larvis* c. I. p. 17. Verum illius etymon indagavit iam magnus *Salmasius* ad Tertullianum de Pall. p. m. 70. Res turpiculas, quas deformitate sua fascinum avertere credebant veteres, *βασανία* appellarunt Graeci, *βάσκα* Graeci recentiores. Vid. Hesych. s. v. *βάσκα* T. I. c. 701. Cum *βάσκα* solemni literarum permutatione etiam *μάσκα* dicerent, Latini recentiores hinc *mascas* formarunt, qua voce sagarum ac veneficarum larvas et terriculamenta significarent. V. *Du Cange* Glossarium s. v. *masca*, T. II. p. 525. Fuit haec superstitio veteribus, ut rebus deformitate ridiculis, quas foribus aedium, arboribus, quin ipsis infantibus appenderent, fascinum et veneficia averti putarent. V. Plutarch. Sympos. V, 7. p. 681. F. Pollux VII, 108. Duplex autem fuit horum amuletorum genus, pudenda, quae Priaporum nomine comprehenduntur, v. *Casaub.* Lect. Theocrit. c. 8. p. 75. seq. edit. Commelin. et *oscilla* i. e. larvarum Bacchicarum ludibria. Si hoc teneas, causae tibi in promtu erunt, quibus inducti veteres scalptores tot praestantissimas gemmas personarum, supra quam dici potest, deformium figuris caelaverint (*Raspius* in mirandae industriae opere *Tassie's Catalogue* p. 243—255 plus quam quadringentas gemmas antiqui operis, larvarum figuris insculptas, enumeravit, et referta sunt Musea omnia Italiae specimenibus eiusmodi larvarum, quarum vix centesimam partem collegerat *Fiorentinus*). Scilicet servierunt illi artifices superstitioni aequalium suorum, qui annulo, cui gemma personata inclusa esset, ab omnibus veneficiis et incantationibus tutos se praestari arbitrarentur, et debuissent hae gemmae illum de-

tim delibemus, deinde quae ad locum Terentii nostri paulo 4
difficiliorem explanandum vim aliquam habere possint, an-
quiramus.

Iustae molis volumen conscribendum esset, si totum hunc locum de personis veterum iterum pertractare, earumque origines, materiam, formam, et qui latissime patuit, nec tantum ad artificium scenicum et rem histrioniam, sed ad pompas etiam et dies festos, ad ornamenta aedificiorum et sexcenta alia, quae vix coniectura hodie assequi possis, pertinuit, usum multiplicem e veterum monumentis explicare nobis in animo sit. Et haud scio, an operae pretium facturus sit, qui post virorum doctissimorum repetitas curas *)

---

dum ab iis, qui de gemmis Basilidianis et Abraxis disputarunt, *Chiffletio*, *Beausobrio* aliisque, in hunc amuletorum, Seculo I. et II. post Chr. n. mira cupiditate expetitorum, censum referri.

*) *Mariscotum*, *Bergerum*, *Ficoronium*, *Boindinum*, qui peculiaribus libellis et dissertationibus hoc antiquitatis caput perscrutati sunt, laudavit iam *Fabricius* in *Bibliogr. Antiqu.* p. 845. ed. nov. Auxit catalogum Vir in re scenica veterum bene versatus, C. Abr. *Eichstaedt*, de *dramate Graecorum satyrico* p. 81. in eo tamen notandus, quod *Brescianum* ibi effinxit nomen proprium hominis, cum patriam denotet Abbatis *Chiari*, in cuius epistolis selectis (*lettere scelte*) T. III. p. 242—46. nonnulla de personis veterum occurrunt satis protrita et in vulgus nota. Enimvero dolendum est, *Ficoronii* libellum, cuius verum auctorem Petr. *Contuccium* prodidit *Winckelmannus* in *Monum. ant. ined.* P. I. p. 59. cum ex Italo sermone, quo primum perscriptus et editus est, Romae 1736. 4. posterioribus curis verteretur in Latinum, Rom. 1751, non incidisse in manus viri Latine et Graece docti, qui praeclaram illam farraginem monumentorum veterum a Franc. Ficoronio, quae summa erat hominis industria, undique conquisitam accuratius digereret et illustraret. *Bergeri* liber, sub initium huius seculi a popularibus nostris ad fastidium usque dilaudatus, praeter Mariscoti, nugacissimi hominis, somnia et picturas e Terentii Codice Vaticano nescio quo casu illi oblatas, vix quicquam habet, quo antiquitatum indagatoribus se commendet, ad Iureconsultorum scrinia ablegandus. Laudant etiam *Pacichelli*, Abbatis Itali, libellum *de larvis vulgo Maschcris*, quem oculis usurpare nondum licuit. Sed quantum ex aliorum testimoniis colligere potuimus, compilavit iste Bergerum et quaedam de personis, ab Italorum sannionibus adhuc frequentatis, adiecit. Plura igitur restant subtilius excutienda. Quod sua iam aetate monuit doctissimus *du Bos Reflexions Critiques sur la poésie et la peinture* T. III. s. 12. p. 207. quanquam ipse toto illo capite multa acute observavit super hac re, quae alii deinde in usum suum converterunt, et *Lessingius* inseruit Bibliothecae scenicae, *Theatralische Bibliothek* P. III. p. 180. seqq. Nec desunt in recentioribus operibus, antiqua monumenta complexis, unde hoc caput egregie collocupletari possit et amplificari. Quod si quis loco Pollucis IV, 133—154., qui fundamentum esse debet totius disputationis, probe illustrato, additis, quae in Anthologia Graeca extant, epigrammatibus (Analect. T. I. p. 218. XXXI. p. 467. XXVII. XXVIII. p. 501. XXIX.) ea cum Ficoronio conferat, quae e numis (v. *Reichs Lexicon* Univ. R. Num. T. II. P. II. c. 1503. 5.), gemmis (v. *De-*

hoc argumentum sub examen revocet, et singulari libello rem totam illustret. Nobis limites, quibus totum hoc scriptionis scholasticae genus circumscriptum esse solet, angustiores transilire nefas. Carptim igitur pauca perstringamus et ea tantum, quae ad Terentii nostri lectionem aliquid utilitatis habere videantur, e locuplete penu, qui facile scribentes alliciat, seligamus.

Terentii fabulas semper a personatis comoedis seu histrionibus actitatas esse, quis est, qui dubitet *)? Sed et hoc manifesto apparet, omnem apparatum scenicum a choragO seu quicunque hanc operam ab editoribus ludorum, Aedilibus curulibus, conduxerat, ita instructum esse, ut omnia Graecis moribus in fabula *palliata* responderent, unde sequitur, personas etiam e theatris Graecis Romam inductas atque ita compositas fuisse, ut, quae de novae comoediae personis apud Pollucem fusius exposita leguntur, tantum non omnia convenirent in quamlibet Terentii fabulam **),

---

scription des pierres gravées du Cabinet du Duc d'Orléans T. I. tab. LII—LXV. et quae ibi venustus earum interpres Abbas *de la Chau* commentatus est p. 217—236. Adde *Tassie's Catalogue, Masks* n. 8621—4061.), picturis Herculanensibus (in primis T. IV. tab. XXXIII—XLIII.) et marmoribus anaglypho opere caelatis (praecipue marmor illud eximium apud *Winckelm.* Monum. Ant. Ined. n. 189.) erui possunt, nae ille magnam ab intelligentibus gratiam iniverit. Nobis, ut in tabella, primas lineas duxisse sufficiat. Nam quae *Floegelius* in libro vernaculo: *Geschichte des Groteskekomischen* p. 5—11. de larvis congessit, nuperrime a *Roosio* in versione theotisca Terentii T. I. p. 112. seqq. iterum excerpta, omnia fere, qui mos fuit assidui compilatoris, e *Pitisci* et *Bosii* supra laudati scriniis corrasa reperies. Ceterum haec paulo copiosius enumerare lubuit, propterea quod *Blankenburgius*, Vir de omni literatura immortaliter meritus, hoc caput in *Sulzeri Theoria artium* s. v. Masken, T. III. p. 296. plane intactum praetermisit.

*) Hoc negavit Ouwens. Mariscotus de personis (Thes. Graev. T. IX. c. 1117) Terentii aetate histriones personatos fuisse contendit e Donati auctoritate et e Codice Vaticano. Sed Donati auctoritatem parum moratur Ouwens, quod qui primi egisse dicantur comoediam Cincius et Faliscus, tragoediam Minutius et Protimus, qua aetate vixerint, non satis constet, Codex autem id tantum probet, fuisse aliquando tempus, quo personati histriones agerent fabulas Terentii, sed non sequi, hoc non aetate Terentii factum esse, p. 6. EX ADD.

**) Digna, quae diligentius exploretur, est Comitis de *Caylus* animadversio, qui in opere: *Recueil d'Antiqu.* T. I. p. 147. seq. ab Etruscis non tantum ad Romanos, sed ad Graecos etiam personarum usum pervenisse autumat. Graecum fuisse in fabulis palliatis totum illud Romanorum choragium certissime patet e picturis Codicum Terentianorum cum Regii Parisiensis, quem a *Thevenoto* bibliothecario acceptum primum perlustravit *Anna Dacieria*, et icones Andriae praefixas aere exscribi iussit

quippe quae ab actoribus eodem fere habitu, eadem personarum specie, qua olim Menandri et Apollodori fabulae Athenis exhibebantur, in theatrum Romanum producerentur. Defungar uno exemplo, sed quo res apte illustrari poterit. Menedemus iste se ipsum crucians in cognomine Terentii fabula eodem amictu indutus in scenam prodiit Romae, quo senes Attici, opus rure facientes, Atheniensi populo exhiberentur *), nec dubium est, quin eadem persona ornatus fuerit, qua senex primarum partium in theatro Graeco instructus esse dicitur apud Pollucem **). Et profecto

---

in interpretatione Terentii Gallica Paris. 1691. (cf. de picturis illius codicis pulchram observationem Comitis de *Caylus* in *Mémoires de l'Acad. d. Inscript.* T. XXV. p. 175.) tum Vaticani, quas periti artificis manu delineatas et coloribus pictas primum nactus est *Bergerus* et CLIII. tabellis aeneis expressas addidit commentario *de Personis, vulgo larvis seu masceris dictis*, Frf. et Lips. 1723. 4. deinde ad exemplar Codicis splendide edidit *Hieronymus Mainardus*, Urbini 1736. fol. et tertio recoxit satis perfunctorie *Car. Coquelinius*, Rom. 1767. Vol. II. fol. Codex ille Vaticanus in seriatis illius Bibliothecae signatus est numero 3868. et commemoratus etiam a *Montefalconio* in *Museo Italico* p. 278. Haec quoque paulo uberius explanare non a re visum est alienum, cum saepe provocantes rudias viros doctos, v. c. *Winckelmannum* in *Historia artis* VI, 3. ad picturas Codicis Vaticani, nec in editionibus Terentii, nuperis etiam, aliisve libris, ad quos decurrere solemus (*Fabricium* puta et *Harlesium* in Introd. in notitiam literaturae Rom. T. I. p. 257.) satis accurata huius rei exstet notitia.

*) Rustici Attici rhenone seu pellibus induti opus faciebant in regione ventis frigidioribus pervia, v. *T. Hemsterhus.* ad Lucian. Tim. 6. T. I. p. 110. Hinc in scena etiam *διφθερίαι* seu *ὑποδιφθεροι* apparebant, quod disertis verbis affirmat Pollux IV, 119. Eiusmodi senex pellitus apud Menandrum fuit Heautontimorumenos ille Menedemus. Ergo eodem habitu in scena Romana exhibitus est, id quod e luculento loco Varronis apparet de R. R. II, 11. p. 270. edit. Schneid. Sermo ibi est de veste pellicea, „cuius usum apud antiquos quoque Graecos fuisse apparet, quod in tragoediis senes ab hac pelle appellantur *διφθερίαι* et in comoediis, qui in rustico opere morantur, *ut — apud Terentium in Heautontimorumeno senex.*" Cf. *P. Victorius* in Var. Lect. XXVI, 23. p. 768. Argum. Egregium eiusmodi senis *διφθερίου* ectypon habes in gemma apud Ficoronium tab. LXXXI. ubi mira de mantilibus villosis comminiscitur interpres p. 104. ed. Rom. 1754. Sic, qui in eadem scena apud Terentium commemorantur rastri, pertinuerunt et ipsi ad *σκευήν* perpetuam senis rusticani in scena Attica; v. Aristoph. Av. 602. Alciphr. III, 70. p. 446. *σκίλλαν ἁμαντὸν ἀγροικῶς νάκος ἐναψάμενος καὶ σμινύην λαβών.* Adi, si plura cupis, *Ruhnk.* ad Tim. Gloss. s. v. *σμινύη* p. 233. edit. nov. et *Oudendorp.* ad Thom. Mag. p. 802. Et confirmatur hoc iconibus e Vaticano codice expressis in editione Coquelinii T. I. p. 181. et e Codice Regio Paris.; v. *Dacieriam* in *Praefatione.*

**) Puto hanc personam innui a Polluce, ubi describitur senex *ἡγεμών*, quem ego malim interpretari de sene, qui primas partes agit in fabula, sive, ut Quintilianus ait XI, 3. 74. *cuius praecipuae partes sunt*, quam cum Scaligero Poet. I. 14. de sene adolescentum moderatore. Exem-

7 quid causae intercesserit non videmus, quo minus Romani totum illud personarum choragium, quod Graeci per omnes fabularum Comicarum partes ingeniose admodum et scite descripserant, cupide amplecterentur. Nam si quaeras, quibus causis impulsi Graeci, elegantissimi mortalium et decori in omnibus rebus consectandi studiosissimi, personas ab actoribus in scena nunquam seiungi et separari posse statuerint, quod quidem mirum quantum a nostris moribus abhorret ac discrepat, primam causam in ipsis Comoediae originibus sitam esse intelliges, cum *faecibus*, ut poeta canit, *ora peruncti* Bacchica licentia in vicis grassarentur, deinde, quae Thespin et Phrynichum consequuta est, comoedia vetere quemlibet e populo arriperent et expressa ad similitudinem eius persona spectatoribus deridendum propinarent. Qua re factum est, ut postea etiam, cum ille mos viros principes traducendi in scena severioribus legibus coercitus exularet a scena, retinerent personarum ludibria, deformitate quadam in personas *seniorum* addita, ne qui similitudine quadam se laesos conquererentur *). Accesserunt haud dubie complures aliae, quas in istiusmodi personis sitas esse deprehenderent, commoditates. Theatris tum opus erat, quae universum populum ter aut ad summum quater quotannis ad ludos scenicos admissum caperent, vastis et spatiosis, quae, nisi arte adiuvaretur, voce histrionum sub divo agentium impleri vix poterant. Hic multum iuvabant personae circa os ita compositae, ut *vox* (verbis utor Gabii Bassi apud Gellium V, 7. p. 391. ed. Conr.), *in unum tantummodo exitum collecta coactaque magis claros canorosque sonitus faceret* *). Aptatae erant

pla eiusmodi larvarum habes apud Ficoronium tab. LVI. in onyche, et LIX. in Iaspide, et in Dactyliotheca ducis Aurelianensis T. I. tab. LXI. LXII.

*) Vide locum classicum de hac re in fragmento Platonii περὶ διαφορᾶς κωμῳδιῶν p. XI. ed. Kuster. et quae in illud observavit nuperus *Brumoei* editor *Prevostius Théâtre des Grecs* T. X. p. 256. seq. Adde, si tanti est, scholia ad Aristoph. Equit. 231.

**) Si personarum Comicarum, quotquot fere in gemmis, picturis aliisque veterum monumentis aetatem tulerunt, rictus horrendos et hiatus patulos circa os contempleris, ἐξεστραμμένον τὸ στόμα (sic enim, non σῶμα recte legitur in editione Brunckii) appellat Platonius, vix tibi persuaderi patieris, hac deformitate nil nisi risus captatos esse spectatorum, qui facile his terriculamentis iterum iterumque recurrentibus adsuescerent. Valde igitur tibi arridebit illorum sententia, qui laciniis illis et cavitatibus.

moribus, aetatibus, sexui utrilibet personae, certis legi- 8
bus, quas immutare nefas, adstrictae, ut omnes, qui spectatum consedissent, primo statim obtutu, vel in aditu adeo theatrorum, ubi in tabellis haec sigillatim depicta essent ad alliciendos spectatores et commonefaciendos, agnoscerent servum vel senem primarum partium, parasitum, lenonem, meretriculam *). Quod quam vim habeat ad spectatorum

---

personarum circa os introrsum flexis, voci histrionum claritatem et splendorem additum esse censent. Hinc in vocabulis de voce actorum apud Poll. IV., 114. occurrit actor βομβῶν, περιβομβῶν, quae verba de graviore vocis repercussae sonitu dici satis constat. Valde ornavit hanc sententiam, Gabii Bassi apud Gellium fragmento nixam, acutissimus *du Bos Réflexions critiques* T. III. p. 191—199. et monuerunt hoc nuper admodum *Goldoni* in *commentariis de vita sua* T. II. p. 234. vers. vernac. *Prevostius Théâtre des Grecs* T. X. Préface p. VI. aliique bene multi. Sed cave, nimis tribuas huic observationi, quae nodum, quod aiunt, nodo resolvit. Mulierum et adolescentum personae vix uspiam eiusmodi hiatu deformes reperiuntur. Atqui his quoque eadem vocis intensione ad theatra implenda opus erat, ac servis et senibus. Deinde refragari videntur ea loca, ubi in personis κεχηνυίαις vox exilis et tenuis actorum fuisse perhibetur, v. c. Lucian. Nigrin. c. 11. T. I. p. 50. Sensit has difficultates idoneus harum rerum arbiter Abbas *de la Chau* Description des pierres gravées du Duc d'Orl. T. I. p. 222. sed quomodo ex illis sese extricaret, non reperit. Cogitandum porro mirum illud in voce excolenda studium, quo facile homines, semper fere sub divo commorantes nec in cubiculis undique occlusis, ut nostra fert consuetudo, desidentes eo pervenirent, ut indies fierent μεγαλοφωνότεροι. Vid. locum classicum Ciceronis de Orat. I, 59. ubi, quo pacto tragoedi Graeci voci servirent, edisserit. Adde miram veterum sollertiam, qua quid vocem devoraret, quid accenderet in aedificiis, callide indagarunt. Si vox frangenda esset et extenuanda, orchestram palea vel scobe spargebant. Contra si vasa aenea aut figulina operculis tecta circa parietes disponerent, domicilia magis resonare, usu repererant. Adi sis locum luculentum et ad ἀκουστικὴν veterum cognoscendam plane palmarium, Aristotelis Probl. XI. 7. 8. T. II. p. 902. et, qui pleraque inde duxit, Plinium XI, 51. s. 112. Probe hoc tenuisse theatrorum architectos patet ex insigni loco Vitruvii V, 5. p. 182. edit. Galiani Neap. 1757. fol. ubi docet, quomodo ἠχεῖα (v. *Victor.* Var. Lect. XX, 7. p. 526. et *Gesner* ad Lucian. Philop. T. III. p. 613.) in cellis subterraneis theatrorum disponenda sint. Confer delineationem rei aere expressam in editione laudata Comitis *Galiani* tab. XVII. fig. 3. 4. et quae in theatro Tauromenitano eiusdem rei vestigia sibi deprehendere visus est, aere et illa expressa, *DO'rvillius* in *Siculis* T. I. c. XV. p. 257. Errant autem, ut et hoc addam, qui ista ἠχεῖα in theatris ad repercutiendam vocem disposita fuisse tradunt. Sic enim pessime consultum esset auribus auditorum, quod sensit et risit more suo acutissimus *Pauwius Recherches philosophiques sur les Grecs* T. II. p. 140. s. Imo pleniorem tantum et clariorem reddiderunt vocem histrionum. Vide, qui acute haec rimatus est, Jo. Bapt. *Donium* in praeclaro opere de Musica veterum, cui *Lyrae Barberinianae* titulum fecit, T. II. p. 140.

*) Recte *Victorius Var. Lect.* XXVI, 23. p. 769. „Cunctae personae in Fabula suum ac proprium vestitum habebant, colorem vestis, formam. Statim ut illae visae essent a spectatoribus, intelligi poterant. — Servabatur autem hoc diligenter. Adiuvabant enim non mediocriter exi-

animos permulcendos deliniendosque, vel ex eo colligere possumus, quod apud Italos populus illis spectaculis, in quibus quatuor sanniones (*Zanni*) ridiculis personis et verbis peculiari quorundam oppidorum nota signatis spectantium cachinnos movent, insatiabili cupiditate inhiat, nec ea

---

tum fabulae; efficiebatque, ut spectatores omnia melius perciperent, nec in personis distinguendis confunderentur." Hinc intelligitur etiam mira ars veterum in promulgandis repraesentandisque fabularum nominibus et personis. Habuerunt enim et veteres titulos in theatrorum aditu suspensos, quales hodie in iis oppidis, ubi ludi scenici frequentantur, distribui solent et evulgari (*Cartelli*, *Affiches*, *Playbills*, Comoedienzettel). Sed arbitror in grege illo scenico, quos Graeci τοὺς περὶ τὸν Διόνυσον τεχνίτας et θυμελικοὺς, Latini *gregem*, v. c. *gregem Romanum* Gruter. MXXIV, 2. appellabant, pictores etiam fuisse, qui personas dramatis delinearent, et in tabellis, addita inscriptione, proponerent. Nam praeter tesseras theatrales, quibus nomen fabulae inscriptum fuisse patet ex aliquot tesseris in Herculanensium antiquitatibus (v. *Bartels Briefe über Calabrien und Sicilien* T. I. p. 156.), triplicem reperio fuisse eiusmodi tabellarum ordinem. *Primus* indicavit tantum genus fabulae, utrum tragoedia esset, an comoedia, an fabula Satyrica. Significabat hoc tabella, in qua persona tragica, vel comica, vel satyrica in cippo, sive proscenio, ad quod per gradus aliquot adsoenditur, proposita cernebatur. Sex eiusmodi tabellas haud pingui Minerva delineatas invenies in *Picturis Herculanensibus* T. IV. tab. XXXVI—XXXVIII. ubi interpretes Itali p. 169. seqq. quid haec sibi velint, ne hariolati quidem sunt. Pertinent huc ectypa complurium gemmarum apud *Ficoronium* tab. XXXVI. XL—XLIII. et marmora, Musam vel poetam exhibentia personae in cippo collocatae adstantem, v. c. apud *Sponium* in Miscellan. Erud. Antiqu. Sect. II. p. 46 Atque hinc explicandum etiam opus anaglyphum in marmore antiquo, quod Dresdae in Museo Electorali servatum magna cum voluptate nuper contemplatus sum, v. *Marbres de Dresde* n. 178. Illustrare illud conatus est *Casanova* Abh. über verschied. alte Denkm. d. K. p. 74. sed clariorem haud dubie lucem illi accendet Custos huius Thesauri vere regii sagacissimus, amicissimus *Wackerus*, cuius eruditissimum opus de antiquitatibus illic servatis diu iam efflagitat orbis literarius. *Deinde* omnes unius fabulae personas in una tabella ita depictas habuerunt (*Caylus Recueil* T. V. p. 245.), ut spectatores hanc picturam in theatri aditu propositam intueri, et quot senes, quot adolescentuli, quot meretriculae, quomodo moratae, ex ipsa personarum forma statim intelligere possent. Exstant eiusmodi tabellae, quibus Terentii fabulae edicebantur, in Codice Vaticano et Parisiensi, singulis fabulis praefixae, unde transierunt in Terentium Urbinatem et Coquelinii. Specimen exhibuit Dacieria in initio Andriae p. 10. ed. Amstelod. Comparari possunt cum picturis, quibus gladiatores nobiles, priusquam ludi gladiatorii committerentur, populo in tabernis circa amphitheatrum monstrabantur. Quo pertinet locus Horatii lepidissimus Sat. II, 7. 95. a nullo, quod sciam, interpretum recte explicatus. *Tertio* habuerunt etiam tabellas comicas, quales pinxisse traditur Calades, Plin. XXV, 10. s. 37. in quibus scenam aliquam eximiam fabulae cum personis ibi confabulantibus repraesentarent et spectatoribus cupiditatem iniicerent totius fabulae videndae, quod adhuc in quibusdam Italiae theatris fieri observat *Caylus*, cuius erudita est hac de re disputatio in *Mémoires de l'Acad. d. Inscript.* T. XXV. p. 182—185. Nec desunt exempla in picturis Herculanensibus, Tom. I. tab. IV. Tom. VI. tab. XXXIV.

voluptate se unquam defraudari patitur *). Adde, quod feminae nunquam prodirent in scenam tragicam vel comicam. Succenturiandi igitur erant actores, qui muliebribus personis cooperti feminarum partes sibi vindicabant**). Nec aetatis iam ulla in actoribus ratio habenda erat. Sexagenarius senex, cui versatile esset ingenium, personam adolescentuli, qui vix ex ephebis excesserat, pulchre sustinere poterat***). Atqui omnes istae commoditates, quas breviter et summatim attigimus, si ab originibus ludorum scenicorum discedas, quos Graeca arte iam penitus perpolitos acceperunt Romani, non solum ad Graecos, sed ad Romanos etiam pertinuerunt. Habuerunt Romae etiam theatra ingentem ambitum, licet Terentii aetate temporaria tantum essent, necdum lapide exstructa †). Adsueti erant togati quoque homines vel ex Atellanis et Oscis, quibus tantopere favebant, exodiis adspectu et ornatu histrionum, certam et praefinitam hominum speciem prae se ferentium. Nec

*) Videatur, qui acute hac de re disputavit, adversarius harum personarum acerrimus *Goldoni* in commentariis de vita sua T. II. 24. p. 225. seq. et *Iacobsius* V. Cl. in supplementis ad *Sulzerum* T. II. P. I. p. 50. Nimirum quatuor illae personae, quibus hodie adhuc ducitur hians popellus apud Italos (*Pantalone*, *Dottore*, *Brighella* et *Arlequino*, cum numerosa, quae inde propullulavit, sannionum subole), vestitu et larvis proxime accedunt ad antiquorum theatrorum choragium, quae pervulgata est observatio, nuper etiam confirmata a *Müntero Nachrichten von Neapel und Sicilien* p. 58. quarum illecebris cum mirum in modum capiantur spectatores, recte inde colligimus, iucunditatem larvarum in primis in eo cerni, quod illis conspectis nemo nesciat, quae partes unicuique demandatae sint, quae unicuique dicteria et risus aucupandi studia. Hinc Saturnalium, in quibus adhuc personati discursant quotannis Romani, summa oritur suavitas et oblectationum varietas. Quam in rem contulisse non poenitebit *Goethium* in libello iucundissimo: *das römische Carneval* p. 17. seqq.

**) Auctoritatibus rem satis notam confirmarunt *Poindinius* in dissertatione de personis haud inficeta, unde posteriores multum profecerunt, in *Mémoires de l'Acad. d. Inscr.* T. IV. p. 144. seq. et, qui adiecit nonnulla, *Barthelemius Voyage du jeune Anacharsis en Gr.* T. VII. p. 283. ed. Paris. min. Locis ibi laudatis adde Lucian. Pisc. 31. T. I. p. 599. et Poll. IV, 114. ubi actor, qui vocis femineae flexus rite exprimeret, appellatur *γυναικόφωνος*.

***) Hinc lux affulget loco Terentii in Prolog. Heautont. v. 36—39. ubi nil monuerunt interpretes.

†) Ligneum Scauri theatrum capiebat octoginta millia hominum, Plin. XXXVI, 15. s. 24. De theatris subitaneis Pompeii callido consilio primum circumscriptis vide praeter eos, qui data opera de theatro Romanorum disputarunt (*Fabric.* Bibliograph. Ant. p. 987.), *Lipsium* ad Tacit. Ann. XIV, 20. et *Maffei degli Anfiteatri* I, 3. p. 18. edit. Veronens. p. 1728.

ferebant feminas, nisi saltatriculas et mimas, quibus nulla unquam res fuit cum fabulis tragicis et comicis, in theatrorum prosceniis Romani.

11 Restat, ut quae in genere iam de personis, earumque in ludis scenicis commoditatibus disseruimus, ad Comici nostri locum, unde tota haec oratio profecta est, transferamus. Difficultatibus nos premi, si omnia ab actore ita repraesentata esse censeamus, quemadmodum Terentii verba suadere videntur, satis apparet. Video equidem, quam facile ex his angustiis elabendi nobis commonstretur via, si, quae communis quondam fuit virorum doctorum opinio, hic quoque statuamus, personas istas sive larvas non semper et usque ad plaudite! perpetuo ab actoribus gestatas esse *). At enim quam fallax et lubrica sit ista opinio, non est, quod multis doceamus. Nulla plane veterum auctoritate nixa **) statim concidet, si quam arcte aptus et copulatus fuerit personarum usus cum actione scenica, vel e superioribus satis perspectum et cognitum habeamus. Nec hoc multum iuvabit rationes nostras, si, quod scio nonnullis arrisisse de hac re ambigentibus, personas in eadem fabula ab eodem actore

*) Primus, ni fallor, ita statuit *Ages. Mariscotus* in *Syntagmate de personis et larvis* (editus est libellus primum Bononiae 1607. recusus Romae 1639. et iterum recoctus Parmae 1691.) c. 2. T. IX. Thes. Graev. p. 1108. cuius vestigia post alios pressit etiam *I. Bened. Carpzovius* in laboriosis de arte histrionia commentariis *ad Paradoxon Stoicum Aristonis Chii* p. 115. s. Nec cavit sibi ab hoc errore *Winckelmannus* ad *Monum. Ant. Ined.* P. IV. p. 250. Scilicet hos omnes in fraudem induxit locus Athenaei X, 20. p. 452. F. ubi Cleon, optimus *mimorum* Italorum, appellatur *ἀντοπρόσωπος ὑποκριτής*; sed non viderunt, de *mimis* in hoc loco sermonem esse, quos, si *veros mimos agerent*, sine ullo personarum integumento nuda facie egisse in scena, sexcentis veterum scriptorum locis, si id iam ageremus, probari posset. Sic, ut unum laudem, de mimo planipede loquitur Seneca ep. XI. p. 180. „*Artifices scenici, qui imitantur affectus, deiiciunt vultum, verba submittunt, figunt in terram oculos et deprimunt, ruborem sibi exprimere non possunt.*" Nam si tragoedias saltarent, ut Pylades ille, aevi Augustei deliciae, Herculem furentem, personatos fuisse mimos, nullum dubium. V. Macrob. II, 7. p. 374. et quae *Zieglerus* monuit *de mimis veterum Romanorum* p. 44.

**) In figuris e Terentii Codd. depromtis personati apparent actores per omnes scenas. Imo turpe et ignominiosum habebatur, si personam ponere histrio cogeretur a populo, quod patet e Festo s. v. *personata fabula* p. 340. ed. Dac. „*Atellani vocantur personati, quia ius est iis non cogi in scena ponere personam, quod ceteris histrionibus pati necesse est.*" Alia res fuit, si e gravi actu histriones commoti in postscenia se conferrent, larvam ibi animi colligendi causa deposituri. Quint. VI, 2. 35.

interdum saepius mutatas esse, nobis persuadeamus *). Fac enim, hoc ita se habuisse, quod tamen vix est, ut e veteri- 12
bus liquido demonstrari posse credam, hoc certe, qui in manibus est, loco repentina illa personarum mutatio, toties repetenda, tam absurda fuisset, quam quod maxime, et pastoritia fistula sive sibilo universi populi expellenda. Satius igitur esset, aperte fateri, nisi histrio aliquis e grege Ambivii Turpionis aut Atilii Praenestini ex Orco redux hanc ipsam scenam ob oculos nobis ponat, nos plane in his caecutire et quomodo haec in scena administrata sint, una cum ignarissimis ignorare. Sed bonum factum! Non est, quod valde laboremus de actione comoedi, dum alia circumspiciamus artis scenicae adiumenta. Primum persona ipsa actoria, cui Antiphonis partes agendae essent, tam artificiose coagmentata et constructa esse potuit, ut levi labiorum aut maxillarum impulsu contrahi posset dilatarique pro lubitu actoris, quod magnam vim habuisse ad vultus hilaritatem aut tristitiam exprimendam vero consentaneum est**). For-

*) Non negarim equidem, interdum in eodem dramate eundem actorem plures personas sustinuisse, qua de re insignis locus est Luciani in Necyom. 16. T. I. p. 479. Sic Mnesilochus in lepidissima fabula Aristophanis, Thesmophoriazusis, duplicem viri et mulieris personam sibi imponi petitur. Thesmoph. 221. seqq. Illud autem, quod ad nostrum locum illustrandum unice faceret, histrionem in iisdem partibus personas mutasse, quotiescunque vel fronte exporrecta, vel rugis contracta opus esset, testimonio confirmari posse valde dubito.

**) Personas ita aptatas fuisse, ut in varias partes circumagi possent et versari, vel ex eo apparet, quod saepius in antiquae artis operibus pars anterior personarum ad occipitium retracta caput plane aperiat. V. Picturas Herculanenses T. IV. t. XXXIV. ubi, quae de *dimidiata* persona comminiscuntur commentatores p. 165. s. plane nihili esse reperies, si cogites, pictorem personam fastigio capitis inhaerentem aliter exprimere non potuisse. Digna est in primis, quae hic comparetur, gemma antiquae scalpturae, quam e dactyliotheca *Townley* primus vulgavit *Raspius* in *Tassie's Catalogue* n. 3564. p. 240. Ponamus ipsa verba: „*The poet is the philosopher's cloak sits before a terme, distributing the parts to sis actors and actresses, who have not their masks on their faces, but thrown on the crown.*" Ceterum ad omnem illam personarum machinationem penitius cognoscendam diligenter inquiramus oportet in materiam, e qua personae scenicae conflatae fuerunt ab artificibus σκευοποιοῖς (hoc enim proprium illorum nomen, qui personas conficerent, Poll. IV, 115. Aristoph. Equ. 232. cum schol.). Scio, vulgo perhiberi, fuisse illas e ligno vel cortice (i. e. subere, *Kork*, v. *Beckmanns's Beyträge zur Gesch. der Erf.* T. II. p. 478.) excavatas. Sed qui hoc asserunt, *oscilla* in pagis (v. ad Virg. Georg. II. 385.) cum larvis scenicis confundunt, et quem *du Bos Reflexions* cet. Tom. III. p. 263. e *Bulengero* I, 45. p. 130. *de theatro* locum laudat Prudentii, ad illum Virgilii versum confictum esse, ignorant.

san et huc advocare possumus illam rationem, qua duplicem in eadem persona vultum, tristiorem alterum, alterum laetiorem exhibitum esse spectatoribus e veterum scriptis et an-
13 tiquae scalpturae gemmis nonnullis manifesto apparet *).

Fuerunt haud dubie personae illae ab histrionibus usurpatae *cretcae*, ut Lucretius IV, 298. (secundum verissimam *Creechii* emendationem) appellat, i. e. operè figulino ex argilla confectae. *Creta* enim in universum de argilla dicitur apud Latinos; v. *Beckm. Beytr. zur Gesch. der Erfind.* T. I. p. 479. Figulorum arte illas confectas esse, patet e pluribus eiusmodi personis, quae adhuc in Museis Italiae et Galliae (dignus notatu locus apud *Pownall* in libro bonae frugis plenissimo *Description of Antiquities of the Provincia Romana*; Lond. 1788. 4. p. 144.) monstrantur. Hinc in lucernis fictilibus tot exempla occurrunt ad personarum similitudinem efficta, quod figuli veteres hac forma, in qua exprimenda saepius elaborarent, valde delectarentur. Putarim igitur, haec figulina cum pileolis e coactili opere (*πιλίδια* sub personis, ne urant cutem, explicat Ulpianus ad Demosth. de fals. legat. p. 130. C. edit. Frf.) aut pellibus (crinium enim et comarum ornatus, qui inprimis in his personis spectabatur, sine pellibus, quae cohaererent cum figulinis et argillaceis larvis, vix cogitari potest, unde explicandus locus Horat. Serm. II, 1. 64. ab interpretibus neglectus) ita coagmentata fuisse, ut vel minimo momento deorsum produci aut sursum levari possent. Os ipsum personarum circa labia mobile fuisse videtur, v. Diog. Laert. VII, 20. ubi Zenonis dictum: *δεῖν — τοὺς ὑποκριτὰς τὸ στόμα μὴ διέλκειν*, quod Zeno dicere non potuisset, nisi histriones os saepe diducere soliti fuissent. Unde conficitur, personas ipsas circa os et maxillas flexibiles fuisse. Iam confer locum Terentii nostri Eun. IV, 4. 3. *Illud vide, os ut sibi distorsit, carnufex.* Atque hinc *ὀντίδες* etiam, in personis a Polluce diligenter commemoratae IV, 146. 147. seq. explicandae esse videntur. Rugae enim in figulino opere, quod tenuissimum fuisse in larvis fabricandis satis constat, exprimi vix potuerunt. At in pellibus agglutinatis id facile effingi potuisse, quis non videt?

*) Egregie hanc coniecturam de personis bipartitis, quarum dimidiatus vultus partim senem truculentum et superciliosum, partim hilarem et remissum ostenderet, adiuvat locus Quintiliani XI, 3. 74. Sermo est de comoedis: „Pater ille, cuius praecipuae partes sunt, quia interim concitatus, interim lenis est, *altero erecto, altero composito est supercilio, atque id ostendere maxime latus* (sic recte edidit Gesnerus, electo, quod e Regii coniectura irrepsit et Burmannianam etiam obsidet: *Latinis*) *actoribus moris est, quod cum iis, quas agunt, partibus congruat.*" Laudare debuissent interpretes locum Pollucis IV, 144. ubi senex *ἡγεμών*, de quo supra, *τὴν ὀφρὺν ἀνατέτακεν* (sic legendum e Cod. Voss.) *τὴν δεξιάν.* Adde, quae de Lycomedio sene paulo inferius commemorat Pollux IV, 145. Sed haec uberius declarabit *Spaldingius* V. Cl. cuius curas in Quintilianum cupide exspectamus. Huc pertinet, quod persona Thamyris in tragoedia Sophoclis duplici oculo formata esse dicitur ab eodem Polluce IV, 141. quod ad dimidiatas hasce personas referendum esse, pulchre vidit *Lessingius Leben des Sophocles* p. 105. seqq. vestigia sequutus Abbatis *du Bos* in libro iam saepius laudato T. III. p. 189. Atque hinc lucem accipit obscurissimum epigramma Callimachi T. I. p. 322. ed. Ern. (in Analect. Brunck. T. I. p. 467. XXVIII.) ubi verba illa: *ἥμισυ δ' ὤπται*, haud dubie referenda sunt ad personam eiusmodi dimidiatam, cuius altera pars in fornace figuli nimis percocta et igne infuscata esset. Verum haec melius expediet sagacissimus Anthologiae Graecae sospita-

Porro autem hoc perpendamus oportet, non in nostris theatris rem agi, ubi vel oculorum acie e propinquo, vel perspicillis arte vitriariorum fabre factis e remotiore loco intueri licet et rimari singula oris lineamenta, quae histrio ad lubitum fingit; sed in vasto illo veterum theatrorum ambitu, in quo si oculorum ardorem et argutas significationes excipias, quas per foramina personarum in actoribus etiam obser- 14
vasse spectatores e testimoniis veterum satis liquet *), vix quicquam dignosci poterat a spectatoribus, de reliquis actorum gestibus et cantu magis, quam de vultu sollicitis. Quae cum ita sint, facile equidem inducor, ut credam, nonnulla in hoc etiam Terentii loco exprimi potuisse ab actore per ipsam personam, ut ita dicam, emanantia et enitescentia; alia auribus magis, quam oculis accepisse spectatores, versutissimi servi, herilem filium ad nequitiam fingentis, calliditatem admirantes, et quae vultu personato exprimi non possent, facile ex ingenio supplentes **).

---

tor, *Iacobsius*, cuius doctissimis sermonibus, de communibus hisce literulis instituendis, utinam quotidie frui liceret! — Nec desunt in ectypis gemmarum, quas *Ficoronius* publicavit, exempla, quae apprime huc faciunt. Huc enim referendum esse putem figuras T. XLVI. ubi quae dissectae et quasi bifrontes apparent larvae, in unum vultum coaluisse putandae sunt, et T. LX. ectypon e plasmate, quod appellant, smaragdi. E scena dimidiatos hosce vultus et inter se discrepantes ad alias picturas transiisse probabile est. Insigne picturae huiuscemodi exemplar, dimidiatum Alexandri M. et Caracallae vultum referentis, ridet Herodianus IV, 8. T. II. p. 914. ed. Irmisch. ὑπὸ περιφερείᾳ κεφαλῆς μιᾶς, ὄψεις ἡμιτόμους δύο, quod scite interpretatus est *Strothius* in Indice ad Chrestomath. Gr.

*) Unum locum laudasse sufficiat Ciceronis de Orat. II, 46. ubi de affectu actoris tragici rem fictam non sine furore quodam recitantis: „In hoc genere saepe ipse vidi, *cum ex persona mihi ardere oculi hominis* (*histrionis* irrepsit e marg.) *viderentur*, *spondalia illa dicentis*," ubi, quae Ernestius affert p. 385. ed. noviss. de elegantiori tragicarum personarum figura, vera illa quidem sunt, sed ab hoc loco plane aliena. Nec lucis quicquam affert monumentum e Grutero laudatum. Omnia planissime tibi declarata erunt, si larvarum figuras apud Ficoronium, vel si Goethiani libelli, *das römische Carneval*. Weim. 1789. 4. inspiciundi tibi copia est, effigiem veterum larvarum in ipso titulo expressam contempleris. Foramina grandiuscula relicta erant in personis, per quae oculi et os manifeste apparerent. Adde picturam Herculanensem T. IV. tab. XXXIV. ubi servum tibicini assidentem ita depictum cernes, ut e persona oculi eius et labia pulchre discerni possint.

**) Sic cepisse videtur hunc locum iam olim *Donatus* ad h. l. cuius doctissima scholia utinam minus truncata et mutila ad nos pervenissent, recentiorum interpretum animadversionibus (si Lindenbrogium et Dacierium excipias, qui ipsi quoque Donato plus debent, quam sagacitati suae)

15 Atque haec quidem fuerunt, quae in locum subdifficilem Comici nostri commentari, non alienum a consilio huius scriptionis duximus. Non deerunt fortasse, qui hoc argumentum nimis ieiunum et temporibus nostris, in quibus *grandius aliquid moliri deceat*, parum accommodatum iudicent. Sed tironibus haec nostris scripta sunto. Iuvat insuper appingere verba Senecae (ep. LVIII. p. 283. ed. Paris.). „Quid, inquis, ista subtilitas mihi proderit? „si me interrogas, nihil. Sed quemadmodum ille caelator „oculos diu intentos et fatigatos remittit et, quod dici solet, „pascit; sic nos animum aliquando debemus relaxare, et „quibusdam oblectamentis reficere. *Sed ipsa oblecta-* „*menta opera sunt.*"

---

plerisque omnibus anteponenda. Scholia ad h. l. ita se habent T. II. p. 1092. edit. Westerhov. „Hic locus actoris magis, quam lectoris est. Ostenditur enim conari ad simulandam audaciam. *Quo magis ridicula est formidolosa persona.*" Sic interpungenda sunt postrema verba, deleto commate post est, quibus innuit eruditissimus Grammaticus, personam Antiphonis ita effictam fuisse, ut formidinem quandam et tristitiam prae se ferret. Quod sum e persona plane deleri non posset, irritos conatus audaciae simulandae eo effusiore spectatorum risu exceptos esse.

XVI.

P. TERENTII AFRI

COMOEDIAE.

NOVAE EDITIONIS SPECIMEN PROPOSUIT CAR. AUG. BOETTIGER.

Ὦ Μένανδρε καὶ βίε, πότερος ἆρ' ὑμῶν πρότερον ἐμιμήσατο;

PRAEFATIO.

Dissolvendum mihi fuit nomen, quod anno superiore III
in commentatione *de personis Comicis* contraxeram, fide data, fore, ut nundinis proximis Lipsiensibus Terentii curis meis expoliti specimen *) in publicum emitterem. Nolo ambitiosius ea commemorare, quae me ad hanc operam elegantissimo Latinorum poëtae commodandam permoverunt. Nam cum ingenue iam olim professus essem, desiderari adhuc secundum meam sententiam Terentii editionem, quae ubique *dimidiatum Menandrum* nobis referat et quaecunque e Graecis fontibus cum in universa re scenica, tum in singulis fabularum argumentis sententiarumque luminibus et morum pictura illustrari possint explanarique, studiose un- IV
dique collecta et apte disposita oculis lectorum subliciat: quid mihi potissimum in recoquendo poeta toties iam recocto et adornanda nova illius editione spectandum fuerit, per se facile apparet.

Non est igitur, quod per sinuosos longae praefationis anfractus circumducam lectores. Nec capiunt angustiae huius libelli operosiorem earum rerum tractationem, quae singulatim haud dubie et magna cum cura in prolegomenis ipsius editionis novae excutienda erunt et expendenda. Coenae iustae serventur haec acroamata. Hic, ubi promulsidem tantum degustandam apponimus, nolumus famem convivarum, si qui sint, qui haec fercula ad palatum suum facere posse arbitrentur, longa morari praelocutione.

*) Prodiit Lipsiae a. 1795.

Uno ore omnes eruditi consentiunt in eo, magno redimendum esse, si vel unam Menandri aut Apollodori comoediam, quam in usum suum convertit Comicus Latinus, nostris oculis perlustrare, et quomodo ad exemplar Graecum sese composuerit poeta Romanus, ipsi diiudicare possimus. Hoc enim cum Lessingio aliisque, penes quos est ius et
v norma iudicandi de hisce rebus, persuasissimum habeo, non serviliter pressisse vestigia Graecorum Terentium. Multa passim omisisse eum, quae a moribus togatorum hominum nimis abhorrerent, multa deflexisse, multa addidisse de suo. Sic, ut uno exemplo rem probem per se satis dilucidam, elegantissima verique simillima est Lessingii coniectura, quam ingeniose admodum ornavit in Dramaturgia Hamburgensi, prostremas eius fabulae, quae *Adelphi* appellatur, scenas de suo addidisse poetam Latinum. Neminem enim, qui quidem callidum et multa lectione subactum ingenium ad hanc lectionem attulerit, praeterire poterit, iam finitam esse fabulam, nec probabiliter satis cohaerere, quae sequantur, cum superioribus. Quae res adeo permovit *Schmiederum* V. Cl. nuperrime, ut inde a Scena VIII. drama inciperet secundarium, sive exodium, maiori fabulae additamenti loco annexum. Poterunt fortasse nonnulla in contrariam partem disputari. Sed meam nunc non facio litem istam. Enimvero hoc satis liquet, circumspecte admodum cauteque nobis versandum esse in finibus imitationis Terentianae ad Graecos fontes exigendis constituendisque. Pendet totus a Graecis exemplaribus in fa-
vi bulis palliatis Terentius. Hoc unum sole meridiano clarius apparet. Sed quovis pignore equidem contendere ausus sim, multum trivisse Terentium reliquos etiam novae Comoediae auctores, multaque passim delibasse inde et transtulisse in suas fabulas. Quod cum peculiare quoddam fabulis eius adderet lenocinium, nec falleret aequales eius ac poetas aemulos, hinc factum esse arbitror, ut malevoli isti tam sinistros de Terentio, Graecorum imitatore, spargerent rumores, et subinde dictitarent, *contaminari non decere fabulas* *). Uberiorem haec postulant dissertationem, in

*) Hanc etiam veram esse significationem putarim elogii, quo C. Caesar in epigrammate in Donati vita p. XXXI. ed. Westerh. poetam nostrum co-

prolegomenis olim Terentio praemittendis instituendam. Hinc certe sequitur, non Menandri tantum et Apollodori, si qua luctuosissimum illud Graecorum exemplarium naufragium emerserint, reliquias diligenter comparandas esse cum Terentio, sed omnia omnino comicorum Graecorum fragmenta, quae quidem eo tantum consilio apud Athenaeum, Ioannem Stobensem aliosque nobis servata esse dicas, ut VII maiore deperditorum contabescamus desiderio, ad illustrandas Terentii sententias rite advocari posse. Qua de re cum penitus nobis persuasum esset, primo ea diligenter nobis excutienda esse arbitrati sumus, quae Menandri aliqua vestigia vel particulam servarent auro contra non caram, non neglectis Alciphronis, Aristaeneti, Philostrati epistolis, Luciani dialogis et Plutarchi libellis ethicis, in quibus multa adhuc investigare licet Menandreae scenae haud obscura indicia, a viris doctis, qui fragmenta colligerent poetarum veterum, plane praetermissa. Minime tamen acquiescendum nobis esse putavimus in hac Menandreae dictionis indagatione. Undique decerpere et colligere lubuit flosculos ex antiquis Graecorum Comicis, ne Aristophane quidem et Tragicis, unde ipsum Menandrum egregie profecisse constans opinio est *), plane omissis. Qui fructus inde ad sensum poetae penitus enucleandum Veneresque singulas recte aestimandas redundaverit, meum non est iudicare. Viderint ii, qui hoc qualecunque specimen opellae nostrae sub VIII examen revocare haud gravati fuerint.

Athenis Atticis aguntur hae fabulae. Atheniensium mores, instituta, vitam domesticam, tanquam in tabella, graphice depictam hic cernere est. Haud contemnendam sane antiquiores iam interpretes, in quibus eminent *Victorius*, *Muretus*, *Lindenbrogius* et *Anna Dacieria*, hisce illustrandis contulerunt operam. Multa in doctissimorum virorum commentariis super antiquitatibus Graecis, multa in animadversionibus ad alios auctores reperias obiter obser-

---

honestavit, *dimidiatum Menandrum* eum appellans. Scio, alios aliter hoc interpretari. Sed multa sunt, quibus nostram sententiam tutari in proclivi esset.

*) Exempla si desideras, adi sis magnum *Valckenaerium* ad Eurip. Hippolyt. p. 177. 206. 267. et quae sedulo constipavit *Harlesius* V. Cl. ad Fabricii Bibl. Gr. T. II. p. 456.

vata. Sed nemo adhuc taedium haec omnia colligendi et commode disponendi devorare sustinuit. Nam *Westerhovii*, quem vulgo molem libri spectantes omnia cum pulviculo excussisse inducunt in animum, levis admodum et tumultuaria hac quoque in re opera fuisse deprehenditur. Operae pretium igitur facturi nobis videbamur, si his etiam animum intenderemus, et fontes, unde pluscula peti possent, bona cum fide indicaremus limpidissimos. Dici non potest, quantas turbas hic concitaverit ignorantia legum Atticarum, quas nisi quis penitus perspectas habeat et exploratas, in malta incidet loca, e quibus, quomodo se extri-
IX cet, vix reperiat *). Nam, ut erant rixarum cupidi et *φιλόδικοι* Athenienses, in communi vita etiam omnia ad legum formulas et iudicia referebant. Necdum otium nobis fecisse putandi sunt, qui Iurisprudentiam Atticam scriptis peculiaribus exposuerunt *Meursii*, *Petiti*, *Heraldi*, *Salmasii*. Restant innumera, ex Oratoribus inprimis et Grammaticis Graecis accuratius explicanda, cuius praeclara aliquot specimina nuper ad Leptineam Demosthenis edidit *Wolfius*, Vir Summus, cui utinam otium et vita suppeteret ad thesauros reliquos, quos in scrinis eius delitescere novimus, expromendos. Nobis, ne quid intactum prae-
X termitteremus, quod ex illo antiquitatum capite luce aliqua perfundi posset, magna religio fuit.

Sed maior ei et in immensum patens aperitur campus, qui provinciam interpretis Terentiani tum demum recte a se administratam esse patet, si rem scenicam etiam et omnem omnino *σκευοποιΐαν δραματικὴν* eadem opera sibi illustrandam et ad singulas fabularum partes advocandam esse, bene imbiberit. Nec satis intelligo, quomodo hanc operam aliquis defugere possit, qui omnes numeros boni interpretis

*) *C. G. Richterus*, professor iuris in academia Lipsiensi, qui habitabat in hisce literis interioribus, et omnes forulos, unde ad Iurisprudentiam Atticam illustrandam aliquid corradi posset, diligenter excusserat, monstravit mihi aliquando adversaria satis spissa, quae *Iurisprudentiam Comicorum* inscripserat, bonae frugis et lectionis multifariam repetitae plenissima. Sed hanc quoque messem intercepit mors funestissima hominis, cui periculum fuit, ne fame periret. In quorum manus chartae illae post mortem eius pervenerint, nescio. Sed quam iacturam fecerimus, ferali schedarum istarum direptione, vel ex iis intelligere possumus, quibus exornavit caput de legumlatoribus in Fabricio Harlesiano.

implere velit. Iam vero neminem, qui vel leviter haec attigerit, fugit, nullum, si a re pecuniaria veterum et quibusdam historiae naturalis capitibus discedas, in omni antiquitatum ambitu locum reperiri, qui maioribus difficultatibus circumseptus et interclusus sit, quam theatrorum formam, varias personarum descriptiones et multiplex rei scenicae choragium. Enimvero, si rem aperte proloqui nec dissimulare velimus, multa situ vetustatis collapsa et obliterata hic iacent, quae sagacissima antiquariorum omnia perscrutantium investigatione vix ac ne vix quidem in lucem protrahi poterunt. Accepimus, *D'Orvillium* olim, at quem virum? quo doctrinae et lectionis vastissimae apparatu instructum? hoc in primis consilio longinquum illud et viro- XI
rum doctorum praeconiis celebratum iter in Siciliam suscepisse, ut e Tauromenitani Syracusanique theatri ruinis veram Graeci theatri in animo sibi informaret imaginem, quod scilicet non ignoraret, reliquorum, quae Sagunti, Nemausi, Polae et in nonnullis Italiae oppidis adhuc commonstrantur, theatrorum reliquias ad rem scenicam Graecorum illustrandam parum utilitatis afferre, cum Romanorum rebus florentibus exstructa demum fuerint illa theatra. At poenituit operae frustra his parietinis, misere disiectis, impensae virum eruditissimum. Prostant et a multis cupide emuntur eius *Sicula*, a Burmanno Secundo valde, quod aiunt, interpolata. Nonnulla ibi inveniuntur haud protrita et minime tralatitia, quae gratus agnoscas. At multo plura eo tantum disputata esse apparet, ut prorsus sciamus, nos nihil scire. Nihilo secius tamen, quicquid e veterum monumentis tuto colligere queamus, id omne liberaliter conferendum erit ad theatrorum apparatum declarandum. Nec piguit huic rei diu multumque insudasse. Aliqua certe nobis reperire visi sumus antea parum cognita. Alia clariore luce collustrari potuerunt. Nec spem abiecimus fore, ut ampliorem in posterum etiam ex ea re percipiamus fructum, qui quidem XII
omnis ad Terentium nostrum certissime redundabit *).

Enimvero coniuncta et copulata sit oportet cum hac

*) In magna exspectatione est *Graecia antiqua et nova*, opus magnae eruditionis καὶ θεωρίας παντοδαπῆς, quod per sexennium iam molitur *Villoisonius*. Nam cum in peregrinatione per universam Graeciam

quaestione de re scenica, altera de vitae generibus et moribus, quos in his fabulis ad vivum expressos esse a Menandro et, qui vestigia eius presserunt, posterioribus Comicis, consentaneum est. Ab his originibus omnis profecta est ἠθοποιΐα Comica. In Menandro, seu, cuius fabulis iacturam Graeci Comici utcunque sarcire debemus et compensare, Terentio norma nobis proposita est, ad quam, quic-
XIII quid uspiam in hoc genere recentioribus etiam temporibus tentatum est, recte exigere possumus et diiudicare, praeceptorum memores, quae tradiderunt in hanc rem triumviri celeberrimi et Atticis illis κριταῖς τοῖς ἐπὶ τοῦ θεάτρου iure meritoque annumerandi, vel, si vera sunt, quae de stolida illorum in iudicando cupiditate feruntur, praeferendi adeo, *Addisonius*, *Diderotius* et *Lessingius*. Ab ea igitur, quam animo concepimus diuque iam versavimus, Terentii editione numeris suis absoluta et perfecta, ut disputationes quidem de praecipuis novae illius comoediae personis, quas docte enumerat *Apuleius* *), recte abesse posse indicavimus, ut hic quasi uno obtutu omnia perlustrari possint, quae ab istis fontibus ducta et per manus in manus tradita omnium seculorum tulerunt suffragia. Cuius rei ut hic quoque specimen aliquod exstaret, excursum subiecimus *de persona militis gloriosi, in Comoediis veterum obvia.* Quod si ceteris personis, parasito, servulo callido, patri obiurga-
XIV tori aut miti, meretrici bonae aut procaci et quae sunt reliqua, eadem in posterum navetur opera, facile apparet, historiam quandam morum et argumentorum, quae in sensum Comicorum cadunt, sic satis commode componi posse et paulatim confici.

suscepta curiose in primis contemplaretur veterum aedificiorum et theatrorum vestigia, (quod quam praeclare illi successerit, ex uno specimine de regione Epidaurensi satis colligere possumus in *Prolegg.* ad Hesiod. p. L—LII): sane spes est haud exigua, multa, in quibus explicandis frustra aestuamus, sollerti eius αὐτοψίᾳ expedita fore et intellectu facillima. Nam quae *Barthelemius* in Anachars. disputavit, sunt illa quidem lectu iucundissima, sed quod Vitruvium, omnia ad Augustei seculi consuetudinem referre solitum, sequutus est, fundamento parum firmo nixa.

*) In Floridis libr. III. p. 424. edit. Vulcan. *Ibi est leno periurus, et amator fervidus, et servulus callidus, et amica illudens, et uxor inhibens, et mater indulgens, et patruus obiurgator, et sodalis opitulator, et miles proeliator: sed et parasiti edaces, et parentes tenaces, et meretrices procaces.*

Restat, ut quam rationem in recensendis verbis seu textis, ut vulgo vocant, Comici nostri sequendam esse duxerim, paucis exponam. Atque hic in omnibus fere me *Bentleii*, Viri in his literis facile principis, lectionem amplexum esse, lubens volensque aperte profiteor. Quam iniqua Bentleius, pro lubitu scilicet omnia refingens et pessumdans, virorum doctorum expertus sit iudicia, quanta rabie illum allatraverint Batavi nonnulli, antesignano, quod maxime dolemus, ipso Burmanno *), quam debacchata sit in illum vana magistellorum querundam ira, qui vivo Bentleio ne mutire quidem ausi essent, plane compertum habeo et exploratum. In quibus in primis saepe bilem mihi movit Bipontinorum editorum impudentissima oratio, qui virum ob XV ingentia merita in Terentium nunquam satis laudandum, plus sexcentis locis corrupisse verba eius, Westerhovium turpissime eadem effutientem sequuti, affirmare non dubitarunt. Atqui meliora edocti sumus a Viro divinae Criticae, et rei metricae, si quis alius, peritissimo, *Reizio*, cuius disciplina hac quoque in re mihi frui licuisse, in prima felicitatis meae parte ponendum esse lubens agnosco. *Faerni* industria et quos ipse cum *Lengio* comparaverat, antiquissimorum Codicum fide, non ingenio suo confisus pleraque in Terentio metro ac integritati restituit magnus Bentleius. Alia ad metrorum leges, non e cerebro eius, quod quidam garriunt, sed ex assidua Comicorum lectione subactas, severissime exacta ita mutavit et transposuit, ut qui easdem penitus calleret et bonam vitae suae partem in iis ad trutinam expendendis consumsisset, *Reizius*, oppido pauca reperiret, in quibus a magistro suo, sic enim semper appellabat, discedendum sibi esse putaret **). Hac igitur au-

*) Multa in hanc rem leguntur in duobus posterioribus Voluminibus Sylloges Epistolarum a Burmanno editarum. Burmanni praefatio in Phaedrum in manu est omnibus. Tu vide *Reizii* disputationem: *de Burmanno, Bentleii iudice parum idoneo.* Lips. 1778.

**) Habemus Rudentem Plautinum Reizii cura ad easdem leges, quas Bentleius proposuit, severissime exactum, et schediasmate *de metris Terentianis*, cui maximum ipse Reizius statuebat pretium; typis iterum excuso collocupletatum. Atque utinam vixisset Vir, ingenti harum literarum damno nobis ereptus, et sagacissimae metrorum investigationi quasi immortuus! Habuissemus Plautum in Medeae, quod aiunt, aheno recoctum, si telam, quam orsus fuerat, detexere licuisset. De Bentleio instar omnium esto *Gesneri* ad Quintilianum IX, 4. 75. iudicium.

XVI ctoritate freto quamvis religio fuerit, dissentire in iis, quae laudato Bentleii acumine iam ad liquidum perducta videbantur et extra omnem controversiam posita, codicum tamen cum scriptorum, tum impressorum veterum opem minime spernendam et vilipendendam esse arbitratus sum vel ad cubilia verae lectionis indaganda vel ad Bentleii emendationes confirmandas apprime utilem. Comparatione tamen aliquot codicum haud infimae aetatis et satis spectatae fidei, utriusque *Gothani* et *Helmstadiensis* instituta, verum esse deprehendi, quod ab aliis iam observatum legeram, duas esse Codicum Terentianorum familias, quarum capita et ἀρχηγούς, Bembinum scilicet et Cantabrigiensem, quem Academicum vocat Bentleius, qui recte noverit, et cum Donati fragmentis ad Critices Terentianae fines regendos plus, quam dici potest, opportunis dextre contulerit, in centum fere Codicibus reliquis, quorum quidem notitia e variis bibliothecarum Catalogis ad nos pervenit, vix quin-
XVII quaginta lectionis varietates, quas tollere velit et ad vulnera Terentii persananda adhibere, inventurum esse. Duo praeterea sunt, ad quae Terentii editor, qui supinam priorum in his oscitantiam aversetur, ingenii aciem perpetuo intendat oportet, particularum, in quibus vernaculus et nulla peregrinitate offuscatus Latii sapor optime intelligitur, disciplina et personarum, quae cuique verba tribuenda sint, apta descriptio. Prioris in hoc specimine exemplum esto structura particulae *quin* ab initio periodi cum indicativo IV, 7. 51. alterius turpissimum *canis* opprobrium Chremeti, non Gnathoni, qui communis est error editionum tantum non omnium, adscribendum IV, 7. 33. In personis constituendis, quae res est multae exercitationis et ingenii assidua Comicorum lectione subacti, multum iuvare poterunt Donati commentarii, quantumvis mutili et centonibus ineptissimorum Grammaticorum undique assutis interpolati, dummodo quis fragmentis hisce post *Lindenbrogii*, *Westerhovii* et *Wielingii* curas innumeris adhuc corruptelis scatentibus, recte uti sciat *).

*) Nisi moles Terentii, quem meditamur, in immensum crescoret, adiiciendi haud dubie essent commentarii a Donati manu profecti fragmenta omnia, diligenti Codicum, qui in Caesarea bibliotheca Vindobo-

Tabellam aeri incisam, quae militis imaginem prae- XVIII
ferret, qualem exhibent icones Codicis Vaticani, in fronte speciminis proponere erat in animo. Quam enim nos animo agitamus Terentii editionem, iucundissimo oculorum lenocinio, imaginibus in aerea tabella expressis *), nequaquam eo consilio instructam esse volumus, ut vana bellis imagunculis captetur oblectatio, sed ut rerum scenicarum ad antiquae artis opera delineatarum contemplatio altius se demittat in animum, et quae a nostris moribus ac institutis discrepant, oculis subiiciantur fidelibus. Sed cum urgerent operae typographicae, nec opus nundinis hisce Lipsiensibus destinatum amplius procrastinari paterentur, committere nolui, ut hoc adscititio ornamento, quod multi ne desiderabunt quidem, libello ad Sosios festinanti impedimentum obiiceretur. Plenam tamen Terentii nostri editionem nec hisce illecebris, honestissimis illis nec ulla mala arte interpolatis, ca- XIX
rituram esse, iam nunc fidem damus omnibus, qui huic conatui nostro bene cupiunt.

At quando prodibit tandem ipsa illa Terentii editio, quam specimen istud verbis magnificis nobis venditat et obtrudit? Cessatorem te novimus multa pollicitantem, parum extricantem! Sic audire videor, qui mihi obstrepant et, si Plautina voce uti fas est, pipulo me differant. Bona verba, quaeso! Fefelli fidem, fateor, in nonnullis, quae promiseram. Sed nec culpa mea, quicquid huius accidit, nec dolo malo accidisse, norunt ii, qui quam exigua subsecivarum horarum usura mihi frui liceat, exploratum habent. At in Terentio fidem meam desiderari nunquam patiar. Evenit enim, quod vix sperare ausus eram, ut Vir in hac palaestra egregie versatus, et editionibus Catulli, Livii

---

sensi et in Vaticana adhuc delitescere dicuntur, inspectione innumeris mendis perpurganda. Nam quae genuina sunt in istis, nec adventitiis sordibus inquinata, et ad grammaticam rationem et ad sensum pulchri acuendum magnam vim habere posse, vel *Lessingio* teste, nobis constat. Expecto iudicium virorum doctorum, auctoritati illorum lubenter morem gesturus.

*) Selegeram in illum usum praestantissimarum aliquot gemmarum, quae in dactyliotheca ducis Aurelianensis olim servabantur, ectypa additis aliis ex opere Ficoroniano, picturas rariores e Codice Vaticano a Mainardo et Coquelinio publicatas, tabellas aliquot e picturis Herculanensibus, quatuor anaglypha e Museo Pio-Clementino a Viscontio prodita et id genus alia, una cum schemate theatri Graeci e *D'Orvillii* Siculis et *de Roy* ruinis Graecine depromto.

aliorumque auctorum de communibus nostris literis optime meritus, Doeringius Gymnasii, quod Gothae floret, inclyti
xx Director in partem laboris se successurum et quicquid ad genuinam lectionem constituendam et sensum verborum eruendum spectare videretur, in se recepturum esse benigne polliceretur. Fuit mihi cum illo Viro inde a teneris omnium rerum, quibus humanitas et amicitia pasci et recreari solet, magna communio et iucundissimum contubernium. Crevit, quae a prima aetate inter nos coaluit, et magis magisque conglutinata est communibus studiis, communi, quo uterque illigati sumus, vitae genere amicitia. Unum deerat, ut eum auctorem, quem iam olim, cum in ludo Portensi, cui Deus faveat, ambo eodem tempore honestissimae disciplinae animum praeberemus, miro amore exosculati eramus, et vix unquam e manibus deposueramus, communibus curis expolitum et illustratum in lucem emitteremus. Annuit his quoque deus, nec, si specimen hoc aequorum iudicum suffragium tulerit, ulla in me amplius erit mora, quin tanto praesidio sublevatus statim ipsi Terentio ad hanc, quam proposui, normam edendo manus admoveam, confirmatus Homerico illo: σύν τε δύ' ἐρχομένω.

Favete, lectores, *adeste aequo animo et rem cognoscite!*

Scripsi Vimariae. Ipsis Calendis Aprilibus MDCCXCV.

EUNUCHUS.

ACTUS IV. SCENA V.

Versus sunt iambici tetrametri acatalecti.

CHREMES. PYTHIAS.

1 C. At at data hercle mihi verba sunt: vicit vinum, quod bibi.

1. *Vicit vinum*) Cod. Graevii, edd. Tarvis. et Mediolan. *vicit me v.* e glossa.

Chremes, rus merum, et urbem vix toto quater anno revisens, sive αὐτόχρημα ἀπὸ τῆς ἀγροικίας ἀγροικίζων, Alciphr. III, 29. p. 336. bene potus e convivio militis redit ad aedes Thaidis. Videmus veteres hinc comicos risum captasse spectatorum, ebrios et vino titubantes in scenam producendo, quo genere nostrates et Britannorum Comici fere abusi esse deprehen-

Ac dum accubabam, quam videbar mihi esse pulchre sobrius!
Postquam surrexi, neque pes neque mens satis suum officium facit. 2
P. Chreme. C. Quis est? ehem Pythias! vah quanto nunc formosior
Videre mihi quam dudum? P. Certe tu quidem pol multo hilarior. 3
C. Verbum hercle hoc verum erit: sine Cerere et Libero friget Venus.

2. *accubabam*) Codex Gothanus A. et impressi veteres plerique *accumbebam*. 3. *neque mens*) Goth. A. *neque manus*, e compendio scribendi *mns*. Genuina lectio patet ex imitatione Ovid. I. A. A. 590: *Officium praestent* mensque pedesque *suum*. 4. *Chreme.*) In vulgatis est *Chremes*. 5. *certe.* Faernus Bembini sui lectionem *certo* praefert. Sed vulgatam sensus confirmat, et omnes Codd. *hilarior;* Muretus e Donato legit *alacrior*. Sed *hilarior* est trisyllabum. 6. *verum erit.* Recentiores libri omnes fere habent *est*. Sic etiam praefert Cod. Goth. A. In

duntur. Scilicet adsueti erant veteres isti spectaculo in fabulis Satyricis, in quibus praeeunte ipso Aeschylo temulenti et comissantes prodibant Satyri. Cyclops in fabula cognomine Euripidis vino gravis et titubans inducitur 574. seqq. nec aliter res administrata fuit in fabula Philoxeni, ut e fragmento in Schol. ad Aristoph. Plut. 290. colligimus. Sed in comoediis servi tantum et parasiti, vilissimi homines, ebrietate fiunt ridiculi, ut Plautinus ille Pseudolus in fabula cognomine V, 1, et 2. Hinc magis apparet rusticitas Chremetis, qui vino se victum fatetur, conviviis scilicet eiusmodi et compotationibus urbanorum hominum minime innutritus.

v. 3. *neque pes, neque mens.* Vinum *dolosum luctatorem* e Plauti Pseud. V, 1. 6. laudavit iam Donatus. Sic Eubulus apud Athen. II, 1. p. 36. D. de vino ὑποσκέλιζει ῥᾳστα τοὺς πεπωκότας. Cf. Leonidam Tarentinum T. I. p. 163. XXXVIII. edit. Iacobs.; σφάλλεσθαι ὑπὸ οἴνου appellat Xenoph. de rep. Laced. V, 7. p. 309. Zeun. Alia loca dabat *Cerda* ad Virg. II. Georg. 94. Talé quid legit in Menandro suo Terentius.

v. 4. *quanto nunc formosior.* Vinum θάλπηοι θυμὸν Κύπριδος, ut est in nobilissimo fragmento Bacchylidis apud Athen. II, p. 39. E. Iuvenis, qui supra III, 3. ancillam vix paucis verbis dignatus fuerat, iam blanditiis illam delenire studet. Videtur illi iam formosula. Sic Cyclops Euripideus, cum vino se ingurgitasset, Silenum pro Ganymede amplectitur. 578. 584. Laudatur etiam lepidum dictum Anacharsidos, cuius pluscula feruntur de vino apophthegmata (v. *Menag.* ad Laert. I, 103.) qui, cum quidam eius uxorem intuitus in convivio dixisset, minime pulchram duxisse uxorem, puero vinum ministranti, heus tu inquit, ἔγχει ποτήριον εὐρυχώτερον, ὅπως αὐτὴν καλὴν ποιήσω. Athen. X, 13. p. 445. F.

v. 6. Sententiam in Bacchicorum orgiorum licentia natam, et ab Euripide frequentatam (v. Bacch. 400. 727. et Athen. VI, 20. p. 270. C.)

Sed Thais multo me antevenit? P. Anne abiit iam a milite?
C. Iam dudum: aetatem. Lites factae sunt inter eos maximae.
P. Nil dixit, tu ut sequerere sese? C. Nil nisi abiens mi innuit.
P. Eho, nonne id sat erat? C. At nesciebam id dicere illam. Nisi quia

Cod. B. plane excidit. Sed Faernus iam e Bembino et Victor. restituit *erit*, probante Bentleio, qui commode laudat Plaut. Pseud. II, 3. 11. et sic est in Cod. Vaticano, qui legit: *verum hercle verum est. Libero* Cod. Goth. B. *Baccho*, e margine. 7. *multo me antevenit*. Vulgata lectio *multo ante venit* acatalectis unum interponit catalecticum. Hinc Harius refingebat *multon'*. Sed praestat Bentleium sequi. Sic pares efficiuntur versus. Sic Plaut. Mil. Glorios. II., 2. 68. *antevenito aliquos*. Cf. Cort. ad Sallust. Iug. 56, 2. *anne*. Sic Goth. A. B. Lindenbr. et Codd. plerique. *Abiit* est disyllabon. 8. *Lites factae s. i. e. m.* Sic transposuere verba e Codd. Faernus et Bentl. 9. *tu* pro *tum*, quod Codd. bene multi et Goth. A. exhibent, habet Bembinus et duo vetustissimi Bentl. *ut tu* Cod. Lipsiens. Sed *tu ut* metro postulante bene restituit Bentl. *Tu* peculiarem hic habet emphasin.

saepe usurparunt Comici, unde Apuleio Met. II, p. 27. *Veneris hortator et armiger Liber*, ubi vid. Pricaeum p. 88. Adde VV. DD. ad Minutil Octav. c. 21. Eandem passim expresserunt artifices in antiquae artis operibus, gemmis caelatis, anaglyphis, numis. V. *Buonarotti sopra alcune medagl.* p. 441—444. et *Gisb. Cuper.* in Apotheosi Homer. p. 173. seq. Tropum in scholis rhetorum tritum pulchre illustravit Sextus Empir. IX, 18. p. 552. *τὸν μὲν ἄρτον Δήμητρα ὀνομασθῆναι, τὸν δὲ οἶνον Διόνυσον*, ubi vid. Fabric. Nec pigebit adscribere verba Hieronymi ad Comici nostri, quem in deliciis habuerat, sententiam adumbrata T. III. Opp. p. 48. *Distento ventre, distenduntur ea, quae ventri adhaerent.* Atticam elegantiam hominis haec Furiae, matronae sanctissimae, scribentis!

v. 9. *mi innuit — nesciebam id dicere illam.* Egregia pictura hominis simplicissimi, qui ne nutum quidem Thaidos intelligeret, omnia in meliorem partem accipiens, et mulierculam adnictantem sibi amore sui captam id facere arbitraretur. Notissimi sunt nutus meretricii; vid. *Lindenb.* ad h. l. Sed admiremur sobriam Menandri castitatem in *ἀγροικίᾳ* paucis lineis denotanda. Ambitiosius idem argumentum exornarunt amplificaruntque poëtae Comici Britannorum, quorum ingenium mire luxuriatur in fatua rusticorum recens in urbem delatorum (*Country-Squires*) stoliditate delineanda. Adde *Colmannum* in versione vernacula huius fabulae.

v. 10. *nisi quia* est Graecorum *πλὴν ὅτι*, quod ex hoc loco confirmavit *Salmas.* ad Tertull. de Pallio p. m. 392. (423). *correxit miles.* Carpit poetam Donatus ad h. l. „Hoc videtur facetius et sapientius, quam dici ab ebrio et adolescente potuisset. Hoc vitium tum fit, cum poëtae

Correxit miles, quod intellexi minus: nam me extrusit foras.
Sed eccam ipsam: miror ubi ego huic antevortam. 5

11. *quod intellexi minus*) Goth. B. et Helmstad. *quod ego int. — correxit miles.* Goth. A. et alii nonnulli *correxit me miles.* Sed iam sic versus abundat, et in *quod τὸ d* est elidendum. 12. *eccam ipsam*) *video* addunt Cod. Lips. Lindenb. Goth. B. et libri Westerhovio commemorati. *ego huic*, alii *huic ego. hinc* Cod. Lindenbr.

ingenium suum in personas conferunt." Gravis accusatio, quam refellere cuivis in promtu erit, qui mentem poetae bene perpenderit. *extrusit foras*, *ἐφερόμην θυράζε* Eupolis apud Athen. VI. p. 236. F.

12. *antevorterim.* Ergo citato passu aufugerat. Atqui incessus velocior parum decebat hominem liberaliter et in urbe educatum. Insanorum habebatur (v. ad Horat. I. Serm. 3, 10.) et servulorum discursantium.

SCENA VI.

v. 1—8. Trochaici tetrametri acatalecti. 9. trochaicus dimeter catalecticus. 10. troch. tetr. acat. 11—17. troch. tetr. catalect. 18. ad fin. acatalecti.

THAIS. CHREMES. PYTHIAS.

Th. Credo equidem illum iam adfuturum, ut illam a me eripiat: sine veniat. 6
Atqui si illam digito attigerit, oculi illi illico effodientur.

v. 1. *illum* deest in Goth. B. *illam ut eripiat* impressi antiqui. *veniat sine* Goth. A. *sine ut veniat* Goth. B. et Helmst. *sine veniat* absunt a Cod. Lips. Apparet fluctuatum esse in metro versus constituendo. Bentleius deleto *τῷ esse* post *affuturum*, quod omissum est in vett. edd. omnia explanavit. 2. *digito uno.* Sic omnes impressi. Sed bene monuit Bentl. *τὸ oculi*, quod in thesi inprimis tollendum erat, sic plane demergi. Reposuit igitur *illi* ab *illico* abscorptum et delevit *uno* ad versum fulciendum e Plauto Pers. V, 2. 15. intrusum. In Menandro haud dubie fuit *ἄκρῳ τῷ δακτύλῳ* aut *δι' ἄκρων δακτύλων κἂν μόνον θίγῃ*, ut apud Lucian. Amor. 53. T. II. p. 456.

v. 1. *oculi effodientur.* „In oculos saevire maxime feminas et Tragoediae fere omnes (Hecuba apud Eurip.) et comoediae testantur." Don. Mulebris irae *ἐξορύττειν τοὺς ὀφθαλμούς.* Exempla si desideres, quod quidem exemplis comprobare putidum, vid. *Passerat.* ad Prop. IV, 9. p. 667. et *D'Orvill.* ad Charit. p. 643. Lips. In nostris comoedis vix impotentissimae ancillulae condonarentur minae eiusmodi. cf. supra IV, 3. 5. Hic Thais femina, ut captus meretricularum est, elegantior istis minis sibi non temperat. Sed cogita impotentius Graecarum mulierum inge-

7 Usque adeo illius ferre possum ineptiam et magnifica verba,
Verba dum sint; verum si ad rem conferentur, vapulabit.
Ch. Thais, ego iam dudum hic adsum. Th. O mi Chreme, te ipsum expeto.
Scin tu turbam hanc propter te esse factam? et adeo ad te attinere hanc
Omnem rem? Ch. Ad me? Qui quaeso istuc? Th. Quia, dum tibi sororem studeo
8 Reddere ac restituere, haec atque huiusmodi sum multa passa.
Ch. Ubi ea 'st? Th. Domi apud me. Ch. Hem. Th. Quid est?

3. *Usque adeo ego.* Postremum omittitur a Donato et in edd. vett. Delevit metro postulante Bentl. *ineptiam* Bemb. Victor. Vatic. restituit Faernus. 4. *verum si ad rem.* Recentiores editiones addunt *enim*, quod e Donato, Codice et edd. vett. delevit Bentl. *conferantur.* Helmst. 5. *expeto.* Vulgati *exspectabam.* Codices fere omnes Vatic. Reg. Lind. Lips. Goth. A. B. et edd. antiquissimae habent *exspecto*, unde Bentl. refinxit *expeto.* Sic sensus aperte postulat. Thais enim modo adveniens non poterat exspectare Chremetem, qui cursu illam antevorterat. Solennis haec est permutatio librariorum, *expetere* et *exspectare* passim confundentium. Vide Drakenb. ad Liv. X, 7. 12. Schwarz. ad Plin. Pan. p. 185. 7. *qui quaeso istuc?* Hanc Acidalii coniecturam, usu Terentiano confirmatam Heaut. III, 3. 1. Hecyr. IV, 2. 12. fide duorum Codd. recepit Bentl. In vulgat. est *qui? quasi istuc*, vbi Latomus et Guyetus supplent: moverim. *Fabrini* in versione Itala videtur supplevisse *fecerim.* Westerhovius subintelligit *credam.* Schmiederus triplicem ellipsin statuit. Omnibus hisce supplementis facile carere possumus. Cod. Goth. B. *qui quaeso ego istuc. τὸ ego* in pluribus exstat editt. primae aetatis, ut in ea, quae prodiit anno 1469. 9. Faernus, versum Iambicum trochaicis tetrametris

nium, quod in Thesmophoriazusis et Lysistrata pulchre depinxit Aristophanes. Adde Herod. V, 87. et, qui sagaciter haec indagavit, *Pauw. Recherches philosophiques sur les Grecs.* T. I. p. 189. seqq.

v. 3. *verba magnifica* iactabundi et gloriosi militis. Sic *magnificentia* Phorm. V, 7. 37. cf. *Broukh.* et *Heyn.* ad Tibull. II, 6. 11. — v. 4. *vapulabit*, commitigabitur illi sandalio caput, quod *βλαυτοῦν* appellabant. v. *Jungermann.* ad Poll. VII, 87. *Casaub.* ad Pers. V, 169.

v. 7. *qui quaeso istuc?* sc. fieri potest. Sic saepissime Plautus. 8. *reddere ac restituere* Donati explicatio *redditur* cupiens, *restituitur* cupientibus parum iuvat. Laudant locum Ciceronis pro domo c. 28. patria *luem ac salutem redditam sibi ac restitutam accepit.* Scilicet *restituere* est verbum forense et est significantius altero. vid. Brissonii Lexicon s. v. Et cumulari solebant in formulis eiusmodi solennibus verba idem significantia, ut in illo: *do, dono, dico.*

v. 9. *Hem.* metuit ne pudori sororis male consultum sit in domo meretricia. Meretricibus lege Solonis quaestum suum exercere concessum fuit

Educta ita, uti teque illaque dignum 'st. Ch. Quid ais? Th. Id quod res est.

Hanc tibi dono do, neque repeto pro illa quicquam abs te preti.

Ch. Et habetur et referetur, Thais, ita uti merita es, gratia.

Th. At enim cave, ne prius, quam hanc a me accipias, amittas, Chreme:
Nam haec ea 'st, quam miles a me vi nunc ereptum venit.

Abi tu, cistellam, Pythias, domo effer cum monumentis.

infercire ausus, poenas dedit Bentleio. *hem.* Cod. Goth. A. B. et omnes antiqui; vulgat. *ehem.* 12. *referetur* uterque Cod. Goth. et Helmstad. Primus, sensu postulante, sic legit Th. Linacer. Bembino aliisque edd. addicentibus, recepit Faernus et Bentl. Sic est in Codd. IV. Leidens. Aldinae variant. Post *Thais* Goth. A. B. aliique libri complures addunt *a me*. Sed abest a Bembino, nec laudatur a Prisciano XVIII. p. 640. ubi hic versus affertur. Faernus recte etiam delevit *τὸ tibi* eidem loco male intrusum. 15. *Pythia* Goth. B. et plures antiqui. *effer*. Cod. Markl. et Helmstad. *affer*.

Athenis nec flagitium fuit, adolescentulum scortari; sed ingens tamen inter puellam liberaliter educatam et meretricem fuit discrimen. Sic Chremetem coram Sostrata matrona pudet dicere nomen meretricis in Heaut. V, 4. 18. cf. Hecyr. IV, 6. 22. Atqui solebant meretrices, ingravescente paulatim aetate, puellas alere iuvenculas, eidem quaestui inservientes, *παιδίσκας ἀναιρούσας τρέφειν*, ut de Aspasia Plutarch. in Pericle c. 24. T. I. p. 410. Hutt. Haec igitur cogitatio percussit animum fratris. Multa ad hanc rem illustrandam peti possunt e Demosthenis oratione adversus Neaeram. Sed de his separatim in Excursu aliquo agendi locus erit, nec consuluisse interea poenitebit doctissimum Britannum, qui mores Graecorum penitus perspectos habuit et exploratos, *Gilliesium History of Greece*, T. II. p. 289. seqq. Basil.

v. 15. *monumenta* antiquitus appellabantur quaelibet signa, quibus aliquid cognosci posset. Mos repetendus est ab eo tempore, ubi scribendi legendique elementa paucis admodum innotuissent. In illo aevo omnes cippi, tesserae, statuae, inscriptiones in tabulis lapideis et aereis, quae *monerent* homines, appellatae sunt monumenta. Tandem de libris, aliisque memoriis, quae scriptura consignatae essent, dici coeptum est. Hic antiquiore significatione intelligenda sunt symbola in universum, de quibus vide, quae nuperrime monuit *Wolfius* in Prolegg. ad Homer. T. I. p. LXXXVI. Donatus ad h. l.: „Monumenta sunt, quae Graeci dicunt *γνωρίσματα, λείψανα* (hoc addendum ex edit. Aldina), *σκάφγανα*." Infra V, 3. 8. *signa* appellantur. Intellexerim h. l. fascias, quibus constringe-

Amisisse, nunc cognosse. signa ostende. Py. Adsunt.
Th. Cape.
14 Si vim faciet in ius ducito hominem: intellextin?
30 Ch. Probe.
Th. Fac animo haec praesenti ut dicas. Ch. Faciam.
Th. Attolle pallium.

modo vulgati. Sed Faernus et Bentleius in omnibus Codd. repererunt *hoc modo dic.* — *sororem illam tuam esse*, vel: *illam esse tuam*, vel: *sororem esse tuam*, omisso τῷ *illam* variatio Codd. 31. *fac animo haec praesenti dicas* vulgati omissa particula *ut*, quam e Codd. restituit Bentl. suffragantibus Goth. A. et B. et Helmstadiensi.

v. 29. *Adsunt.* In iconibus Codicis Vaticani T. I. p. 142. ed. Coquelin. conspicitur Pythias dextra cistellam tenens, cuius operculum vinculo decussatim ligato constrictum videtur. Scilicet nondum inventa erant claustra ferrea, cuiusmodi hodie utimur ad obseranda armaria et arculas. Illustrari poterit hac icone Homerus Odyss. VIII, 443.

v. 30. *Si vim faciet* in virgine abstrahenda. Lege agi poterat apud Athenienses in eos, qui vi aliquid abstulerant. Actio appellabatur δίκη βιαίων, quae non tantum ad virgines stupratas, sed ad omnem vim apertam, qua quis grassaretur, referebatur. vid. *Petitum* de LL. Att. VII. 4. p. 633. ed. Wesseling. et *Maussacum* ad Harpocrat. s. v. βιαίων p. 100.

v. 31. *Attolle pallium.* „Vel quia simplex est, vel quia ebrius, pallium trahit Chremes." Donat. Attici mirum in modum elegantiae fuerunt studiosi in veste superiore (ἱματίῳ, pallio) superiniicienda et colligenda, quod εὐσχημονεῖν appellarunt; secus qui facerent, ἀσχημονεῖν dicebantur. Exstat libellus inter Hippocraticos περὶ εὐσχημοσύνης, ubi vide T. I. p. 43, 5. ed. Mackii. Dignus notatu locus est apud Plutarch. in vita Periclis c. 5. T. I. p. 384. Hutt. ubi laudatur in eo καταστολὴ περιβολῆς πρὸς οὐδὲν ἐκταραττομένη πάθος. Duo in primis observanda erant in pallio. Primum ut pallium apte et dextre in humeros collocarent, ἀναβάλλεσθαι ἐπιδέξια Plato in Theaet. T. II. p. 121. Bipont. Alterum ne pallium *rusticius deflueret* (Horat. I. Serm. 3, 31.) et traheretur in terra. Id qui negligerent, vel rustici habebantur, vel ebrii et insani. Rusticitatis hanc speciem illustrat *Casaubonus* ad Theophr. p. 52. Fisch. De ebriis exemplo est Anacreon, qui potus ἀχρὶ καὶ ἀστραγάλων ἕλκεται ἀμπεχόναν apud Leonid. Tarent. in Anthol. T. I. p. 163. XXXVII. et in sequenti epigrammate XXXVIII. τὸ λῶπος ἕλκεται ἐςαχρὶ γυίων. Vide apophthegma Lacaenae in libello Plutarchi cognomine T. II. p. 257. ed. Hutten. De insanis docta est observatio *I. Fr. Gronov.* ad Senec. de Ira III, 35. Hinc facile apparet, quam turpiter se daret Chremes, pallii ad pedes defluentis prae formidine paene oblitus. Porro autem valde diceres erant in istiusmodi homines decoris oblitos Attici. Locus classicus est apud Athen. I, 18. p. 21. B. ἔμελεν αὐτοῖς καὶ τοῦ κοσμίως ἀναλαμβάνειν τὴν ἐσθῆτα, καὶ τοὺς μὴ τοῦτο ποιοῦντας ἔσκωπτον. Inter alia, quae ibi laudantur veterum poetarum loca, in primis huc facit ob-

Perii, huic ipsi opus est patrono, quem defensorem paro. 15

iurgatio illa apud Aristoph. Ὄρνιθ. 1566. ubi Triballum barbarum hominem corripit Neptunus: Οὗτος τί δρᾷς; ἐπ' ἀριστερ' οὕτως ἀμπέχῃ; Οὐ μεταβαλεῖς θοιμάτιον εἰς ἐπιδέξια; Sollicite igitur cavet Thais h. l. ne turpis defensoris sui socordia dicteriis pungatur a milite et parasitastro. Comparasse iuvabit Plaut. in Cistell. I, 1. 217. ubi meretrix alteri meretriculae, rerum suarum satagenti: *Amiculum hoc sustolle saltem.* Multum diversa ab hac ἀγροικίᾳ fuit mollities delicatorum, qui vestium syrmata traherent feminarum instar, ut Alcibiades apud Plutarchum. vide VV. DD. ad Phaedr. V, 1. et *Wyttenb.* ad Plut. de S. N. V. p. 38.

v. 32. *defensorem*, s. *patronum* intellige e moribus Atticis τὸν προστάτην, quem quilibet inquilinus sibi eligere debuit Athenis. Harpocration s. v. Ἀναγκαῖον ἦν ἑκάστῳ τῶν μετοίκων πολίτην τινὰ Ἀθηναίων νέμειν προστάτην. Cf. *Valesium* in notis p. 11. et, qui post *Petitum*, qui sua debet Valesio, docte hunc morem illustravit *P. Wesseling.* Observ. II. 6. p. 162. adde VV. DD. ad Roman. XVI, 2. Hoc infra V, 9. 9. appellatur in *clientelam se commendare.*

SCENA VII.

Versus Iambici octonarii, s. tetrametri acatalecti.

THRASO. GNATHO. SANGA. CHREMES. THAIS. (Personae mutae SIMALIO. DONAX. SYRISCUS.)

THR. Hanccine ego ut contumeliam tam insignem in me accipiam, Gnatho? 16

Cod. Helmstad. inter personas nominat LOCARIS. Finge: *Lorarii.* Frequentes hi in fabulis comicis. v. Gell. X, 3. extr. et Pignor. de Servis p. 15. 1. *Ego* et *ut* deest in pluribus codd. scriptis et impressis. Sed habet Donatus, et sic saepissime *ut* inservit indignationi, v. c. Horat. II. Serm. 5. 18. — *in me tam insignem* numerosius esse putat Harius.

Icon in Cod. Vaticano p. 145. huic scenae praefixa octo exhibet figuras. Incipit a dextra Gnatho. Sequitur Sanga cum peniculo, in speciem ingentis spongiae expresso. Hunc sequitur ipse miles, gestu minitabundo, quem Donax excipit cum vecti, sive ligno pro iconis mensura satis pusillo. Dein Syriscus, instrumento armatus, cuius figuram in imagine aeri incisa satis assequi non licet. Propius hunc constitit Thais, et omnium postremus, pallio iam collecto, manumque sinistram sub pallio cohibens, Chremes. Hinc apparet, praeter has personas neminem fuisse in scena, quod nullo haud improbabili coniectura e *lorariis* Cod. Helmstad. colligere possemus.

v. 1. Fragmentum e Menandri Colace, quem hic vertit Terentius, servavit nobis Lucianus, qui, monente iam Bergiaro ad Alciphr. III, 16,

17 Mori me satiu 'st. Simalio, Donax, Syrisce sequimini. Primum aedes expugnabo. Gn. Recte. Thr. Virginem eripiam. Gn. Probe.

18 Thr. Male mulcabo ipsam. Gn. Pulchre. Thr. In medium huc agmen cum vecti, Donax;

2. Priscian. VII. p. 766. nomen servi legit *Dorax*, et sic est in Cod. Helmstad. quod Guietus a δορᾷ corio detracto derivatum et coquinae aptum esse putat, cuius paulo post mentio fit. Sed vulgata lectio defenditur Donati explicatione et Inscriptionibus vett. ubi *Donax* saepius occurrit. vid. Gruter. DCXCIX, 7. DCCXCVII, 8. MXLVI, 3. — *sequimini me* addunt Codd. plerique, Goth. B. *me.* refragante metro. 4. *vecte* multi Codd. Goth. A. B. Helmst.

p. 313. dialogos meretricios tantum non omnes ad Menandri fabulas confinxit, in Dialog. Meretr. IX. T. III. p. 304. ed. Wetsten. Thrasonis partes ibi agit Polemon, Pannychidis meretriculae aedes expugnaturus. Appellat ibi servulum Parmenonem *τοὺς Θρᾷκας, ὦ Παρμένων*. sc. *ἄγε*. Respondet servus, secundas agens domino, *ὡπλισμένοι ἦμεν ἀμφράξαντες τὸν στενωπὸν τῇ φάλαγγι· ἐπὶ μετώπου μὲν τὸ ὁπλιτικὸν, παρ' ἑκάτερα δὲ οἱ σφενδονῆται καὶ τοξόται, οἱ δὲ ἄλλοι μετόπιν*. En aciem ad amussim instructam! Plenas fuisse recentioris comoediae fabulas eiusmodi minis, foribus effractionibus et aedium expugnationibus, patet ex alio dialogo Luciani meretricio XV. p. 323. ubi miles Megarensis, exclusus a Crotale, vi irrumpit in aedes, et rusticum meretriculae amasium male mulcat. Nec abhorruit hoc a moribus illius aetatis, ubi irruptiones eiusmodi et impetus in alienas aedes facti ad *comessantium licentiam* (Britanni hodie *a riot* appellant) pertinere viderentur. Vide exemplum illustre in oratione Demosth. in Neaer. p. 1358. 15. Reisk. Theocrit. II, 128. cf. *Schwarzium de comessationibus veterum* (Aldorf. 1744.) p. 12.

v. 2. *sequimini* vox imperatoris. Liv. III, 38. Sic Pyrgopolinices in Mil. Glorios. I, 1. 78. *sequimini satellites.* vid. Donat. ad h. l.

v. 3. „Vide ordinem belli. Primum expugnatio moenium. Tum recuperatio captarum rerum. Demum poena praedonum" Donat. Et potuit utique respicere miles ad bella piratica in Cilicia et Pisidia, quibus Menandri aetate latrocinia praedonum compressa esse a regibus Asiae, Antigono, Demetrio, Seleuco, veri simile est. Vide *de Brosses* Histoire de la république Romaine T. I. p. 536. seq. — v. 4. *mulcabo.* Tralatitia sunt, quae de hac voce disputari solent. v. Drakenb. ad Sil. Ital. X, 468. Liv. XXVIII, 30. 12. Verissimum est etymon Gronovii a *mulgere* derivantis. Sic *μάσσειν πᾶν' ἀποθλίβειν* apud Eurip. Cyclop. 236. quod nolim cum Ruhnkenio in Ep. Crit. II. p. 208. ed. nov. in *ἀπολέπειν* mutare.

v. 4. 5. „Hic agmen instruitur. Facetum autem est, cum a rebus magnis res ridiculae deriventur" Donat. Observa imperatoria verba ducis aciem instruentis, et consule, qui diligenter e Tacticis suis omnia digessit, *Schwebelium* in dissertatione: *de Tacticae veteris utilitate.* Onold. 1772. *Vectibus, μόχλοις*, in labefactandis portis urbium (Eurip. Phoenis.

Tu Simalio in sinistrum cornu; tu Syrisce, in dexterum.
Cedo alios: ubi centurio 'st Sanga, et manipulus furum? 19
Sa. Eccum adest.

5. *sinistro — dextro* Cod. Lips. in dextrum *erumpe* addit Goth. B. 6. *est* omittit Cod. Markl. — *Sanga — eccum adest* in Cod. Lips. et Gothano B. tribuitur Gnathoni.

1139. *Lips.* Poliorc. I, 9. Opp. T. I. p. 504.) et in effringendis foribus utebantur. Hinc *vectes foribus minaces* Horat. III. od. 26. 8. ubi vid. Lamb. et Bentl. Hinc magnus Pompeius in fragmento Sallust. n. DCLXXXV. in meditationibus campestribus cum milite suo „*cum velocibus cursu, cum validis vecte pugnabat.*"

v. 5. *Tu Simalio* cet. Confer similia loca Aristoph. *Ἱππ.* 243. *Ὀρνιθ.* 351. Non praetermittenda est observatio Donati ad h. l. de nominibus ridiculis ad risum spectatorum concitandum confictis. „Mire composita ad contemtum nomina legionariorum sunt. Nam Donax ab arundine (*δόναξ*), veluti sit inanis et fragilis, nomen sortitus est." Artem Comicorum veterum in excogitandis eiusmodi nominibus scite enucleavit *Lessingius* Hamb. Dramat. T. II. p. 299. seq. *Simalio* est a *σιμαλὸς, σιμὸς*, simis naribus. vid. *Guyet. Syriscus* in contemtum a *Syrus*, forma primitiva. Adelph. V, 1. 1.

v. 6. *Cedo alios.* Observa ingenium gloriabundi ostentatoris, qui tota familia nominatim compellata, ut strepitu tot nominum percelleret adversarios, iam alios advocaret, quos sciret nusquam esse. Sic *πτωχαλαζὼν* ille in pulcherrimo fragmento Alexidis apud Athen. VI. 3. p. 230. D. unicum, qui illi familiae instar esset, servulum sexcentis appellat nominibus. *Centurionem, manipulum* Romanae militiae nomina *λοχαγοῖς* et *τάξεσι* Graecorum substituit. — *furcs.* Vulgo explicant de servis, quos ob furacitatem (*servile probrum* appellat Tacit. Hist. I, 48. adde *Duport.* Gnomolog. Homeric. p. 242. b.) familiari sermone *fures* appellabant. vid. Nonium IV, 204. p. 660. et, qui diligenter haec excussit, *Heineccium* in Antiq. Rom. Iurispr. illustr. T. II. p. 159. Copiose hanc sententiam ornavit *Roosius* V. Cl. *Versuch über die Classiker*, p. 146. seqq., qui respondere ait vernaculo: *Canaille.* Sic Asclepiades in Anthol. T. I. p. 146. XXVII. ed. Iacobs. *λῃστὴν οὐ θεράποντ' ἔχομεν.* Sed facile apparet, Thrasonem, qui coquum centurionis nomine nobilitat, noluisse servorum h. l. mentionem iniicere. Ergo *fures* sunt mercenarii milites, quos fasta militari contemtim (*marodeurs*) appellat. *φῶρ* Graecis proprie est *λῃστής.* Etym. M. c. 804, 6. Hinc in re apiaria apes rapaces (*Raub-Bienen*) *φῶρες* appellatae sunt. v. *Beckm.* ad Antig. Caryst. 57. p. 104. Videt hoc *Roosius*, et in ea, quae nuper admodum prodiit, versione Bipontina sequutus vertit: *die Brigade des leichten Volks.* Sed hoc non assequitur vim vocabuli. Lindenbrogio placuit Donati observatio, *fures esse discipulos* explicantis. Et male audierunt ob rapacitatem cŏci conductitii. Plaut. Aulul. II, 5. 20. III, 6. 15. Sed haec ab h. l. sunt aliena.

20 Thr. Quid ignave? peniculon' pugnare, qui istum huc . . portes, cogitas?

21 Sa. Egone? imperatoris virtutem noveram, et vim militum: Sine sanguine hoc non posse fieri: qui abstergerem vol-
nera?

10 Thr. Ubi alii. Sa. Qui, malum, alii? solus Sannio servat domi.

7. *istum huc* e Petrensi Cod. recepit Bentlei. *istum* Cod. Goth. A. Peniculus est masculinum. vid. *Harlem* ad h. l. 8. *Priscus* ad Apulei. VIII. Metam. p. 444. hunc versum invita Minerva ita interpolat: *Nae ego imperatoris virtutem noveram.* 9. *non posse fieri*, sic e Prisciano p. 870. Vulgato ordine: *fieri non posse* inverso dedit Bentl. — *abstergerem vol nera?* interrogative e Codd. dedit Westerhov. et sic Bentl. et Priscus l. l. Schmiederus V. Cl. sine interrogatione protulit, et supplet: porto peniculum. Sed tum debuisset esse: *abstergam* aut *abstergam.* 10. *domi*, sic legit iam Donatus. *domum* Codd. plerique, Goth. A. B. Lips. alii.

v. 7. *peniculum* interpretantur nonnulli de cauda bubula (Martial. XIV, 71.) qua in extergendis calceis et mensis uterentur, unde nomen Plautino Curculioni. Sed cum appareat, monente etiam Donato, Sangam ad repentinum strepitum sic prosiluisse, ut ad artem suam fuerat expeditus, satius est intelligere spongiam. Gloss. *Peniculum σπογγεῖον, σπογγάριον.* Festus s. v. *peniculi* „Peniculi spongiae longae propter similitudinem caudarum appellatae. Penes enim vocabantur caudae." Magnos procul dubio cachinnos spectatoribus excussit Sanga cum spongia sua culinaria, quam maximae molis exhibet icon in Cod. Vatic. Usus spongiarum in culina vetere potuit esse multiplex, cum veteres linteorum usum ad abstergendas manus plane ignorarent. Ex epigrammate Aristonis in Anthol. T. II. p. 234. Iacobs. ubi lepida est enumeratio instrumenti culinarii, apparet, spongias ad abstergendum cruorem machaeris coquinariis supponitas esse. Affert enim *σπόγγον μαγῆα ὑπὸ στιβαρῇ πεπιεσμένον κοπίδι.* Apparet, hoc ipsum augere potuisse risum spectatorum.

v. 8. 9. Velificatur iactantiae Thrasonis servus nequam, et minus sius incendit facete dicto. Solebant spongiis detergere vulnera in proeliis, *περισπογγίζειν* appellat Theophr. Char. 25. Hinc *σπόγγια* in instrumento medici ex optima emendatione Kuhnii apud Poll. X, 149. In libris Hippocraticis *περὶ ἑητροῦ*, T. I. p. 38. 67. Mack. *πρὸς μὲν τοὺς ὀφθαλμοὺς ὀθονίοις, πρὸς δὲ τὰ τραύματα σπόγγοις.* Alia dabunt *Casaub.* ad Sueton. Aug. 75. et *Pricaeus* ad Apulei. VIII. Metam. p. 442. Caeterum, si veteris comoediae haec scena esset, augeret verisimilitudinem suam, si cogitaremus, eum, dum pronuntiaret verba ista *qui abstergerem vulnera*, vultu aut gestu significasse eam partem corporis, quam honesto appellare non possumus, in formidolosis scilicet spongia abstergendam, quod *σπογγίζειν* appellat Aristophanes *Ὄρν.* 247. cf. *Bergl.* ad *Batrax.* 488.

v. 10. *servat domi* i. e. custodit. Sic Plaut. *Mostell.* II, 2. 21. *nemo natus domi servat*, ubi vid. Grut. *Servare* in his locis non est observ-

THR. Tu hosce instrue. Ego ero post principia: inde omnibus signum dabo. 22

GN. Illuc est sapere: ut hosce instruxit, ipsus sibi cavit loco.

THR. Idem hoc iam Pyrrhus factitavit. CH. Viden tu, Thais, quam hic rem agit? 23

Nimirum consilium illud rectum 'st de occludendis aedibus.

11. *Tu hosce instrue hic* vulgati. Sed *hic* e Cod. Petrensi recte delevit Bentl. Alii *hic* ad sequens comma referunt. vid. *Harium*. 12. *illuc*. Goth. A. *illud*. — sibi cavet *loco*. Cod. Graev. Goth. B. Helmstad. alique plures habent *locum*. 13. *hocce iam*. Vulgata lectio. *iam* deest in Helmst. *hoc iam* e Bembino, Basilicano, aliis restituit Faern. et Bentl. *Harius* malit: *idem hoc etiam*. Caeterum in pluribus Codd. etiam in Goth. A. et B. verba: *Idem — factitavit* tribuuntur Gnathoni. Et valde probatur Bentleio, ut mirus artifex palam haec eloquendo et irrideat simul et adulatur. Sed Donatus ad V, 8. 3. haec militi tribuit. cf. Bipont. ad h. l. Dacieria, ut rationibus chronologicis consulatur, refingit *factitat* praesenti tempore. Sed monuit iam Harius, hac emendatione numeros versus perimi.

vare, qua notione nunquam absolute ponitur (v. *Burm.* ad Valer. Flacc. IV, 105.) sed simpliciter custodire, *οἰκουρεῖν*. Caeterum haud inscite usus est h. l. Ammianus Marc. XIV, 6. p. 21. Gronov. ubi de fastu divitum Romanorum, *familiarum agmina post terga trahunt, ne Sannione quidem, ut ait Comicus, domi relicto.*

v. 11. *post principia*. Principia apud Livium et optimos quosque scriptores esse primam aciem, frontem aciei, et *post principia* stare eos, qui post illam aciem stant, propugnatorum praesidio tuti, pulchre explanavit *L. Fr. Gronov.* in Observ. IV, 10. p. 631. seqq. Diligenter distinguenda sunt principia in castris et in acie. In acie principia sunt non *principum*, sed *hastatorum*. Principes et triarii pertinent ad *subsidia* s. secundam aciem. v. *de Brosses* ad Sallust. T. I. p. 97. seqq. Ad *χαρακτηρισμὸν* militis, qualem hic videmus, pertinet locus Iustini de Xerxe II, 10, 23. *Ipse primus in fuga, postremus in proelio semper visus est; in periculo timidus, sicubi metus abesset, inflatus.* — *signum dabo* intellige tesseram, qua imperator in proelio significat, quid fieri velit, *σύνθημα*, discernendam a tessera castrensi s. excubitoria. v. *Drakenb.* ad Sil. Ital. VII, 347.

v. 13. *Idem hoc Pyrrh. f.* Gnatho irridens militem ea, quae praecesserunt, spectatoribus dixerat. Sed stolidissimus mortalium Thraso hoc etiam praecepto se cohonestatum esse ratus, addit auctoritatem ducis celeberrimi, qui idem fecerit. Sic melius pinguntur mores Thrasonis, quam si Gnathoni haec quoque verba tribuantur. De re vid. *Excurs.* I.

v. 14. *Nimirum consilium illud rectum est.* Nimirum ad risum spectatorum captandum nil aptius excogitari potuisset, quam hae duorum formidolosorum hominum tergiversationes et pavores. Timet ab una parte Chremes, rusticus feroculus, timet ab altera miles gloriabundus. Habent

15 Th. Sane, qui tibi nunc vir videtur, hic nebulo magnus est,
24 Ne metuas. Thr. Quid videtur? Gn. Fundam tibi nunc nimis vellem dari,
Ut tu illos procul hinc ex occulto caederes: facerent fugam.
25 Thr. Sed eccam Thaidem ipsam video. Gn. Quam mox irruimus? Thr. Mane.

15. *qui tibi nunc vir videtur esse, hic neb. m. e.* e Donato, vett. edd. (sic Argentin. 1496. cf. Riv. ad h. l.) et Codd. reposuit Bentleius. Adstipulatur Helmstad. Vulgati, ut et Codd. Gothani, habent *quod tibi videatur*. 16. *quid videtur?* Iam Donatus observavit, esse qui haec a Thaide ad Chremetem dici putent. Hos sequitur Westerhov. ad h. l. multis argutiis sententiam suam stabiliens. In eadem opinione fuit *Roosius* in vers. theotisca, quam amplexus est etiam nuperrime Vir doctus in censura illius versionis in *Ephemerid. Ienens.* anni 1794. T. IV, p. 62. Vide notas. 17. *Ut tu illos.* Cod. Traiectinus omittit τὸ *tu*.

Hispani, ut *Barettius* perhibet, eiusmodi exodia (*entremets*), ubi duo iactatores, vicissim minas alterius expavescentes, in scena congrediuntur, valde ridicula et facetiarum plena.

v. 15. In vulgata lectione *quod* est *quod attinet, quoad*, quo sensu saepissime occurrit; vid. *Boecler.* in Chrestomath. s. v. et *Gronov.* et *Drakenb.* ad Liv. XXVI, 22, 6. Sed praestat Donati lectio. Forsan huc trahendum est fragmentum Menandri in Schol. ad Aristoph. *Batr.* 282. ἀλλ' ἀλαζὼν καὶ θεοῖσιν ἐχθρός. *Nebulo* etiam in Gloss. exponitur μάταιος, id est, *vanus*, ἀλαζών. Comparari etiam potest Lucian. Dial. Meretr. XV. T. III. p. 325. ubi de istis Thrasonibus οἱ τοὺς λόφους ἐπισείοντες οὗτοι καὶ μάχας διηγούμενοι, ψόφοι. *Vir* cum virtute ac vi pronuntiandum est, ut in illis phrasibus, *si vir es* cet. In ore Thaidis non poterat non esse magis ridiculum. Sic Aristoph. Ἰππ. 392. ἀνὴρ ἔδοξεν εἶναι.

v. 16. *quid videtur?* Iam haeret miles, nec timorem dissimulare potest. vid. Donat. ad h. l. qui perturbati animi indicia pulcherrime a poëta adumbrata scite exposuit. — *fundam t. d. v.* Ut dicterii aculeus appareat, cogitemus, fundam fuisse telum minus honestum, ὅπλον δουλικώτατον, ut appellat Xenophon. vid. *Zeunium* ad *K. Π.* VII, 4. p. 668. eandem ob causam, ob quam sagittarii male audiebant (vide locum nobilissimum apud Eurip. Herc. Fur. 159—164.), quod pedem pedi conferre non auderent. cf. ad Tyrtaeum II, 35. Hic patet, quam acris sit irrisio in illis verbis: *ut tu illos ex occulto caederes.* Apprime huc facit Valer. Flacc. VI, 193. Strymona *obscura spargentem vulnera funda* nobis exhibens, ubi Burmannus Terentii locum non neglexit. *facerent fugam* notissimus Hellenismus. Simpliciter est *fugere.* Sic φυγὴν ποιεῖσθαι pro φεύγειν. v. *Hogeveen.* ad Viger. p. 285. ed. Zeun.

v. 18. *quam mox irruimus.* Gnatho, dum συντραγῳδεῖν videtur militi, salse ridet ineptas eius minas. ἐπεισκαίειν in simili turba habet

Omnia prius experiri, quam arma, sapientem decet.
Qui scis, an quae iubeam sine vi faciat? Gn. Di vostram 26
fidem, 26
Quanti est sapere? nunquam accedo, quin abs te abeam doctior.
Thr. Thais, primum hoc mihi responde: cum tibi do istam virginem,
Dixtin hosce mihi dies soli dare te? Th. Quid tum postea?

19. *omnia prius exp. consilio, quam armis sapientem decet.*) in hac lectione plerique Codd. apud Rivium, Muretum et Guyetum consentiunt. Guyetus qui *sapientem* e glossemate irrepsisse putat (omittit etiam Goth. B.), omnem orationis nervum, qui situs est in *sapiente*, incidit. Nonius s. v. *armis* et *experiri* eandem in quam consentiunt Codd. lectionem exhibet. Alii Codd. et Edd. Aldinae legunt: *experiri verbis* omisso *τῷ consilio*. Bentl. in cod. antiquissimo biblioth. Cantabr. reperit scriptum: *quam armas*. His vestigiis veram lectionem indagavit; omn. p. e., quam *arma*, s. d. *Arma experiri* habet Stat. Theb. XI, 338. Sic dicunt *ius, vim, gratiam experiri*, v. Corte ad Sallust. Iug. 31, 5. 21. *accedo ad te* Cod. Goth. B. aliique, probante Mureto. 22. Thais, *mihi primum h. resp.* Goth. B. 23. *hos dies mihi soli dare*, sicut coniecerat Guyetus, exstat in Codd. Harii et Bentleii, et sic dedit Faern. e Cod. Bemb. et Donato. Consentit Helmstad. Vulgata lectio est: *mihi hos dies*. Bentl. malit legere: *hosce mihi dies*, ut dies sit monosyllabon; nam in Bembini lectione *mihi* invenuste in pedes geminos dispescitur.

Lucian. D. Meret. XV. p. 323. *quam mox* frequens Plauto structura, Asin. II, 4. 43. Cas. III, 6. 16.

v. 19. Sententias loquitur prae formidine nebulo, quod in persona militis quam sit ridiculum, bene ad h. l. docuit Donatus. Sententiae eiusdem argumenti passim prostant. E sophistarum Graecorum declamationibus nonnullas laudavit *Lindenbr.* cf. Eurip. Phoeniss. 518. et *Valckenaer.* ad Herodot. p. 510, 65. Hinc forsan colorem duxit Sallust. Iugurth. 20, 5. de Adherbale, a Iugurtha lacessito: *prius omnia pati decrevit, quam bellum sumere*, ubi vid. Corte.

v. 20. 21. Hic aperta adulatione grassatur in stolidum Thrasonem parasitus, sive ut ad similem scenam Menandri respiciens Plutarchus loquitur in libello *περὶ κόλακ. καὶ φίλου* c. 20. p. 53. ed. Kriegel. *ὅλῳ τῷ μυκτῆρι χρῆται.* Caeterum hic quoque locus multorum imitationibus fere in proverbium abiit. Unam e multis laudasse sufficiat Symmachi Ep. IX, 82. „Quod ait Comicus noster, nunquam te adeo, quin abs te doctior abeam, id ego de epistolis tuis iure memoraverim, quae multis salibus sententiarum et versuum *farciuntur*."

v. 23. *hosce dies* i. e. proxime elapsos. Sic Cic. de Petit. c. 5. per *hos* annos. Petron. c. 38. p. 163. intra *hos dies* (i. e. proximos, modo exactos) scripsit, ubi vid. Burmann. Alia dabunt Drakenb. ad Liv. V, 51. 3. et VV. DD. ad Act. Ap. V, 36.

THR. Rogitas? qui mi ante oculos coram amatorem adduxti tuum.

27 TH. Quid cum illoc agas? THR. Et cum eo clam te subduxti mihi.

25

TH. Lubuit. THR. Pamphilam ergo huc redde, nisi si mavis eripi.

CH. Tibi eam reddat, ut tu eam tangas, omnium — GN. Ah, quid agis? tace.

28 THR. Quid tu tibi vis? ego non tangam meam? CH. Tuam autem, furcifer?

24. *mi ante oculos*, *mi* dederunt Faernus et Bentleius, quod versus postulet monosyllabon. *coram* omittitur in Goth. B. — *rogas*, Helmstad. 25. *quid cum illo agis* Goth. A. B. edit. Argent. *illoc* ex antiquis exemplar. receperunt Faern. et Bentl. et sic est in Helmstad. *quid cum illo ut agas* legit Muretus. Clericus A. Crit. III, 1. 9. emendat: *quin cum illo agas*. Caeterum omnes Codd. tribuunt haec Thaidi, et sensus probus inde elicitur, si haec ad Chremetem et reliquos dicta esse putes. vid. notas. Bipontini interpunctione interposita sensum efficiunt plane alienum a serie verborum, quos sequitur *Roosius* in versione. Bentleius haec a milite dicta esse censuit, et contra Codd. fidem delevit Thaidis personam. Guyetus more suo totum versum insititium esse arbitratur. — *clam subduxti te mihi* e Codd. et Donato Faernus. 26. *nisi vi* Codd. et impressi plerique. Sic Goth. A. B. *nisi si vi* Codd. plusculi et editio anni 1469. Harius delet *si*, quod cum exstet in opt. Codd. Bentleius alterum *vi* eliminavit, quod irrepsit e scena superiore v. 14. *Vis* inest iam τῷ *eripi*. 27. *eam* tangas e Codd. suis dedit Bentl. vulgati habent *illam*, quod ut cum metro conciliarent, varia commenti sunt Faernus et Harius. *eam* est etiam in Goth. A. et Helmstad. — *quid agis*, sic Codd. antiq. Vulg. *ais*. 28. *Quid tu tibi vis*. Codd. Leid. Lips. Helmstad. et edit. antiq. tribuunt Chremeti. Sed merito vituperat Bentl. — *tangam eam* Cod. Lips.

v. 25. *quid cum illoc agas?* non Thrasoni, quod nuper censebat *Schmiederus* V. Cl. sed Chremeti dicta sunt. Sensus est: quid cum homine tam stolido agas, cui amatoris partes parum convenire, tibi non subolet.

v. 28. *furcifer*. „Incongrue, ut imperitus adolescens, liberum servilibus conviciis exagitat." Donat. Verissima haec est observatio, quicquid contra disputat *Boeclerus*. Nusquam alibi apud Plautum et Terentium in ingenuum et liberum hominem istud dictum occurrit. Nec iuvant Ciceronis loca *in Vatin.* 6. et *pro Deiotaro*, 9. qui ab iis, qui de convitiis apud Comicos obviis scripserunt (ut *Meisnerus* in *Sylloge nominum contumeliosorum* p. 15.) excitari solent. Nam in priore Vatinius, perditissimus mortalium, opponitur Caesari et furciferi convitio, quo de industria utitur orator, ad servilem conditionem detruditur. In altero sermo est de Philippo, accusatore Deiotari, et servo medico. Apparet igitur, apposite illud tribui Chremeti, homini rustico, et quid loco personisve dignum sit, parum pensi habenti. In Graecis Menandri fuit ὦ ἐλίτριπτε, μαστιγία, aut aliud eiusdem farinae.

GN. Cave sis: nescis cui male dicas nunc viro. CH. Non tu hinc abis?
Scin tu ut tibi res se habeat? si quicquam hodie hic turbae coeperis,
Faciam ut huius loci dieique meique semper memineris.
GN. Miseret tui me, qui hunc tantum hominem facias inimicum tibi.
CH. Diminuam ego caput tuum hodie, nisi abis. GN. Ain vero? CH. Canis?
GN. Siccine agis? THR. Quis tu homo es? quid tibi vis? quid cum illa rei tibi est?
CH. Scibis: principio eam esse dico liberam. THR. Hem. CH. Civem Atticam. THR. Hui.

29. *cui nunc maled. v.* Cod. Goth. A. et plerique antiqui. In multis deest. 30. *turbae coeperis. ieceris* Goth. A. et plerique Codd. *turpe* typographi vitio Bipont. *hic hodie* Goth. B. 32. *facis.* Goth. B. 33. *hodie* post *diminuam* Goth. A. *abis hodie.* Lips. *canis* vulgo omnes tribuunt Gnathoni. Sed unice vera est coniectura Guyeti hoc convitium a Chremete dictum esse affirmantis. vid. notam. 34. *sic agis.* Cod. Lindenbr. Goth. A. *sic ais* Goth. B. *quis homo es tu? — quid illa cum rei tibi est,* coniectura Guyeti. 35. *hui.* Cod. Lips. *qui?*

v. 31. Tota phrasis occurrit apud Plautum Capt. IV, 2. 20. Sed nolim cum Westerhovio affirmare, sumsisse eam a Plauto Terentium. Uterque Comicus in eadem re facile in eandem sententiam incidere potuit. In Graeco fuit forsan οὔτε χαίρων ταῦτα τολμήσεις, Aristoph. Ἀχαρν. 563.

v. 33. *canis* in asseclam et parasitum impudentissimum longe melius dictum est, quam in Chremetem a parasito, qui canem illum appellare vix ausus esset. Sic Cicero aliquoties asseclas et assentatores Clodii *canes* eius appellat; v. c. ad Att. VI, 13. VII, 3. in Pison. 10. cf. *P. Fabr.* Semestr. I, 9. p. 67.

v. 34. Collegit iam animum miles inter rixam Gnathonis cum Chremete. Nunc demum quaerit ab eo, quid tandem sibi velit? Sic solent iactatores.

v. 35. *civem Atticam.* „Quo etiam negotium ei potest fieri, qui se pro domino gessit in civem." Donat. Secundum leges Atticas cuivis licebat asserere liberali causa civem in servitutem redactum. Qui civem in libertatem vindicaret, rem deferebat ad Polemarchum (ut Romae ad praetorem) et fideiussoribus datis, pollicebatur, iudicio se staturum. Hoc dilucide apparet e Demosthene in Neaer. p. 1358, 15. Reisk. ubi Stephanus ereptam sibi Neaeram εἰς ἐλευθερίαν κατηγράψεν πρὸς τῷ πολεμάρχῳ. Appellabant hoc ἀφαιρεῖσθαι εἰς ἐλευθερίαν. Lysias in Pancleon. p. 734, 21. Reisk. quod ad philosophos ditiorum fastui emancipatos scite transtulit Lucian. de merced. cond. c. 4. T. I. p. 658. Reliqua dabit *S. Petitus* de LL. Att. II, 6. 3. p. 257. ed. Wessel.

30 CH. Meam sororem. THR. Os durum. CH. Miles, nunc adeo edico tibi,
Ne vim facias ullam in illam. Thais, ego eo ad Sophronam
Nutricem, ut eam adducam, et signa ostendam haec. THR. Tun me prohibeas
Meam ne tangam? CH. Prohibeo inquam. GN. Audin tu? hic furti se adligat.
31 Satis tibi est? THR. Idem hoc tu ais, Thais? TH. Quaere qui respondeat.
40 THR. Quid nunc agimus? GN. Quin redimus. Iam haec tibi aderit supplicans

37. *Thais* abest a Codd. Graev. Goth. B. edit. Tarvis. et Mediol. 38. *ut signa ostendam haec, eamque adducam* Goth. B. 39. *prohibebo* ex antiquis Codd. Faern. et Bentl. *prohibeo* Goth. A. et B. Utrumvis probum, monente Bentleio. — *hic furti te adligat* Goth. B. et sic legisse videtur Eugraphius. Idem e coniectura suadet Salmas. ad Solin. p. 767. b. G. et explicat: reum te furti efficit, furem te manifestarium probare conatur. In Donati scholiis, quae nunc misere truncata et consarcinata habemus, utraque lectio apparet. Hinc liquet, iam in antiquissimis Codd. fluctuatum esse in hac lectione. Utraque bonum sensum fundit. 40. In Gothano B. verba: *satis tibi hoc est* tribuuntur Thaidi, in aliis Chremeti. Sed Chremes iam discesserat. Bentleius interrogatione pronuntiandum et Gnathoni tribuendum esse censet. vid. Faern. ad h. l. Vulgati sine interrogatione legunt: *satis hoc est tibi.* Harius ad fulciendum versum: *sat hoc tibi est.* Bentleius delet *hoc.* cf. Phorm. V, 9. 58. Idem verba sequentia, *idem hoc tu ais, Thais*, a Gnathone continuata esse putat. 41. *redeamus*, omnes fere libri. Sed *redimus* ex vetustissimo Cod. restituit Bentl. observans *quin*, si inchoat sententiam, semper indicativo iungi apud Terentium, et sic est apud Plautum Men. II, 1. 22. *quin nos hinc domum redimus.* Atque haec norma optimorum scriptorum. vid. N. Heinsium ad Ovid. II. Am. 19, 59. et Drakenb. ad Liv. I, 57. 7.

v. 36. *os durum* impudentiam exprobrat. vid. Ernest. in Clav. Cic. s. v. Bipontini, Dacieriae argutiis capti, de osse duro hic nescio quas nugas proferunt.

v. 39. *hic furti se adligat.* Furtum erat, si Chremes puellam alienam sibi vindicaret, quae civis non esset. Et commode interpretari possumus de plagio, *ἀνδραποδισμῷ*, cui *θάνατος ἢ ζημία*, Xenoph. Mem. I, 2. 62. ubi vid. Hindenb. *ἀνδραποδιστὴς* enim secundum Pollucem III, 78. non tantum is est, qui liberum hominem in servitutem abripit, sed etiam *ὁ τὸν ἀλλότριον οἰκέτην ἀπαγόμενος.* cf. *Vales.* ad Harpocrat. p. 7. *Petit.* de LL. Att. p. 639. et VV. DD. ad Aristoph. Plut. 521. *alligat se.* alligare de omni negotio dicitur, quo quis obstrictus et illigatus tenetur. Exempla habes apud Drakenb. ad Liv. XXXV, 46. 1. Sic Cicero pro Flacco c. 17. *scelere se alligare*, et *καταδεῖσθαι* ap. Herod. II. 174. IV. 68.

Ultro. Thr. Credin? Gn. Immo certe. Novi ingenium mulierum.
Nolunt ubi velis: ubi nolis cupiunt ultro. Thr. Bene 32
putas.
Gn. Iam dimitto exercitum? Thr. Ubi vis. Gn. Sanga,
ita ut fortes decet
Milites, domi focique fac vicissim ut memineris. 45
Sa. Iamdudum animus est in patinis. Gn. Frugi es. Thr. 33
Vos me hac sequimini.

44. *Iam dimitto exercitum*, Goth. A. B. *ita* deest in Goth. A. 45. *domique focique* Goth. B. et edd. vetust. unde migravit in omnes fere recentiores edd. Sed Cod. Bembin. et Codd. Bentl. habent *domi focique*, quod meliorem numerum habere docet Faern. Recepit e Codd. Bentl. assentiente Prisciano p. 719. 46. *Vos me hac sequimini.* Sangae tribuunt haec verba Codd. Boecleri, Lips. et VI Harii, III Bentleii, et editio anni 1469. Sed bene observat Bentleius: Thraso exit, et par est eum praecedere.

v. 42. Huc forsan pertinuit fragmentum Menandri, quod e fabula *κόλαξ* laudat Athen. XIII. p. 587. E. ex emend. Bentleii in Emendat. in Menandr. p. 38. *Χρυσίδα, Κορώνην, Ἀντίκυραν, Ἰσχάδα καὶ Νάννιόν γ' ἔσχηκας ὡραίαν σφόδρα.* Consolatur ibi Struthias militem ob contumeliam a Thaide acceptam, alias meretrices, quas morigeras sibi habuerit, enumerando. *Nolunt ubi velis cet.* Omnes iam compararunt locum Horatii II. Serm. 3, 258. et Theocriteum illud de Galatea *διαθρυπτομένη* et delicias facienti VI, 17. *Καὶ φεύγει φιλέοντα, καὶ οὐ φιλέοντα διώκει.* Pleni sunt epigrammatum scriptores eiusmodi sententiis. Martial. V, 83. *Insequeris fugio, fugis insequor, haec mea mens est, Velle tuum nolo, Dindyme, nolle volo.* cf. *Ramirez* ad IV, 42. p. 354. Nicarchus in Anthol. T. III. p. 65. XXV. ed. Iacobs. *Εἴ με φιλεῖς, μισεῖς με, καὶ εἰ μισεῖς σν, φιλεῖς με.* Vocabant hoc Attici *ἀκκισμὸν* et *ἀκκίζεσθαι*, quod Lexicon Sangermanense Ms. sic exponit: *σημαίνει τόν τι θέλοντα καὶ προσποιούμενον μὴ ἐθέλειν.* Vide, si otium est, *Ruhnken.* ad Timaei Gloss. s. v. p. 18. ed. nov. et *D'Orvill.* ad Charit. p. 287. Lips.

v. 44. Quaestio Gnathonis in memoriam nobis redigit lepidissimos versus in fragmento Alexidis, ubi graphice depingit istiusmodi parasitum apud Athen. VI, 8. p. 238. B. est *στρατιώτης ἀγαθὸς εἰς ὑπερβολὴν Ἂν ᾖ τὰ σιτάρχημα δεῖπνον εὑτρεπές.*

v. 45. *domi focique.* „Mire in coquum, qui focum curat in domo, quia milites hi fortiter pugnant, qui sunt memores domorum" Donat. Intelligit, quales Tyrtaeus celebrat *περὶ ᾗ πατρίδι μαρναμένους.* Versabatur poetae in animo notissima formula *pro aris et focis pugnare.* Ut hic *domi focique*, sic apud historicos *belli domique.* v. *Drakenb.* ad Liv. I, 35. 12.

v. 46. Dignum coquo *ἀπόφθεγμα.* Ferebantur passim apud Graecos eiusmodi *σκώμματα μαγειρικά*, de quibus vide Athenaeum XIV, 22.

p. 659; B. Aristophanes appellat *ἡμάτια μαγειρικὰ* in *Ἱππ.* 216. Hodie in fabulis nostris in coquorum locum successerunt caupones et propolae in deversoriis, quorum dicteriis popellus in suprema cavea delectatur. Adscripserat Gruterus codici suo, quo usus est Westerhovius, sententiam similem e Platone (Comico scilicet) *ὁ νοῦς ἐν καπήλῳ*. Sic loqui amant Graeci. Damocharides in Anthol. T. IV. p. 39. Iac. felem voracem ait *ἐν πέρδιξιν ἔχειν νόον*. Frequentatur in primis Comicis in vetere comoedia. Sic Cleomenes *νοῦν ἔχει ἐν Πελοποννήσῳ* in fragmento apud Porphyrium *π. Ἀπ.* III, 21. p. 121. Cantabr. Aristoph. in *Εἰρήν.* 668. *ὁ νοῦς ποτ' ἦν ἐν τοῖς σκότεσιν*. Alia dabunt *Salmas.* ad Solin. p. 133. a. C. et *Kuster.* ad Aristoph. *Ἱππ.* 71. Imitati sunt Latini. Plaut. Men. IV, 2. 15. de sycophantis et litium sectatoribus: *mens est in querelis.* cf. Westerhov. ad h. l. qui hic quoque, ut fere ubique, pluscula debet schedis Burmannianis, quarum apographon excutere mihi licuit.

EXCURSUS I.

IV, 7. 13. *Idem hoc iam Pyrrhus factitavit.*

34 Temporum rationibus bene subductis, facile apparet, Menandri militem vixdum provocare potuisse ad Pyrrhi, inclyti Epirotarum regis, in ordinanda acie prudentiam. Menander primam fabulam docuit, Archonte Philocle (sic enim loco *Dioclis* Archontis nomen scribendum) Olymp. CXIV, 3. a. Chr. 320. obiit Olymp. CXXII, 3. a. Chr. 290, quod e scholiis Aristophanis et marmore Gruteriano rite confecit *Corsini* Fast. Att. T. IV. p. 53. 76. Atqui Pyrrhus Demetrium regno Macedoniae exuit Olymp. CXXIII, 2. et ab eo inde tempore laude militari ita florere coepit, ut exemplar, quod intuerentur alii duces, haberi posset. Non ignoro equidem, virtutis bellicae igniculos emicuisse in eo iam in memorabili illo ad Ipsum proelio Olymp. CXIX, 4. (Plut. in Pyrrho c. 4. T. III. p. 6. Hutt. *διεφάνη λαμπρὸς ἐν τοῖς μαχομένοις*) eundemque in intestinis discordiis cum Macedonibus magnam sui admirationem iniecisse. Sed nondum ita inclaruerat, ut Menander in scena Attica militem gloriosum eius exemplo se venditantem traducere posset. Verba: *idem hoc iam Pyrrhus factitavit*, expertum iam et victoriis rei militaris insigni peritia partis celebratissimum imperatorem manifesto declarant. Haesit ad hanc difficultatem eruditissima femina, quae Comicum nostrum totum pendere a Menandro et Graecis primum in notis suis iterum atque iterum inculcavit, et veram
35 interpretandi Terentii viam monstravit *Dacieria*, sed parum callide se expedivit emendatione proposita, qua versus structura plane labefactatur et convellitur. vid. *Var. Lect. ad h. l.* Ego semper in ea fui sententia, Terentium hoc quoque in loco, ut passim in aliis (v. *Lessingii Dramaturg. Hamburg.* T. II. p. 376.), ut ingenio et

captui Romanorum magis sese accommodaret, deflexisse a Menandro, et ea posuisse, quae fortius percellerent aut suavius afficerent togatos spectatores fabulae palliatae. Aut egregie fallimur, aut Menandri miles ad magnum Alexandrum, egregium utique aciei instruendae artificem, facinus suum retulit. Fecit Menander milites cum Alexandro sese comparantes; ἀλλ' Ἀλεξανδρώδες ἤδη τοῦτο laudavit Plutarchus e Menandro in vit. Alexandr. c. 17. T. IV. p. 274. in fragmento, quod militis gloriosi iactantiam ita redolet, ut e fabula militari depromtum esse cuivis pateat. Et sic in hac ipsa fabula, quam transtulit in Eunuchum Terentius, in Colace, militi, qui capacissimis poculis ingurgitasse se in Asia gloriatur, subiicit alter Ἀλεξάνδρου πλέον πέπωκας apud Athenaeum X. p. 434. C. (ex emendat. Bentleii in *Emendatt. ad Menandri reliqu.* p. 37.) Nec mirum hoc videri debet cogitantibus, quod ex historia illorum temporum inter omnes constat, quanta aemulatio incesserit διαδόχους et omnes omnino duces post mortem Alexandri, ut illi fortitudine, magnanimitate, imo vitiis etiam, vultu et corporis specie similes haberentur. Hinc spiritus sumsit ipse Pyrrhus, a Macedonibus Alexandro collatus apud Plut. V. Pyrrh. 8. T. III. p. 12. et 36
oris lineamentis illi similis esse cupiit. Vide lepidam historiam apud Lucian. advers. Indoctum c. 21. T. III. p. 116. Norunt idonei operum antiquae artis aestimatores, quam difficile sit vultum veri Alexandri in marmoribus, gemmis et numis a successoribus eius, aliisque bene multis discernere, quod ingens omnes Alexandri similitudinem sibi affingendi teneret cupiditas. Sed Romanis multo magis inmotuerat Pyrrhus, in bello Tarentino acerrime cum illis conflictatus. Is cum in universum ob insignem aciei instruendae prudentiam et egregia in arte militari inventa immortale nomen sibi peperisset et librum ea de re composuerat, δεῖγμα, ut ait Plut. in Pyrrh. 8. T. III. p. 12. τῆς περὶ τάξεως καὶ στρατηγίας ἐπιστήμης (cf. *Guischard Mémoires militaires sur les Grecs et les Romains* T. II. p. 113.), ita ut, teste Hannibale apud Liv. XXXV, 14. *nemo elegantius eo praesidia disposuerit:* tum praecipue Romanos multa in arte militari docuerat, in primis castra metandi subtiliorem rationem. v. Frontin. IV, 1. 14. cum *Oudendorpii* nota; Polyb. I, 20. T. I. p. 268. XVIII, 11. T. IV. p. 64. edit. Schweigh. Quae cum ita sint, non est quod miremur, Terentium, auribus Romanorum inservientem, Alexandro Menandri Pyrrhum succenturiasse. Atque hoc ipsum, ni fallor, indicare voluit Donatus in scholiis misere nunc corruptis et luxatis, quae si integra haberemus, plus haud dubie ex iis proficeremus, quam ex omnibus recentiorum observationibus et commentariis. Verba eius ad h. l. sunt: *Hoc totum quasi in palliata, sed concessum poetis fuit,* unde si quis hariolando sensum commodum efficere potuerit, nae erit mihi augur Apollo. Puto excidisse nonnulla, facile ita supplenda: *Hoc totum quasi* in togata, *non in palliata: sed concessum poetis.* Exigere potuit doctissimus grammati- 37
cus Terentium, ad Menandri fabulas, et quae togatorum in gratiam

mutasset Afer, statim deprehendere. Sic in aliis etiam Romanorum captui sese accommodavit Terentius. Ut unum commemorem, Iunonem Lucinam implorant puerperae, ubi in Graecis ὦ πότν' Εἰλειθυία (Aristoph. Ἐκκλησ. 369. Poll. III, 49.). Terentii vestigia dextre pressit in h. l. vertendo interpres Britannus, qui ante *Colmannum* Terentio hanc operam navavit, *Echardus*. Is accommodate ad aetatis suae intellectum verba: *idem hoc Pyrrhus factitavit*, vertit: *This was always the French King's way.* Novimus ex historicorum illius aetatis monumentis, Ludovicum XIV. in expeditionibus ad Rhenum et in Belgio susceptis, quibus ipse interfuit, pariter post principia sibi cavisse, Guilielmo Britannorum rege huius nominis III. hoc quoque nomine valde inferiorem.

EXCURSUS II.

Nec Romani, nec Graeci eos milites, qui cives essent, pro ridiculo et delectamento habuerunt in theatris suis. Milites gloriosi et stolidi saepissime in nova comoedia Graecorum obvii fuerunt ξενικοί. Militiae mercenariorum apud Graecos primordia et incrementa. Militum istorum mores et vitia a Comicis derisa. Quibus personis, quo vestitu inducti sint in scenam. Fabularum Menandri, in quibus partes fuerunt istorum militum, recensio. Thrasonismi vestigia in theatris recentiorum populorum.

38 Miratur frater Lessingii in libro lectu iucundissimo, quo fratris nulla unquam inter Germanos oblivione obliterandi vitam, quasi in tabella, nobis proposuit, additis, quae ad scripta eius spectarent, multis doctisque observationibus (*G. E. Lessing's Leben* T. I. p. 237.) militis personam in comoediis veterum semper in risum iocumque conversam, et iactatoribus stolidis, ventosis, ineptis impositam esse. Exemplum laudat utriusque Comici, Plauti et Terentii, qui in ea civitate, in qua *virtus* ipsa a fortitudine militari appellata esset (τὴν ἀρετὴν ἐνὶ τῷ τῆς ἀνδρείας ὀνόματι προσηγορεύοντο Plut. in Coriol. c. 1. T. II. p. 59. cf. *Casaub.* ad Athen. p. 899, 40.), gloriosorum militum vanitatem et ineptam magnificentiam spectatoribus deridendam propinaverint. Sed riserunt magnanimi Romulidae Graeculos tantum in fabulis palliatis, et haud scio, an reliqui poetae, qui togatas scribebant aut Atellana exodia, impune laesissent populum, milite aliquo aut centurione Romano, qui multa de rebus
39 gestis suis deblateraret, in scenam inducto. Quin ipsis ludis Atellanicis, seu Oscis vulgo appellatis Campanos milites, feroculos illos et insita gentis suae vanitate inflatos, in scena Romana ab ingenuis adolescentulis, qui hos ludos actitabant, acriter perstrictos esse et exagitatos, e narrationibus aliquot Livii satis probabili coniectura colligi posse putaverim *). Sed *Romanum militem*, nisi dicteria a

*) Livius bis narrat certamina singularia Campanorum equitum, Romani adversarii, quem ultro lacessiverant, occursum turpiter evitantium,

militibus gregariis in duces triumphantes coniecta et in theatris forsan repetita huc referre velis, vix unquam attigerunt poetae Comici in scena Romana.

Idem, ni fallor, in more positum fuit in *vetere*, quam appellant, Comoedia apud Athenienses. Omnes omnino ordines in ea civitate, in qua aequo iure uterentur omnes cives, infimi, supremi, dicacitate sua appetebant et insectabantur illius aetatis poetae Comici. Quod si quis eques, aut ordinum ductor, aut ipse στρατηγός in bello, quod tum Graeciam universam collidebat, Peloponnesiaco vel armis ad terrorem hostium compositis nimis praefulgeret, vel ostentatione et verborum iactantia invidiam sibi conflaret, nullum sane dubium est, quin, quae erat licentia veteris Comoediae, nominatim hominem perstringerent, vel obiter tantum mentionem 40
eius faciendo, vel partes aliquas in fabula illi demandando. Insigne huius rei exemplum est Lamachus, funestissimae illius Atheniensium adversus Syracusanos expeditionis una cum Nicia et Alcibiade dux, cuius cristatas galeas, clypeum γοργόνωτον, et reliqua terriculamenta sale satyrico perfricat Aristophanes in *Acharnensibus* v. 566. usque ad finem fabulae. Obiter eundem perstringit in *Pace* 1290. Sed in his quoque, qui animum diligenter adverterit, facile intelliget, non unum aliquem Lamachum, ob militarem iactantiam male audientem, sed in genere militarem istum spiritum, nil nisi proelia et arma crepantem et paci infensum carpi a poeta, qui pacis se studiosissimum profiteretur in illis fabulis, et ut in Socratis persona omnes sophistas, in Euripide tragicos vellicaret (id quod pulchre iam docuit *Lessingius* in *Dramat. Hamburg.* n. 91. T. II. p. 305.), sic pupugisse hic omnes τειχομάχους et γοργολόφας. In universum autem hanc militarem μεγαληγορίαν nequaquam displicuisse Aristophani, vel ex iis manifesto apparet, quae Aeschylum dissecrentem facit in *Ranis* 1015. seqq. 1039. ubi Lamachi honestissima fit mentio, et quae magnifica in equites contulit elogia in *fabula cognomine* 593 — 607.

Sed longe alia ac diversa ratio fuit illorum militum, quos ἀλαζόνας finxit recentior Comoedia, sive οἱ νεώτεροι, ut Pollux aliique Grammatici appellant novae comoediae scriptores. Isti *proeliatores et gloriosi milites*, quos Philemon, Menander aliique eiusdem aetatis Comici traduxerunt in scena, non fuerunt cives Attici, sed ut hic Thraso in Terentii nostri fabula IV, 6. 21. appellatur, 41
peregrini. Quid multa? fuerunt ductores manus mercenariae; qui conductitium militem militatum ducerent in Asiam, aut quocunque tandem a regibus aut civitatibus bella gerentibus, praeda ac lautis-

et cum risu totius exercitus aufugientium, Iubellii Taureae XXIII, 46. 47. et Badii XXV, 18. Addit ibi proverbium rusticum, e priori illo certamine in vulgus propagatum: *cantherius in fossa*. Adi sis ipsum locum, et videbis, quam pulchre omnia cohaereant, si certamina eiusmodi ridicula Romae in ludis *Oscis*, i. e. Campanis, saltata, et exasperato in Campanos populi animo his ludicris novas irarum faces subiectas esse statuas.

simis stipendiis propositis, invitarentur; fuerunt, ut Graecia appellavit, ξεναγοὶ et μισθοφοροῦντες. De his igitur pauca praemittenda erunt, priusquam ad personam *militis gloriosi* in Comoedia Graeca recentiore obviam progrediamur.

Origines militaris μισθοφορίας et ξενοτροφίας in Ionia et coloniis Asiae minoris quaerendas esse, ex antiquissima Graeciae historia, si hoc ageremus, facile demonstrari posset. Colophonii proverbiis huc spectantibus in vulgus noti sunt (v. Strab. XIV. p. 952. B.). Samii, Naxii, et Milesii opibus et mercatura florentes, in bellis navalibus et pedestribus saepe conductitio milite usi sunt *): Procedente tempore, cum Persarum imperium istius orae incolas sub iugum misisset, mansit mos milite Graeco conductitio bella gerendi apud satrapas Persicos, et regulos Cypri, Ciliciae, Aegypti, ingenti saepe pecunia et magnis sumtibus militem peregrinum alentes. Illustrissimum huius rei exemplum est Cyri minoris expeditio adversus Artaxerxen fratrem milite e tota Graecia collecto suscepta et a Xenophonte, qui ipse Clearchi suasu huic ἀναβάσει interesset, memoriae prodita. Hinc multa, quae in aliis hi-
42 storicis frustra quaeras, de toto hoc μισθοφορίας instituto, e Xenophonteo libro probe perspicimus, ab iis, qui antiquitates Graecorum militares scripserunt, *Nastio* etiam et *Schwebelio*, plane praetermissa et neglecta. Dum haec in Asia gerebantur, per aliquot saecula tyrannis obnoxia fuit Sicilia, insula Graecorum coloniis usquequaque obsessa et occupata. Tyranni isti, perpetuis bellis in finitimos et cives grassantes, mercenario milite plerumque utebantur. Eodem praesidio non solum fines suos tutabantur, sed finitimas etiam regiones et insulas ditioni suae adiiciebant opulentissimi antiquioris orbis mercatores, Carthaginienses, qua de re docte nuper et acute disputavit *Heerenius* V. Cl. (*Ueber die Politik und den Handel der alten Völker* I, 5. p. 182. seqq.) At in ipsa Graecia Spartani primum conductitio milite usi dicuntur (v. Xenoph. Ἱππαρχ. c. IX. p. 208. Zeun.), mox et ipsi magna mercede operam suam Persarum satrapis locantes. Quando Athenienses illis uti coeperint, satis certo definiri posse puto. Locus notatu dignus est in ultima, quae quidem aetatem tulit, Aristophanis fabula, in Pluto 173. Τὸ δ'ἐν Κορίνθῳ ξενικὸν οὐχ οὗτος (Plutus sc.) τρέφει; ubi ex eruditissimis scholiis multa, quae huc faciunt, peti poterunt, partim etiam a Suida s. v. ξενικὸς T. II. p. 644. excerpta; vid. Taylor. ad Lys. Ἐπιταφ. p. 121., 75. ed. Reisk. In bello, quod hic commemoratur, Corinthiaco, Olymp. XCVI. gesto, *primum* ξενικὸν *conscripserunt Athenienses*, cui praefecerunt Iphicratem, aetatis suae

*) Cogites ὀκτακισχιλίαν ἀσπίδα Naxiorum apud Herodot. V, 30. Huc referendum etiam proverbium πάλαι ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι Μιλήσιοι, a *Rambachio* in dissertatione: *de Mileto eiusque coloniis* (Hal. 1790.) p. 19. non satis liquido patefactum.

inter ductores mercenariorum militum facile principem *). Classicus vero de Iphicrate locus est apud Nepotem XI, 2. 4. „*Quum Artaxerxes Aegyptio regi bellum inferre voluit, Iphicratem ab Atheniensibus petivit ducem, quem praeficeret exercitui conductitio, cuius numerus duodecim millium fuit, quem quidem sic omni disciplina militari erudivit, ut, quemadmodum quondam* Fabiani *milites Romani appellati sunt, sic* Iphicratenses *apud Graecos in summa laude fuerint.*" Ubi cf. Staver. et Wesseling. ad Diod. XV, 43. In eundem censum referendi sunt Chabrias, Timotheus, Conon aliique, quos excellentium imperatorum laudibus cohonestavit Graecia. Mox Philippi Macedonis, et Alexandri successerunt imperia. Hic quantus ubique et quam multiplex conductitii militis usus fuerit, historiae loquuntur et temporum istorum monumenta omnia **). Post Alexandri obitum saevissima ista viginti quinque annorum per Ae- 44
gyptum, Syriam, Asiam, Macedoniam et universam Graeciam detonuit tempestas, cum bellis internecinis intestinisque discordiis successorum, Alexandro mutuis cladibus parentantium, commiscerentur omnia. In his, postquam reliquiae roboris Macedonici perpetuis ducum conflictibus penitus exstirpatae fuerant, omnia fere conductitio exercitu gerebantur. Hinc in Diodori Siculi historiarum libro XVIII., quo memoriam temporum illorum complexus est, utramque paginam faciunt οἱ μισθοφόροι. Sic ut unum tantum memorem, quos Leosthenes, Harpalo et Atheniensibus auctoramenta praebentibus, in Peloponneso conscripsit, mercenarii (Olymp. CXIV, 2.) appellantur ἐστρατευμένοι κατὰ τὴν Ἀσίαν πολὺν χρόνον καὶ πολλῶν καὶ μεγάλων ἀγώνων μετεσχηκότες, ἀθληταὶ τῶν κατὰ

*) Quod si locum Demosthenis in prima Philippica p. 46, 19. Reisk. (nuper docte vindicatum a Cl. *Wolfio* in Comment. ad Leptineam p. 303.) bene perpendas, facile assentieris *Valesio* ad Harpocrat. p. 129. affirmanti primum hoc fuisse in ipsa Graecia ξενικὸν, maioris scilicet molis et momenti. Atque hinc divinare possumus, qua aetate vixerit auctor libelli, qui fertur inter Hippocraticos περὶ ἰητροῦ. Is chirurgicen facturos sequi iubet τὰ στρατεύματα ξενικά, T. I. p. 42. edit. Mackii.

**) Unum hic e Philippi temporibus, sed eximium locum laudasse sufficiat. Exstat is in oratione Isocratis ad Philippum p. 240. ed. Wolf. min. ubi exhortatur regem ad bellum Persicum: ἐν ἐκείνοις χρόνοις (cum Cyrus minor per Clearchum milites conquireret) οὐκ ἦν ξενικὸν οὐδὲν, ὥστ' ἀναγκαζόμενοι ξενολογεῖν ἐκ τῶν πόλεων πλέον ἀνήλισκον ἢ τὰς διδομένας ναῖς πόλεσι δωρεὰς, ἢ εἰς τοὺς στρατιώτας μισθόν, h. e. carius constabat venia a singulis oppidis, ut conquisitiones ibi fieri paterentur, impetranda, quam ipsum militum auctoramentum. Pergit: σὺ δὲ στρατιώτας ἐξ ἑτοίμου λήψῃ τοσούτους, ὅσους ἂν βουληθῇς. Οὕτω γὰρ ἔχει τὰ τῆς Ἑλλάδος, ὥστε ῥᾴδιον εἶναι συστῆσαι στρατόπεδον ἐκ τῶν πλανωμένων, ἢ τῶν πολιτευομένων. Πλανωμένους intelligo exsules, mercede pacta cuilibet, qui illis uti vellet, nomen suum addicentes. Fuerunt tum plus quam 20,000 exules in Graecia. Vide docte haec disserentem *Humium* in *Essays* T. I. p. 426. s. et de exsulibus intelligit h. l. etiam *Gibbon* History of the Decline and F. of the R. E. T. IV. p. 366. 4°. ed. Basil. Poterat his uti Illustris *Heynius* in docta prolusione: *exsulum redditus* p. VIII.

τὸν πόλεμον ἔργων, Diod. XVIII, 9. T. II. p. 264. collato, qui ad universam hanc disputationem magno cum fructu consuli potest, *Manuerto (Geschichte der unmittelbaren Nachfolger Alexanders* p. 35. seqq.). Observandum autem, in hac conductitiorum militum opera eminuisse omnibusque tum fortitudine, tum insita gentis ferocia et ventosa mobilitate, tum rapinarum cupiditate antecelluisse Aetolos. Aetolus fuit ipse Polysperchon, bellorum, quibus Graecia tum concussa fuit, acerrimus instigator et lanista. Atqui in haec postrema tempora incidunt omnes fabulae Philemonis, Menandri (ab Olymp. 45 CXIV, 2. ubi primam fabulam docuit, ad CXXII.), Apollodori, Diphili, aliorumque novae comoediae auctorum. Quotquot igitur *milites* in fabulis horum Comicorum occurrunt, non sunt cives Attici, 46 sed *peregrini**) homines, Aetoli plerumque, Acarnanes, aut Thes-

*) Hinc ξένοι appellati, ut a civibus, pro aris et focis pugnantibus discernerentur. ξένοι igitur sexcenties sunt milites mercenarii, quod, quamvis in vulgus notum, saepe tamen fefellit interpretes, v. c. apud Thucyd. VII, 13. T. IV. p. 191. Bip. οἱ ξένοι ἀναγκαστοὶ non sunt *peregrini* vi coacti, ut ibi vertitur, sed mercenarii milites, ut statim e sequentibus apparet. *Vales.* ad Harpocrat. p. 332. Eadem significatio non intellecta obscuriorem reddidit locum Polyaeni III, 10. 10. p. 281. ed. Masvic. Exercitus conductitius plerumque appellatur τὸ ξενικόν. Sic Xenophon in Ἱππαρχ. c. 9. p. 208. Zeun. ἐν ταῖς ἄλλαις πόλεσι (non solum Spartae) παντα χοῦ τὰ ξενικὰ ὁρῶ εὐδοκιμοῦντα. Rex vel civitas, quae milites eiusmodi conduceret, dicebatur μισθοδοτεῖν, et si iam stipendia illis persolveret, ξενοτροφεῖν. Qui militem conductitium larga mercede promissa oppidatim conquirerent, ξενολόγοι audiebant, v. c. Polyb. V. 63. Diod. XIV, 44. *delectores* appellat Frontinus IV, 3. 1. *Pyrrhus delectori suo fertur dixisse: tu grandes eligis, ego fortes reddam.* Fiebat hoc duplici modo. Nam aut argento a civitatibus et regibus statim repraesentato conducebantur milites gregarii ab istis ξενολόγοις, aut auctoramentum istud solvebant ex arca duces, prioribus expeditionibus iam ditati, et lautissima deinde pro se suisque mercenariis stipendia paciscebantur ab ipsis μισθοδόταις. Scripserat Menander fabulam ξενολόγου nomine, in qua quantum e versibus apud Theonem in Progymn. c. 4. p. 63. ed. Lugd. colligere possumus, pius filius, ut patris egestati opitularetur, auctoramentum acceperat a conquisitore. Consule de hac voce et cognatis *H. Valesium* ad Maussaci notas ad Harpocrat. p. 129. a. Stipendium menstruum, quod milites conducti acciperent, σύνταξις appellatur in loco illustri apud Lucianum Dial. Meretr. XV. T. III. p. 324. et apud Diodor. I, 67. p. 77. V, 46. p. 367. Wessel. Utrumque genus horum conquisitorum saepius occurrit in exordio Ἀναβάσεως Xenophonteae. Posterius tamen semper honestiore loco habitum et iisdem, quas coegerant, copiis praefectum. Atque hi proprie appellabantur ξεναγοί, quod Ulpianus in argumento orationis Demosthenis in Aristocratem p. 619, 14. Reisk. ita explicat: Χαρίδημος ξεναγὸς ἦν τῶν Ἀθηναίων, ξεναγὸς δέ ἐστιν, ὅτε τις στράτευμα ξένων ὑπέρ τινος ἄλλου τρέφει. Adde *Herald. advers.* I. 5. p. 16. 17. Famosus fuit ξεναγὸς illius aetatis Charidemus, quem dum accusat et favore populi Atheniensis indignum esse ostendit orator, graphice pingit tota illa oratione mores et disciplinam illorum hominum, qui equites, pedites, socios navales mercede conducerent, et μισθοδόταις suam locarent operam, modo ab his, modo ab aliis partibus stantes, ἀλλοπρόσαλλοι et ancipitis fidei homines. Memorabilis inprimis locus est p. 665, 24. Ἴστε γὰρ δήπου τοῦθ', ὅτι πάντες οἱ ξεναγοῦντες

sali, mercenariorum militum conquisitores, rapinis et latrociniis bellicis in Asia, Thracia, insulis collocupletati, Athenarum et Corinthi, luxuriosissimarum urbium secessum petentes, ut divitias vi ac armis partas per otium in comessationes, parasitorum sodalitia et 47
meretricios amores effunderent. *Reges*, qui passim commemorantur (*Eun.* III, 1. 7. 18. *Heaut.* I, 1. 65.), intelligendi sunt Antigonus, Demetrius, Seleucus, vel Ptolemaei adeo. De Ptolemaeo Philadelpho locus insignis est Theocriti XIV, 59. *Μισθοδότας Πτολεμαῖος ἐλευθέρῳ οἷος ἄριστος* (ad quem locum conferenda sunt omnino, quae de *μισθοφορικῷ* regum Alexandrinorum monuit Strabo XVII. p. 1178. C.). De Seleuco omnibus statim succurrent Pyrgopolinicis Plautini verba Mil. Glor. I, 1. 75. *Nam rex Seleucus me opere oravit maximo, Ut sibi latrones cogerem et conscriberem.*

Ex iis, quae hactenus disputata sunt, satis manifestum esse arbitror, qui factum sit, ut isti *milites*, sive veri essent *ξεναγοί*, sive, quod in omnibus fere locis, ubi mentio eorum fit in Comoediis, proxime a vero abesse arbitror, inferiorum ordinum ductores in iis oppidis, ubi cuticulae curandae causa otiosi commorarentur, omnibus contemtui et derisui essent. Nec mirum cuiquam iam videbitur, stoliditatem, inscitiam et vanitatem illorum a poetis recentioris Comoediae tot tantisque opprobriis et contumeliis

---

οὗτοι, πόλεις καταλαμβάνοντες Ἑλληνίδας ἄρχειν ζητοῦσι, καὶ πάντων, ὅσοι περ νόμοις οἰκεῖν βούλονται τὴν αὑτῶν (in Reisk. vitiose *αὐτῶν*), *κοινοὶ περιέρχονται κατὰ πᾶσαν χώραν, εἰ δεῖ τἀληθὲς εἰπεῖν, ἐχθροί.* Patet hinc, ductores istos inhiasse alienis imperiis, et vi occupasse oppida, quae cum potestate tenerent. Pulchre cum his conspirant, quae scribit Philippo Isocrates in Ep. II. p. 982. ed. Wolf. *Θαυμάζω, ὅσοι τῶν τὰς δυνάμεις ἐχόντων, τὰ τῶν ξενιτευομένων στρατόπεδα μισθοῦνται, καὶ χρήματα πολλὰ δαπανῶνται, συνειδότες, ὅτι πλείονς ἠδίκηκε τῶν πιστευόντων αὐτοῖς, ἢ σέσωκε.* Campus et arena, ubi digladiarentur isti *ξεναγοί*, fuerunt, Philippi aetate, satrapiae Asiae minoris, Hellespontus, Chersonesus Thracica, et interdum Aegyptus, teste Demosthene in oratione *περὶ συμμοριῶν* p. 186, 22. Strategemata eorum complura narrat Polyaenus lib. II. et III. veluti de Timotheo III, 10. 9. p. 280. Scite comparari possunt ductores isti manus mercenariae, ad omnia facinora, pessima, nobilissima aeque proclives cum audacissimis imperatoribus, quorum furoribus et rapinis ineunte seculo XV. tota lacerata est Italia, *Condottieri* vocabant et *compagnie* manipulos militis conductitii. v. *Spittlers Entwurf der Gesch. der Europ. Staaten* T. II. p. 72. et quae *Robertsonius* disputavit in Introductione ad vitam Caroli V. Illud etiam observandum, *τὸ ξενικόν* saepissime etiam *τὸ μισθοφορικὸν* dici et confundi *ξεναγοὺς* et *μισθοφόρους*, licet *ξεναγοῦ* nomen proprie illis tantum competeret, qui toti exercitui conductitio imperarent, *μισθοφόρου* autem appellatio ad omnes omnino, gregarios etiam milites et inferiorum ordinum ductores pertineret. Sed *στρατιώτης* etiam et Latinorum *miles* latissime patuit, et, qui Luciano in Dial. Meretr. IX. p. 303. primum *στρατιώτης* appellatur, idem paulo post *ξεναγός* et *μισθοφόρος* audit, atque in universum haec valet observatio, vocabulum *στρατιώτου* semper apud Comicos recentiores de milite conductitio dici. Vid. Stob. Tit. LI. p. 356. ed. Basil. ubi in octo Comicorum fragmentis semper eadem virtute positum reperias.

48 oppletam esse. Diserte hoc affirmatur in fragmento Menandri e Sicyonia apud Stobensem Tit. LI. p. 356. ed. Basil. (in Menandri reliquiis p. 164. 3.)

Εὐλοιδόρητον, ὡς ἔοικε, φαίνεται
Τὸ τοῦ στρατιώτου σχῆμα καὶ τὸ τοῦ ξένου.

Et clamant innumera huius rei apud scriptores veteres vestigia, poëtarumque fragmenta *). Etiamsi vero omnia, quae in perditissimum nequissimumque mortalium uspiam dicta sunt, in eos convenire viderentur, cum essent gulae, ventri, penique dediti, mendaces, fungi, inepti, et ut ille ait apud Plautum, elephanti corio circumtecti (*φορίνην παχείαν φέροντες* verti possit e Plut. de discr. adul. c. 20.): duo tamen vitia acerrime in iis notata et derisa esse videas, ingenii nullo humanitatis cultu molliti diram truculentiam, animique inaniter iactabundi ventosam gloriationem. Efferaverant mores eorum bella, rapinae et severum in vilissima capita [sic enim habebantur illi milites, *πελτασταὶ* plerumque et infimae conditionis homunciones **)] imperium, et ad omnem sensum humanitatis ita hebetaverant, ut in pace etiam obvium quemque protruderent, contumeliis grassarentur in ignotos, et meretriculas, quae quaestus causa illis morigerae esse deberent, ob levissimam
49 suspicionem pessime mulcarent. Hinc *ῥαπιζόμεναι καὶ περικειρόμεναι* in fabulis Menandri, hinc turbae istae in Eunucho Terentii et querelae Philotii in Hecyra I, 2. 11. seqq. hinc ingentes strepitus in Plautino milite. Iactantia vero et vana gloriatio in his militibus proprium sibi nomen invenit, *ἀλαζονείας* nomine insignita ***).

---

*) [Laudat Menandri fragmentum ap. Stobensem Serm. 51. p. 306. Gesn. *κομψὸς στρατιώτης οὐδ' ἂν εἰ πλάττοι θεὸς Οὐδεὶς γένοιτ' ἄν*, Humius in *Essays* in notis p. 400. edit. vernaculae, sed parum intellexit, de quonam militum genere ibi sermo esset. EX ADD.]

**) In fragmento Philemonis apud Stobensem LI. p. 356, 45. alloquitur aliquis militem: *Στρατιῶτα κοὐκ ἄνθρωπε, καὶ σιτούμενε· Ὡς τὰ ἱερεῖα, ἵν' ὅταν ᾖ καιρὸς, τυθῇς.* Saepissime in comoediis distinguitur inter militem et *ἐλεύθερον*. Ergo mancipiorum loco habebantur. Sic Isocrates Orat. ad Philippum p. 220. Wolf. referens in Phocide *μισθοφόρους* bene multos caesos esse, contemtim addit, *οἷς λυσιτελεῖ τεθνάναι μᾶλλον ἢ ζῆν.* Sic *veteres* indicabant de mercenario milite!

***) Lexicon Sangerm. apud *Ruhnk.* ad Tim. p. 21. ed. nov. *Ἀλαζὼν, ψεύστης καὶ κομπαστής.* Graeca fabula, unde Gloriosum suum vertit Plautus, *Ἀλαζὼν* fuit appellata. Ipsum etymon a clamore bellico (*ἀλάζειν, ἀλαλάζειν*) repetere malim, quam cum *Scheidio ad Lennep. Etym.* p. 100. ab *ἀλάω*, volvo. Probe congruunt definitiones a Xenophonte *K. Π.* II, 2. p. 180. Zeun. et Aristotele Nicom. IV, 13. p. 188. ed. Basil. explanatae. Urbanitas Attica deflexit ad Sophistas, v. *Fischer.* ad Plat. Phaed. 41. p. 390. ed. ult. et ad vates mendaces, v. *Hemsterhus.* ad Lucian. T. I. p. 447. [Locus pulcherrimus in hanc rem est Posidippi in *χορευούσαις* apud Athen. IX. p. 376. F. ubi coquus *ἀλαζονείαν* coquorum cum Thrasonica contendit: *Ξεναγὸς οὗτος ὅστις ἂν θώρακ' ἔχῃ φολιδωτὸν, ἢ δράκοντα σεσιδηρωμένον, Ἐφάνη Βριάρεως· ἂν τύχῃ δ', ἐστὶν λαγώς.* EX ADD.]

Duplex hoc vitium in primis exagitabant in scena Philemon, Menander, aliique, qui eodem fere tempore artem tractabant musicam. Hinc duplex etiam a Polluce commemoratur persona militum. Dignus omnino locus, in quem paulo accuratius anquiramus IV, 147. Duo ibi commemorantur *νεανίσκοι ἐπίσειστοι*. Hoc enim est nomen, quo milites in comoedia veniunt. Verba sunt: *Τῷ δὲ ἐπισείστῳ, στρατιώτῃ ὄντι καὶ ἀλαζόνι καὶ τὴν χροιὰν μέλανι καὶ τὴν κόμην, ἐπισείονται αἱ τρίχες, ὥσπερ καὶ τῷ δευτέρῳ ἐπισείστῳ, ἀπαλωτέρῳ ὄντι καὶ ξανθῷ τὴν κόμην.* Observandum, doctissimo grammatico h. l. tantum de personis seu larvis sermonem esse, quae singulae singulis aetatibus et moribus hominum in scenam inductorum aptae essent et accommodatae (*Charaktermasken*). Hisce igitur militum gloriosorum personis peculiare et adventitium ornamentum in coma promissa accesserat, quae, si caput minacius concuteretur, cervices flagellaret et torvitatem frontis augeret. Quocirca nomen illis inditum est *τῶν ἐπισείστων*, 50
ἀπὸ τοῦ ἐπισείειν τὴν κόμην, a *terrifica caesarie*, ut Ovidius loquitur 1 Met. 179. Iam vero ex ipso Polluce et ingenti veterum monumentorum numero, de quo alibi disputavimus, satis constat, *κόμην* eiusmodi *ἐπίσειστον* tragicis tantum personis additam fuisse, ut augustior et venerabilior species hoc spissiore capillamento illis conciliaretur *). A comicis personis plane aberat, quod in communi vita omnes, postquam ephebis adscripti erant, tonderentur. At solebant milites, praesertim iactantiores, crines promittere et horrida caesarie vultum efferare **). Haud inepte igitur qui primum hanc personam militis effinxerat, cum galea cristata, veteris Comoediae ornamentum, in *nova* locum non haberet, caesariem vel galericulum apposuit, levissimo capitis nutu volubilem, et sic partes implevit comoediae, quae amat *τὸ παρατραγῳδεῖν*. Illustratur 51
hoc iconibus Codicis Vaticani, in quibus militis personam capilla-

*) Locus egregius in hanc rem est apud Lucian. in Gall. c. 26. T. II. p. 742. ubi inter ornamenta personae tragicae regis aut herois diserte ponitur *ἐπίσειστος κόμη*, ubi vide doctam *Graevii* notam. *Wielandus* eam, cum in versione vernacula redderet: *in die Luft flatternde Heimbüsche* T. I. p. 141. in fraudem pellexit Lamachus ex Aristophane suo. Nulla in tragoedia vetere persona galeata fuit aut cristata. Habuerunt *ὄγκον* vel *superficiem*, ut veteres Latini loquebantur. v. *Kuhn.* ad Poll. IV, 133. In gemmis apud Ficoronium plus quinquagies repetitam istam caesariem contemplari licet. Sed pulcherrime expressam habes in *Picturis Herculanensibus* T. IV. tav. XXXVII. T. II. tav. IV.

**) Faciebant hoc equites apud Athenienses. vid. Intt. ad Aristoph. *Nub.* 14. *Ἰκτ.* 580. Et fuit in institutis Lacedaemoniorum, ut comam alerent ad terrorem hostibus incutiendum. Aristoph. *Ὀρνιθ.* 1282. Vide loca a *Barthelemio* collecta in *Voyage d. j. An.* T. V. p. 126. Et summerunt Comici, si recte auguror, totam personam militis gloriosi a Lacedaemoniorum habitu, ad ostentationem militaris virtutis composito, et vel hoc nomine ab uno Aristophane plus vicies deriso. Hinc *κομᾷν* simpliciter est iactare, superbire. Hesychius: *κομᾷ, γαυριᾷ, μεγαλοφρονεῖ.* Plura dabit Spanh. ad Aristoph. *Πλουτ.* 170. Sed res in vulgus nota.

mento prolixo, longius super caput eminente, statim agnoscas. Dolendum est, Pollucem, diligentissimum personarum enarratorem, plane silentio praetermisisse reliquum vestimentorum ornatum, quod a communi vestitu, quo Graeci adhuc uterentur, cum Pollux haec scriberet, parum differrent pallia et chlamydes in fabulis Comicis frequentatae. Enimvero haerentibus nobis opportune se nobis offert Donatus, cuius digna notatu sunt verba in argumento scenae VII. Actus IV. *Vanitas militis monstratur ad amicam tanquam ad hostilem exercitum pergentis irritato animo, concitato cursu, inclinata chlamyde, trepidi et* quatientis caput (i. e. *ἐπισείστου*). Habemus hic inclinatam chlamydem, quam cum *undanti chlamyde* militis Plautini Epid. III, 3. 53. comparare, non permutare debuisset *Westerhovius*, insigne militaris ordinis ornamentum. Nam cum chlamys omnino militum esset vestimentum (idem fere quod *sagulum* legionariorum; hinc *χλαμυδηφόροι ἄνδρες* simpliciter sunt *ξένοι*, mercenarii milites, Ptolemaeo Philadelpho auctorati Theocrit. XV, 6.), ordinum duces et qui cum imperio aliquo essent, chlamydem purpureo clavo praetextam portabant, quo facilius a gregario milite dignoscerentur. Iam vero facile intelligimus, quinam sint *εὐπάρυφοι* in Luciano, et quid sibi velint *εὐπάρυφα διηγήματα* apud Plutarchum *).

52 Iam, ut ordine procederet oratio nostra, explicanda esset tota series fabularum Menandri, in quibus *militi* primas partes (*τοῦ πρωταγωνιστοῦ*) demandasse e fragmentis adhuc superstitibus tuto colligere possumus. Sed cum copiosiorem, eandemque subtiliorem disquisitionem huius argumenti non capiant angustiae unius excursus, in pancis tantum sed celebrioribus et ab omni posteritate decantatis in praesentia mihi periculum faciendum esse puto. Unum praemittam (quod *Hurdium* etiam in *Commentario ad Horatii epp.* T. I. p. 321. vers. vern. monuisse, video) simpliciora longe et minus perplexa fuisse argumenta fabularum Graecarum, quam quae Terentius e duabus vel tribus adeo Graecis conglutinaverit, nec me

*) *παρυφὴ* est limbus, seu clavus vesti attextus. Copiose hoc edisserit *Rubenius*, et qui antiquitates vestiarias tractarunt. Alia dedit *P. Wesseling.* ad Diod. XII, 21. T. I. p. 492. Iam patet, quis sit *εὐπάρυφος*. Plutarchus aliquoties usus est de militibus gloriosis in nova comoedia, ut in libello de discrim. adul. et am. c. 20. p. 52. *Krigel.* de adulatore perfrictae frontis *ἂν εὐπαρύφου τινὸς ἢ ἀγροίκου λάβηται.* Milites *εὐπάρυφα καὶ σοβαρὰ διηγήματα περαίνοντες* occurrunt apud eundem in *περὶ τ. ἐπαινεῖν ἑ. ἀνεπιφθόνως* p. 547. E. Sic saepe de eiusdem familiae hominibus Lucianus in Diall. Meretr. ut Dial. I, p. 280. *στρατιώτης εὐπάρυφος ἐν χλαμύδι*, quod Dial. XIII, p. 317. variavit *φοινικὶς ἐπήνθει*, floridum colorem spargebat paludamentum. Paululum differt Polemon, e bello reversus *ἐφεστρίδα περιπόρφυρον περιπεπορπημένος καὶ ἀκολούθους ἅμα πολλοὺς ἔχων* Dial. IX, p. 301. Scilicet *ἐφεστρὶς, ξυστὶς, ἐφαπτὶς*, quae coniungit etiam Pollux in vestimento tragico IV, 116. proprie ad equites Athenienses referendae (v. Spanhem. ad Arist. Nub. 70.) paulatim de chlamyde *περιπορφύρῳ* dici coeperunt. v. *Caper. ad Apoth. Hom.* p. 181.

valde repugnaturum esse, si quis in Thrasone Terentiano non tantum e Colace, sed ex aliis etiam fabulis eiusdem argumenti manifesta imitationis vestigia deprehendisse sibi videatur. Haud dubie igitur operae pretium facturi sumus, si illustriora certe *fabularum* 53
militarium argumenta breviter delineare conemur. Primas hic quoque partes sibi poscit fabula Colax, e qua parasitum et militem in Eunuchum suam se transtulisse ipse fatetur in prologo huius fabulae Terentius. *Πρωταγωνιστὴς* ibi fuit parasitus, non, quod multi hariolati sunt, miles gloriosus, qui tantum eo consilio adductus videbatur, ut os illi sublineretur a versutissimo veteratore. In promtu sunt fragmenta, post aliorum curas *Heringae* etiam in Observatt. p. 247. salutares manus experta, quibus id demonstrasi poterit. Sed rem conficit locus insignis Athenaei VI, 17. p. 258. E. *πεχαριστήρικε ὡς ἕνι μάλιστα ἐπιμελῶς τὸν κόλακα Μένανδρος ἐν ὁμωνύμῳ δράματι.* Sed noli putare, ipsum nomen Gnathonis ex ista fabula ductum esse. Consummatissimum istud adulatoris exemplar apud Menandrum appellatum fuit *Στρουθίας*; quod nemini dubium fore arbitror, qui fragmentum *Clerico* iam (in Reliq. p. 108.) ex Athenaeo X, p. 434. laudatum comparaverit cum loco Plutarchi, palmario illo, sed ab omnibus, quod sciam, qui fragmenta Comici conquisiverunt, neglecto *).

Nec dubitandum est, quin comica illa *Στρουθίου* appellatio 54
in Menandri fabula toti caveae risum ab initio excusserit. Iam antiquissimis temporibus struthiones seu passeres marini, ut balbutientes in exoticis animalibus vocabant Romani, innotuerant Graecis (*v. Wesseling.* ad Herodot. p. 358, 73. et *Beckmannum* V. Cl. *Verbesserung zur Waarenkunde* T. I. p. 439.) et ob voracitatem (Aelian. de An. XIV, 7.), stoliditatem et ingentem corporis molem (unde facete novam vocem *στρουθοβαλάνους* procudit Lucianus in Veris suis historiis I, 13. T. II. p. 80.) passim ridebantur. Eius-

*) In libello *περὶ κόλακος καὶ φίλου* c. 20. p. 32. ubi de adulatoribus sermo est, pinguiori Minerva palpum obtrudentibus: *ἂν μὲν εὐπαρύφου ἢ ἀγροίκου λάβωνται καθάπερ ὁ Στρουθίας ἐμπεριπατῶν τῷ Βίωνι, καὶ κατοχούμενος τῆς ἀναισθησίας αὐτοῦ τοῖς ἐπαίνοις — Πελλάνδρου τοῦ βασιλέως Πλέον πέπωκας, καὶ γέλωτι πρὸς τὸν Κύπριον ἐνηδούμενος.* Posteriora verba, in quibus, ut in toto loco, coecutiunt interpretes, ita sanari posse putabam *γέλωτος — ἐμφορούμενος*. [Quam emendationem laudat doctissimus *Eichstadius* in censura editionis Plutarchi Wyttenbachianae in *Neue Bibl. d. Sch. W.* LX, 2. p. 259. 60. monens *γέλωτος — ἐμφορούμ.* repugnare metro; Wyttenbachium autem vidisse hic duo coniungi Menandri fragmenta, et posteriorem versum emendare *γέλωτι πρὸς τὸν Κύπριον ἐνδανούμενος*, addito loco Terent. Eun. III, 2. 41. qui haud dubie esse debuerit Eun. III, 1. 42. *risu omnes, qui aderant, emoriri.* EX ADD.] *Reiskius*, qua pollebat sagacitate, statim vidit, personas comicas hic afferri, sed nil amplius expedivit. Nos permulta inde discimus. Bias Menandri est *ἀγροῖκος*, et respondet Chremeti. *Κύπριος* est miles vel *Θρασωνίδης*, vel *Θρασυλέων* appellatus. Mutavit ergo nomina et multa omisit Terentius, quae scenae suae parum accommodata esse putaret. Secundum Menandrum Chremetem etiam bene potum annis illudere debuisset Gnatho. Respuit hoc Terentii urbanitas.

modi nomen igitur omnium plausum ferre debuit, et celebre fuit ab eo inde tempore inter Graecos (vide locum pulcherrimum de parasitis Menandri apud Aelian. de An. IX, 7. p. 491.). Nec respuisset, credo, Terentius, nisi Plautus quoque et Naevius, qui pariter hunc *κόλακα* in fabulas suas transtulisse dicuntur, iam praeripuissent illud nomen posteriori poëtae.

Alia fabula militaris, qua veteres magis etiam quam priori delectati esse videntur, inscripta fuit *Μισούμενος*. Militi, cui primas in ea dederat, nomen fuit Thrasonidae, unde novum nomen fabulae cum perperam exsculpsisset Clericus, poenas gravissimas dedit Berglero, et duumviris Britannis, *Bentleio* et *Toupio* (litem universam bene nuper narravit *Harlesius* V. Cl. ad Fabricium T. II.
55 p. 465. s.). Mores eius graphice depingit Libanius in Declam. XXXI. T. I. p. 701. *Ἔχεις ἐκ τῆς Κωμῳδίας προλαβὼν, ὡς ὑπέρογκόν τι καὶ σοβαρὸν καὶ πολλή τις ἀλαζονεία στρατιώτης ἀνήρ· ἔι τις ὑμῶν φαντάζεται τὸν Μενάνδρου Θρασωνίδην, οἶδεν ὃ λέγω.* Argumentum fabulae lepidissimae verbis statim sequentibus breviter exposuit Sophista: *στρατιωτικήν φησιν* (sc. Menander) *ἀηδίαν νοσοῦντα τὸν ἄνθρωπον εἰς ἀπέχθειαν αὐτῷ κινῆσαι τὴν ἐρωμένην· καὶ γέγονεν ἀμέλει προσηγορία τῷ δράματι τοῦ Θρασωνίδου τὸ μῖσος.* Nimirum miles iactator atrocissima, quae ipse in bello perfecerit, facinora et caedes exaggerat, amplificatque verbis magnificis, ut puella, cui placere studet portentosis hisce narrationibus, exsecretur dirissimam rabiem et saevitiem hominis sanguinarii, et rem cum tanta bellua amplius habere nolit. (Hinc *τὸ μῖσος* et nomen fabulae.) Quid multa? Miles, amoris oestro percussus, furit et gravissime stomachatur. Discimus hoc ex loco praeclaro Arriani *) in Dissert. Epictet. III, 26. p. 351. Cantabr. ubi Thrasonides exclamat: *Παιδισκάριόν με κατεδεδούλωκεν εὐτελὲς*
56 *ὃν οὔτις τῶν πολεμίων πώποτε* **). Nocte concubia igitur, *ὅτε*

---

*) Cum Xenophontis Memorabilia Socratica toties sub prelo sudaverint, apud animum meum satis exputare nequeo, qui factum sit, ut Arriani Memorabilia Epictetea, quae ad Xenophonteum exemplar penitus expressa et composita esse novimus, post Uptonum, qui perfunctoriam tantum operam illis navavit, nullum amplius editorem invenerint, praesertim hodie, cum ubique fervent studia philosophiae criticae, quam in ethicis amice conspirare cum plerisque Stoicorum placitis, alii iam docuerunt. Solebant Stoici in disputationibus suis exempla petere e scena (vide Stertinii exemplum apud Horat. Serm. II, 3.). Hinc multa passim ad deperdita poetarum dramata penitius cognoscenda peti possunt ex Epicteteis Arriani. Monuit haec aliquoties *Tiedemannus* V. Cl. Sed alto supercilio haec despiciunt novelli magistri, philosophiae coelo scilicet delapsae oracula e tripode pronuntiantes.

**) Imitatus est h. l. sed caste, ut solet, et ingeniose Lucianus in Dial. Mort. XXVII, 7. T. I. p. 442. ubi *Λάμπις ὁ Ἀκαρνὰν, ξεναγὸς ὤν*, una cum Diogene cymba Charontis transvectus esse dicitur, *δι' ἔρωτα Μυρτίου τῆς ἑταίρας ἀποσφάξας ἑαυτόν.* Consolatur illum sorti suae ingemiscentem Cynicus *τί αἰτιᾷ τὸν ἔρωτα, σαυτὸν δὲ οὔ; ὃς τοὺς μὲν πολεμίους οὐδὲ πώποτε ἔτρεσας — ὑπὸ δὲ τοῦ τυχόντος παιδισκαρίου,*

ὁ Γέτας οὐ τολμᾷ ἐξελθεῖν, ad fores illius procurrit, ad cruciatus amoris levandos, et canit παρακλαυσίθυρον ad fores amicae. Iterum exclusus ξῖφος αἰτεῖ, καὶ πρὸς τὸν ὑπ' εὐνοίας μὴ διδόντα (servulum scilicet, aut parasitum) χαλεπαίνει (hinc forsan explicandus locus Horatii II. Serm. 3, 275. *adde cruorem stultitiae atque ignem gladio scrutare).* Omnem deinde movet lapidem, ut puellae vincat fastidium, καὶ δῶρα τῇ μισούσῃ πέμπει, καὶ δεῖται, καὶ κλαίει (similem scenam innuit Terentius noster *Heaut.* II, 3. 125.) πάλιν δὲ μικρὰ εὐημερήσας ἐπαίρεται. En totam fabulam, ab Arriano in compendium redactam. Scrupulum tamen iniicit aliud fragmentum, quod ad hanc Menandri fabulam referendum esse primus, qua erat in his subodorandis sagacitate, sensit *Toupius* in Epist. Crit. p. 28. Lips. Exstat apud Plutarchum περὶ φιλοπλουτ. p. 522. A. Frf.

Παρ' ἐμοὶ γάρ ἐστιν ἔνδον, ἔξεστιν δέ μοι,
Καὶ βούλομαι τοῦτ', οὐ ποιῶ δὲ —

Quibus verbis Criticus Britannus aliud fragmentum, ibidem obvium, statim subiunxit:

Ἄπολλον, ἀνθρώπων τιν' ἀθλιώτερον
Ἑώρακας;

E quibus colligas, Thrasonidem intus conclusam habuisse puel- 57
lam, a lenone forsan abductam. Atque haec sunt τὰ Θρασωνίδου κακά, quae cum thesauris avarorum comparat Plutarchus. Haec si teneas, plurimis veterum locis, quae ad illam fabulam respiciunt, lucem affundere poteris. Sic Zeno ipse apud Diog. VII, 130. ad definitionem amoris, quam dixerat ἐπιβολὴν φιλοποιΐας, stabiliendam utebatur exemplo militis in hac fabula, τὸν γοῦν Θρασωνίδην καίπερ ἐν ἐξουσίᾳ ἔχοντα τὴν ἐρωμένην διὰ τὸ μισεῖσθαι, ἀπέχεσθαι αὐτῆς, ubi vid. *Menag.* Porro autem, si scire cupias, quibus facinorum suorum praedicationibus tantum puellae odium concitaverit homo futilissimus, disces e Luciano, qui scenam fere integram transtulisse videtur in dialogum meretricium *) XIII, p.

καὶ δακρύων ἐπιπλάστων, καὶ στεναγμῶν ἐάλως ὁ γενναῖος. Vides artificem, qui numum ex aliena arca depromtum sua moneta statim signare probe didicit.

*) *Franklinus*, Luciani interpres Britannus, dialogos istos meretricios foetum suppositicium et ab alio auctore ad imitationem Luciani, qui deorum et mortuorum dialogos scripserat, profusum esse contendit. Non ipsere, quibus argumentis γνησιότητα illorum vindicaverit arbiter harum deliciarum maxime ideneus, *Wielandus* in vers. theotisc. T. III. p. 343. s. Sed, ne quid dissimulem, mihi quoque lectitanti istos dialogos et cum reliquis Menandri comparanti, unde patet, e Menandro, qui tum omnibus in manu erat et ore, tantum non omnia esse translata, magna suspicio orta est, dialogos istos ab obscuro aliquo imitatore, Luciano invito et plagium eiusmodi valde detractante, intrusos esse. Nos vero minime inscamur homini, cuius industria tabulae aliquot ex infausto fabularum Menandrearum naufragio enatarunt. *Μεγάλη χάρις αὐτῷ.*

315—18. Mira ibi Leontichus quidam puellae timidae et diritatem hominis abominanti narrat facinora, contra Galatas et Paphlagonas designata. In proelio contra Galatas primum se transverberasse magistrum equitum, qui hostium alas praecesset, una cum
58 equo, προεξελάσας ἵππῳ τῷ λευκῷ, deinde cum acie iam inclinata iterum se conglobassent hostes, equo admisso in confertos irruisse, et proculcatis septem antesignanis, gladio impacto decurionis caput cum ipso cranio dissecuisse. In pugna vero contra Paphlagonas (nam hanc quoque a Chenida, parasito vel cacula suo, monitus enarrat puellae) cum satrapes illorum, monstrum hominis, ante aciem obequitans fortissimum quemque ad certamen singulare provocasset, ipsum τοῦ ξενικοῦ ducem, Aristaechmam, τὸν Αἰνωλόν, coiorruisse toto corpore, se vero, qui tribunatu tunc fungeretur (ἐχιλιάρχουν γάρ), multum renitentibus et obtestantibus amicis, descendisse in certamen, πάγχρυσος καὶ αὐτός. Dein, cum ipse leviter tantum in genu vulneratus esset, medium mox adversarii pectus sarissa traiecisse. Eidem telo mox caput hosti abscissum infixisse, atque ita ovantem et cruore destillante coinquinatum reversum esse ad suos. Deum immortalium fidem implorat Hymnis misella haec audiens; taedium ingens et nauseam sibi obortam esse inter auscultandum clamat; procul facessere iubet carnificem, et, dum stupet iste, subito hominem relinquit. Ringitur miles, expostulat cum Chenida, quod follem spirantem magis inflasset etiam, et tandem mittit ad puellam, qui *se mentitum esse* nuntiet. Habes totius scenae argumentum, sed magno iucunditatis fructu te defraudaveris, nisi omnes dialogi veneres, inspecto libro, tute ipse cognoveris. Denique huc pertinet etiam elegantissimi Alciphronis epistola quaedam, miro lepore condita. Nam Alciphronem etiam multa e Menandro in rem suam convertisse, saepissime in notis monuit *Berglerus*. Consule, si otium est, Epist. III, 36. p. 350. seq.

59 Habuimus militem ab adulatore callido delusum, habuimus alium ob detestabilem facinorum suorum praedicationem a meretricula exclusum. Restat tertium genus ζηλότυπον, et ob iram in rivalem ruens, tundens, prosternens omnia. Effinxerat furibundum eiusmodi et importunum hominem Menander in fabula, cui ῥαπιζομένῃ nomen. E fragmentis, quae *Clericus* sublegit *Fabricio*, vix quicquam constituas, quod ad argumentum fabulae dilucidius explanandum faciat. Inter pulcherrimas eius comoedias hanc quoque relatam esse, cogitur ex eo, quod in festivissima epistola, quam Glycera Menandro scripsisse fingitur ab Alciphrone II, 4. p. 270. inter praestantissimas fabulas haec quoque ibi percensetur. Saepius ea ob oculos versata videtur Luciano, nusquam apertius quam ab initio Dial. Meretr. VIII. p. 299. ubi in illum non cadere amatoris nomen affirmatur, qui non sit ζηλότυπος, μήτε ἐῤῥάπισέ ποτε, ἢ περιέκειρεν, ἢ τὰ ἱμάτια περιέσχισεν. Conferendus est totus dialogus, in quo multa de contumeliis et verberibus, quibus male

mulcarentur meretrices, Menandri scenam redolentia. Sed rem conficit dialogus inter meretricios ultimus XV. p. 323. ubi totam scenam e ϕαπιζομένῃ Menandri repetitam esse puto. Effringit Dinomachus miles, furore in rivalem percitus, fores Crocales, ubi rusticus quidam comessabatur et saltabat ad tibiam. Verberat, sternit, conculcat omnes, quos illi sors obtulit. Tandem finitur narratio hoc ἐπιμυθίῳ: Ταῦτ' ἀπολαῦσαί ἐστι τῶν στρατιωτικῶν τούτων ἐρώτων, πληγὰς καὶ δίκας. — ἐπιτριβεῖεν οἱ ἀλαζόνες ὄντες.

Sed ferebatur praeterea, praestantissimisque annumerabatur alia Menandri fabula, in qua pariter miles quidam importunus et 60
zelotypus, Polemon illi nomen, vindictam repetit a meretricula acerbissimam *). Nomen illi ab eventu rei inditum fuit Περικειρομένῃ. Polemon iste deperit puellam, quam in bello ceperat. Sed suspicione, alium sibi praelatum esse a puella, tactus effervescit subito et tristissima misellam afficit contumelia. Comam ignominiose illi detondet **). Mox poenitet eum immanitatis suae. Exsecratur ipse facinus, quod magno redimeret. Hoc argumentum fabulae perspicitur e Philostrati epistola XXVI. p. 924. Olear. Οὔτε ὁ τοῦ Μενάνδρου Πολέμων καλὸν μειράκιον περιέκειρεν, ἀλλ' αἰχμαλωτοῦ μὲν ἐρωμένης κατετόλμησεν ὀργισθείς, ἣν οὔτε αὐτὸς ἀποκείρας ἠνέσχετο· κλαίει γοῦν καταπεσὼν καὶ μεταγινώσκει τῷ φόνῳ τῶν τριχῶν. In Anthologia Graeca plura leguntur epigrammata, quibus aperte declaratur, argumenta cum huius fabulae, tum priorum omnibus, qui vel leviter tincti essent literis elegantioribus, semper in promtu et numerato fuisse. Pertinet huc epigramma Agathiae Scholastici, ubi idem facinus, quod priscus Menandri Polemo admiserat in puellam, nuper ab altero quodam Polemone perpetratum esse conqueritur amator:

Τὸν σοβαρὸν Πολέμωνα, τὸν ἐν θυμέλῃσι Μενάνδρου
Κείραντα γλυκερούς τῆς ἀλόχου ***) πλοκάμους
Ὁπλότερος Πολέμων μιμήσατο, καὶ τὰ Ῥοδάνθης
Βόστρυχα παντόλμοις χερσὶν ἐληΐσατο —
Ἀλλ' ἔμπης τελέθει ΜΙΣΟΤΜΕΝΟΣ· αὐτὰρ ἔγωγε
ΔΥΣΚΟΛΟΣ, οὐχ ὁρόων τὴν ΠΕΡΙΚΕΙΡΟΜΕΝΗΝ.

*) [Sub examen haec revocavit multa aliter refingens, admoto in primis Propertio suo, *Huschkius* in *Analectis Criticis* p. 172. seqq. Sed multa, re recte perpensa, obiici posse nullus dubito. EX ADD.]

**) Hinc vis ridiculi magis apparet in verbis Timonis apud Lucian. c. 4. T. I. p. 107. ubi ridet imbecillitatem Iovis Timon, qui ne a furibus quidem tutum et incolumem se praestare possit, τοὺς πλοκάμους περικειράμενος ὑπ' αὐτῶν. Promisit ibi magnus *Hemsterhusius* se alibi copiosius de hoc ignominiae genere acturum. Sed opus inchoatum perficere non potuit.

***) Duriusculum est de ancilla amasia usurpatum. Apud Homerum nusquam nisi de legitima uxore dictum occurrit. Nam qui ad alteram significationem confirmandam affertur locus Odyss. Δ, 632. vel hoc ipso

61 In ultimo disticho ad tres diversas Menandri fabulas respici post *Weselingium* in Dissert. Herod. p. 159. seq. observavit etiam *Toupius* in epistola Critica p. 28. ed. Lips. Sed latuit Viros doctissimos alterum epigramma Frontonis ex *ἀνεκδότοις* T. III. p. 56. II. ed. *Iacobsii*. Alloquitur poeta puerum *comoedum ἀκκίζοντα* et delicias facientem, et hortatur eum, quem fabularum argumenta probe cognita habere consentaneum erat, quatuor fabularum nominibus scite ad eam rem deflexis,

Τὴν ἀκμὴν ΘΗΣΑΥΡΟΝ ἔχειν, κώμῳδε, νομίζεις,
Οὐκ εἰδὼς αὐτὴν ΦΑΣΜΑΤΟΣ ὀξυτέρην;
Ποιήσει σε χρόνος ΜΙΣΟΥΝΕΝΟΝ, εἶτα ΓΕΩΡΓΟΝ,
Καὶ τότε μαστεύσεις τὴν ΠΕΡΙΚΕΙΡΟΜΕΝΗΝ).*

Praeter quatuor has fabulas, plures exstitisse alias, in quibus militem iactatorem et immodicum facinorum suorum buccinatorem induxerat Menander, nullum plane mihi est dubium. Sic, ut unam adhuc laudem, in ea, quae *ψευδηρακλῆς* inscripta fuit, haud
62 dubie personatus iste Pseudohercules cum clava illa excavata, quam ridet Plutarchus *περὶ κολ. κ. φιλ.* §. 182. p. 70. Krigel. ad *στρατιωτικὴν ἀλαζονείαν* pertinuit, cui praeluserat iam Aristophanes in Baccho suo, Herculis habitu ad inferos descendente in *Βατρ.* 260. seqq. Sed quam Clericus in fragmentis p. 166. nobis effinxit peculiarem fabulam, *στρατιωτῶν*, eam e cerebro Clerici natam dicas, non a Menandro factam, propterea quod, quae ibi e Plutarcho *περὶ τοῦ ἐ. ἀνεπιφθ. ἐπ.* p. 547. C. E. allata sunt fragmenta, facili opera ad alias referri possunt fabulas, ubi militibus vel primarum vel secundarum partium personam imposuit. Nimirum postulant haec omnia intentiorem curam et solertiam hominis, haec fragmenta, quibus colligendis et edendis imparem fuisse Clericum personatus Phileleutherus et Burmannus plus satis demonstrarunt, iterum sub examen revocantis, novorum fragmentorum amplissimo spicilegio locupletantis, et argumenta fabularum, quae quidem plane intacta praetermisit Clericus, apte et ingeniose, quantum scilicet ex imitationibus et testimoniis veterum divinare possumus, disponentis. Quam provinciam si quis in Menandro, a quo per manus in manum tradita nostrorum etiam temporum tota pendet comoedia, rite administraverit, nae is magnam ab omnibus, qui non plane hebeti sunt ingenio et plumbei in his elegantiis aestimandis, inierit gratiam. Nobis pauca haec carptim et speciminis loco perstrinxisse sufficiat.

---

huius vocabuli usu spurius esse deprehenditur, alias etiam, easque gravissimas ob causas obelo iam dudum confixus. Vid. *Wolfii Prolegg. ad Homeri Iliad.* p. CXXXII.

*) Sc. *ἀκμὴν*, crines, qui puerum in flore aetatis ornant. Tondebantur pueri, annos pubertatis ingressi. Item catamiti, quando nova nupta domum mariti ingrederetur. In eo situs est aculeus epigrammatis. Ceterum miror in nova editione Lipsiensi priorum fabularum nomina literis maiusculis non expressa esse, quod *Toupio* in Curis noviss. p. 294. Lips. auctore suaserat iam *Brunckius* in notis p. 206.

Iam in medium nobis producendi et in hoc frequens gloriosorum militum contubernium advocandi etiam essent Plautini milites. Solemne tunc fuisse Comicis Latinis, qui palliatas fabulas in scenam 63
producerent, ut *gloriosi militis* personam ad nauseam usque repeterent, vel e Prologo Plautino in *Captivis* 57 seqq. satis apparet:

> Hic neque periurus leno est, nec meretrix mala,
> Neque *miles gloriosus*. Ne vereamini,
> Quia bellum Aetolis esse dixi cum Aliis,
> *Foris illic extra scenam fient proelia.*

Nec pepercit huic operae Plautus, qui praeter illam Comoediam, in qua Pyrgopolinici primas dedit, tres scripsit alias, quae quidem ad tempora nostra pervenerunt, et militem habent *δευτεραγωνιστήν*, Stratophanem puta, stolidissimum mortalium, qui meretricem filium ex se peperisse existimat in *Truculento*, Anthemonidem in *Poenuli* actu secundo, et alium in *Epidico* militem, cui nomen praeterea nullum inditum, quibus addere licet, ne calo desit tot tantisque bellatoribus, Harpacem caculam in *Pseudolo*, qui hostes vivos raperet ex acie et vasa ahenea ex aedibus. Multum profecto suavitatis et honestissimae oblectationis habitura esset disputatio, in qua, quid inter Plautinos iocos, ad omnem scurrilitatem proiectos et plus taedii saepe, quam delectationis afferentes, et Terentii urbanitatem intersit, gloriosi militis exemplo ab utroque poeta exornati, diligentius anquirere queamus et ponderare *). Sed haec separatim aliquando in excursu aliquo pertractare in animo est, et 64
in praesentia otium nobis fecisse putandus est idoneus harum rerum iudex, *Rochefortius* **).

Institueram in animo, corollarii loco, attexere nonnulla de eodem argumento in recentioris aevi comoediis apud Hispanos, Italos, Francogallos, Britannos et Germanos mirum in modum variato et

*) Temperare mihi non possum, quin adscribam elegantissimi *Bergleri* ad Alciphr. III, 36. p. 350. super hac re iudicium: „Plautus in milite glorioso effingendo vel maxime *φορτικός*; moderatiores et gratiores sunt Terentiani militis in Eunucho gloriationes. Caetera etiam Terentii *ἀνθρωπικώτερα καὶ ἠθικώτερα* atque a vernilitate et scurrilitate procul. Terentius Menandro simillimus, Plautus ex veteri comoedia plus traxisse videtur." Nimirum properat Plautus ad exemplum Siculorum comicorum, ubi prius etiam quam Athenis artem scenicam excultam fuisse, docta est coniectura *Wolfii* in Prolegg. ad Hom. p. LXX. De Plauto Siculorum perpetuo imitatore adde *de Pauw Recherches sur les Grecs* T. I. p. 169.

**) Accepimus ex *Ephemerid. Gotting.* 1793. p. 179. in postremo voluminе Commentariorum Academiae Inscriptionum Parisiensis T. XLVI. legi doctam dissertationem Rochefortii, qui *Brumoeo* etiam operam navavit haud contemnendam, qua *de arte Menandri in partibus fabulae apte describendis* egerit, et militem gloriosum Plauti, quem totum e Menandro expressum esse putat (sed nulla uspiam apparent vestigia fabulae *ἀλαζόνος* nomine inscriptae in reliquiis Menandri), ad istam normam exegerit. Sed eum funestissimi, quo Gallia adhuc iactata est, belli haec quoque fuerit calamitas, ut librorum etiam illic exousorum commercio penitus intercluderemur, nec huius libri inspiciendi copia mihi hactenus facta est.

pro seculi cuiusque gentisque captu multifariam exornato perpolitoque. Sed vereor, ne iam dudum extra oleas, quod aiunt, evagati et libellum, non excursum scripsisse videamur. Paucula igitur ex ingenti acervo, quem accumulare in proclivi foret, delibare sat erit. Nunquam Thrasones interciderunt, nec in vita, nec in scena. Apud Lusitanos et Hispanos inde ab incunabulis recentioris comoe-
65 diae in exodiis illis, in quibus per lancem saturam res sacrae profanis commixtae erant (*Autos Sacramentales* et *Comedias de Santos* appellant), Thrasonum eiusmodi magnus ubique proventus fuit, segesque progerminavit laetissima. Regiones illae a Saracenis per aliquot secula obsessae amplissimam poetis, haec monstra quaerentibus, suppeditavere materiem, et suapte natura feruntur homines illius orae ad ampullas et verba sesquipedalia. Iidem cum inexpiabili in Mauritanos sive Arabes inflammati essent odio, nil prius nec antiquius habuerunt, quam ut τὸ σοβαρὸν καὶ ὑπέρογκον illorum ubique insectarentur in vita et scena. Certamina singularia a gloriosis eiusmodi militibus in ipso proscenio theatrorum commissa commemorat *Cervantes* in praefatione, comoediis eius praemissa (v. *Velasquez historia poëseos Hispanicae* p. 319. seq. vers. theotisc.). Lectu dignissima sunt, quae hanc quoque in rem disputavit elegans omnis literaturae Hispanicae spectator et aestimator *Bourgoing* (*Nouveau Voyage en Espagne*, Paris 1789) T. II. p. 338. s. Hinc Plauti Miles gloriosus in nullum fere recentiorum populorum idioma saepius versus esse dicitur, quam in Hispanicum. Quod si quis scire cupiat, quam rationem poetae gentium illarum in Plautinis salibus scenae suae accommodandis inierint, contulisse non pigebit fabulae Lusitanicae versionem theotiscam in collectione *Bertuchii* (*Magazin der Spanischen und Port. Literatur* T. III. p. 290. seqq.), ubi Hannibal, eques Rhodius, Pyrgopolinicis refert facinora. Ex Hispania, ni fallor, in Italiam transmigravit *Rodomondes* ille mendaciis et facinoribus in epicis Italorum carminibus heros famigeratissimus. Rex Mauritaniae, e Nimrodi prosapia propagatus,
66 corporis statura ad viginti pedum altitudinem elatus, tumultu, caede, minis complet omnia. Primus, quod sciam, facinora eius bullatasque nugas versibus pulcherrimis cecinit *Boyardus* in Orlandi amoribus (v. *Orlando Inamorato* Libr. I. Cant. I. st. 23. 67. 68. Cant. III. st. 28. 36. Cant. III. 6. 12. et libr. II. Cant. XIV et XV. ubi incredibilia, quae in Italia superiore perpetraverit, enarrantur facinora). Boyardi vestigia in hac quoque gloriosi militis persona exornanda pressit *Ariostus*, qui in divino illo *Orlandi furiosi* poëmate ingentes minas horrendasque strages Rodomondis haud postremo loco commemoravit (vide portentum hominis vivis coloribus adumbratum Cant. XIV. st. 116—118. et atrocissimam rabiem immanis belluae per integras carminis sectiones Cant. XVI—XVIII. st. 25.). Ab hoc igitur Thrasone, tanquam a capite familiae, numerosissima eiusmodi iactatorum et, si Plautina voce uti fas est, nugivendulorum propullulavit suboles, per omnia Italorum theatra,

pompas Bacchanales (*Carnevalslustbarkeiten*) et saltationes personatas (*Redouten*) sparsa. Atque hinc ortum etiam cepit persona militis, quam patrum adhuc memoria in oppidis Italiae circulator aliquis aut agyrta, corona populi circumfusus, per aliquot horas probabili oratione sustinere solitus fuisse dicitur *).

E pompis sacris seu *sacramentalibus*, ut appellant, Hispano- 67
rum in fabulam *Don Quixotti*, ab Avellanada interpolatam (Tom. V. cap. XVI. XVII. p. 220. seq. vers. theot.), transiit *Bramarbas* ille corporis mole et minarum strepitu terrorem ignavis, indignationem strenuis afferens, cuius nomen fabulae comicae, Gottschedii adhuc aetate in nostratium theatris plausu ingenti exceptae, praefixit *Holbergius*, qui cum in hac fabula, tum in altera (*Dietrich Menschenschröck*) multa more suo transtulit e Plauto, nonnulla etiam ex Terentio. Longe aliam viam in Falstafflo, nebulone impudentissimo, eodemque festivissimo exornando ingressus est, magnum apud Britannos nomen, *Shakespearius*. Ab ignaviae crimine Falstaffium satis ingeniose vindicare conatur vir in re scenica probe versatus apud Britannos libello peculiari de ea re composito (*An Essay on the dramatic Character of Sir I. Falstaff.* Lond. 1777.), sed idem iactantiam eius et ἀλαζονείαν pulcherrime declaravit. In ea in primis fabula, in qua Falstaffii amores inducuntur in scenam (*the merry Wifes of Windsor*) nonnulla reperias, Plautinis valde similia, et a *Brömelio* etiam nostrae scenae accommodata (*Gideon von Trimberg* in *Brömel's Beiträgen zur deutschen Bühne*, Leips. 1785.). Apud Francogallos magnus iam superiore seculo numerus fuit eorum, qui Terentianum Plautinumque militem scenae vernaculae aptarent, de quibus, cui otium est, consulat *Beauchampium* et *bibliothecas dramaticas theatri Francogallici*. Sed ut intelligas, quid recentiorum elegantia elimaverit detriveritque in rudioribus militum prisci aevi ingeniis, diligenter tibi comparanda est cum iis *Destouchii*, Comici a Molierio secundi, notissima fabula, *glorioso* nomine inscripta (*Le* 68
glorieux, Oeuvres de *Destouches* T. II. p. 255. seqq.) et quae Goldonius in eodem argumento elaboravit in duabus fabulis militaribus: *l'amante militare* (Le commedie del S. D. Goldoni, in Venez. 1771. T. VI.) et *la Guerra* (eiusd. collect. T. XII.). In posteriore, ut magis oblectarentur spectatores milite virtutum suarum praedicatore, finxit illum claudicantem et baculo gressus vacillantes firmantem. Sed vide ipsius poëtae de utraque fabula iudicium in *commentariis de vita sua* T. II. p. 155. et p. 301. seq. vers. theotisc. Lessingius

*) In manu est libellus, cachinnis excutiendis aptissimus, saevidica dicta et nugas magnificas horum circulatorum, *Capitanos* vocant Itali, comprehendens: *Ruhmreden des Spanischen Capitain Rodomond*, in Span., *Ital.*, *Franz. und Teutscher Sprache*. Venet. 1675. Vox hinc derivata in omnibus recentioribus linguis mendacia magnifica significat. Bellam hominis imaginem et festivam illius explicationem debemus *Goethio*, elegantissimo harum Venerum arbitro, in libro, cui titulum fecit: *des römische Carneval* Tab. VIII. p. 42.

denique, mirus in arte scenica artifex, quod in Hecyra Terentii semper admirati sunt arbitri idonei, ut, quod Donatus ibi in argumento animadvertit, *res novae fiant, nec tamen abhorreant a consuetudine*, idem pulchre effecit in milite suo *Telhemio* adumbrando, qua de re dignum est, quod probe perpendatur, Lessingii Vratislaviensis iudicium in vita fratris, T. I. p. 237. seqq.

XVII.

QUID SIT DOCERE FABULAM

PROLUSIO PRIOR *).

2 Tralatitium est et virorum doctorum, qui commentarios in auctores veteres composuerunt, animadversionibus saepissime inculcatum, verbum *docere* cum derivatis et relatis suis *discere*, *condiscere*, *discipuli* cet. peculiare sibi domicilium fixisse in re scenica. *Docent* poëtae fabulam, quam in scenam populo spectandam proferunt, actores *discunt* eandem fabulam, ideoque appellantur *discipuli* **). Acceperunt Romani has cognatorum verborum

*) Prodiit Vimariae a. 1795.

**) Cic. in Bruto c. 18. „Livius primus — *fabulam docuit*, anno ipso, quo natus est Ennius" (i. e. A. V. 513.) quod iisdem fere verbis enuntiavit Gellius XVII. 21. „primus omnium *L. Livius poeta fabulam docere* Romae coepit." Et quem fugit versus Horatii in arte 288. „Vel qui praetextas, vel qui *docuere* togatas." Monent ad Ciceronem *Corradus*, ad Horatium *Lambinus* et *Cruquius docere* more Graeco esse διδάσκειν, δραματουργεῖν. Hinc apparet, quomodo accipienda sint verba illa Suetonii *de clar. grammat.* c. 1. ubi Livius ille primus fabularum doctor et Ennius *utraque lingua domi forisque docuisse* perhibentur. Statium hoc de fabulis, quas Graece Latineque docuerint Livius et Ennius, explicantem reprehendere non debuisset *Casaubonus* p. 355. ed. Burm. Puto, utrumque poetam in magna Graecia et Sicilia (i. e. *foris*) docuisse in Graecis theatris Graecas fabulas et hinc intelligi, quaenam fuerint palliatarum fabularum Romae initia. Porro autem observandum est in hac phrasi: *docent poetae fabulam*, semper subaudiendum esse *actores*, *gregem comicum*, *histriones*. Hi enim *discere* dicuntur. Sic actor, qui prologi personam sustinet in Terentii Hecyra 48. „date silentium — mihi ut *discere novas* (sc. fabulas) expediat," ubi Donatus: *proprie discere*, *docet enim poeta*, *discit scenicus*; cf. Prolog. Heaut. 10. Hinc actores appellantur *discipuli* apud eundem poetam in Andr. III, 1. 19. ubi herus Davum, qui totam fabulam ad fallaciam instruxisse putatur, interrogat: *etiam immemores discipuli?* Alia dabit P. *Burmannus* ad Petron. c. 117. p. 542. Verba Petronii, ubi lepidissimus mimus ad frustrandos haeredipetas instruitur: elatam ab Eumolpo filium pariter *condiscimus*. Ergo con-

significationes a Graecis, a quibus totum fabularum secundum leges artis Graecae compositarum choragium et σκευοποιΐαν migrasse in Latium, non est quod multis demonstremus. Ecquis autem ignorat hodie, ab ipsis fere artis scenicae primordiis et incunabulis poëtas apud Graecos dictos esse διδάσκειν δράματα, qui fabulas populo spectandas darent, eosdemque dictos esse διδασκάλους, adiecto saepe genere carminis, in quo cerneretur illorum opera, ut adeo τραγῳδοδιδάσκαλοι, κωμῳδοδιδάσκαλοι, κυκλιοδιδάσκαλοι sint poetae, qui tragoedias, comoedias vel cyclia s. dithyrambica carmina docerent *). Nec quemquam praeterire poterit, quam late pateat vocabulum, ex hac re ductum, διδασκαλίας, quod primum de ipso poëtarum dramaticorum studio in componendis docendisque fabulis adhibito dictum transiit deinde ad grammaticos, libros suos, quibus in poëtarum scenicorum fabulas inquirebant et quo tempore et loco actae illae essent, eruebant, διδασκαλίας inscribentes **).

---

discere, συμμανθάνειν dicuntur actores eiusdem ludi seu gregis, qui partes unius fabulae simul *meditantur*. Nam et hoc verbum scenicum, vid. Plaut. Pers. IV, 2. 5. iidemque dicuntur *condocti* in loco luculento Plauti Poen. III, 2. 4. ubi servus Milphio exhortatur Collybiscum villicum: *fac modo ut condocta tibi sint dicta ad hanc fallaciam*. Respondet alter: *Quin aedepol condoctior sum, quam tragoedi et comici*, ubi vide, quae ex *Pulmerio* excerpsit *Taubm.* Et cum inter poëtas, qui Graecas literas discerent, scenici apud Romanos essent antiquissimi, hi primum *docti* appellati sunt, quod deinde solemne omnium poëtarum factum est elegiam. v. *Brockhus.* ad Tibull. IV, 6. 2.

*) Iuvat audire veteres Lexicographos. Hesych. s. v. T. I. c. 978. πᾶς ὁ ἐνεργῶν τι περὶ τὴν δραματοποιΐαν καὶ τῶν κυκλίων χορῶν παρασκευήν. Disertius Harpocration s. v. διδάσκαλος: ἰδίως διδασκάλους ἔλεγον (Attici sc. supplet Etymol. M. s. v.) ποιητὰς τῶν διθυράμβων, ἢ τῶν κωμῳδιῶν, ἢ τῶν τραγῳδιῶν. Fuit igitur hoc Atticis, apud quos, si a Siculis discedas, solos efflorait poesis dramatica, hoc proprium, ut poetas, qui in hoc genere elaborarent, *doctores* adpellarent. Atqui Herodotus iam de Arione dithyrambici carminis auctore et de Phrynicho antiquissimo post Thespin poeta tragico verbo διδάσκειν usus est I, 23. VI, 21. Et sic de eodem Phrynicho in inscriptione, quam memoravit Plut. in Themistocl. c. 5. T. I. p. 283. Hutten.

**) Docte et copiose hoc primum aperuit *Casaub.* ad Athen. VI, 7. p. 413 — 16. Nimirum διδασκαλία primum est ipsa institutio, qua quid ad chorum et scenam pertineat monstratur. Sic Lucian. de Salt. c. 11. T. II. p. 274. commemorat canticum Laconicum, cuius verbis *institutio* continetur, quomodo sit saltandum, διδασκαλίαν ἔχει. Deinde fabula vel carmen dithyrambicum, quod poëta in scenam inducit, idem nomen invenit. Sic carmine melico cum vicisset Simonides octagenarius senex, dicitur in epigrammate apud Plut. *an Seni sit ger. resp.* T. II. p. 786. A.

4 Sed quamvis haec neminem hodie fugiant, qui vel Lexicon aliquod melioris notae consulere possit, pauci tamen reperiuntur, qui fontes et origines significationis in pluribus vocabulis per utramque linguam tam late fusae, diligentius explorare et ex moribus populi, apud quem prima artis scenicae incunabula fuisse vulgo statuunt, explicare conarentur. Quin recentissimis temporibus, in quibus Francogalli inprimis verbosos de arte scenica Graecorum composuerunt commentarios, vix ullum invenire potui, qui rem tantillam paucis verbis declarare haud gravaretur *). Paucis igitur quid nobis hac de re visum sit, disseramus. Quod si cuiquam hoc argumentum nimis tenue et ieiunum videatur, is cogitet, quaestionem hanc arctissime coniunctam et copulatam esse cum universa illa de re scenica Graecorum, eiusque originibus disputatione, quam tantis tenebris offusam et obscuratam esse passim conqueruntur viri in his literis facile principes, ut quicquid opellae in illis dispellendis contuleris, non frustra tamen ungues rosisse et vetusta exemplaria volutasse videaris **).

---

consequutus esse gloriam ἀμφὶ διδασκαλίῃ. Et sic διδασκαλίου appellantur Antigone et Electra, fabulae Sophoclis, a Dioscoride in Analect. T. I. p. 500. XVIII. Tandem accipitur pro eo scripto, quo temporum locorumque notationes in singulis fabulis observantur. Primus *didascalias* eiusmodi scripsit Aristoteles, quem agmine facto mox sequuti sunt Alexand. Grammatici. Saepissime hoc sensu vox occurrit in scholiis Aristophanis. Loca diligenter laudavit *Wouwerius* in utilissimo libello, digneque, qui novis curis perpoliatur, *de Polymath.* c. 12. p. 130. Habuerunt nature Romani etiam librum, quo haec tractarentur. Nam, qui passim a Gellio, Nonio, Charisio laudatur *Accii didascalicus*, haec omnia complexus est, quod docte iam observavit *Joh. Mercerus* in notis ad Nonium s. v. *redhostit* p. 113. edit. Sedan. Alia dabit *Odericus* in epistola *de didascalia marmorea* Rom. 1777.

*) Sic qui *Brumoei* opus, quod theatrum Graecorum inscribitur, nuper luculentis commentariis collocupletarunt et sex voluminibus auctum prolo iterum subiecerunt, *Rochefortius*, *Thierius* aliique, hunc locum *Vol.* I. et X. explicandum, siccis, quod aiunt, pedibus transierunt. Nec quicquam lucis attulit, qui post illos haec iterum sub examen revocavit, *Barthelemius Voyage d. j. An.* ch. LXIX. LXX. Poenitet sane operae, his voluminibus diligenter evolvendis impensae.

**) Uno exemplo sententiam meam declarabo. Omnes, qui de re scenica Graecorum scripserunt, *tetralogiis* certasse Tragicos affirmant. Sed quotusquisque rationem se istarum tetralogiarum probe cognitam et perspectam habere, impune gloriabitur? Legat aliquis Dacierii aliorumque ad Aristotelis poeticen somnia, et se multo incertiorem, quam antea, inde rediisse fatebitur. Saniorem haud dubie rationem Perizonii ad Aelianum docte et acute nuper ornavit, cui elegantissimam debemus Poetices Ari-

Omnis fabularum tum tragicarum, tum comicarum origo derivanda est e choris, seu saltationibus sacris, quae valde antiqua et Thesei iam aetate, quantum coniectura assequi possumus, in terra Attica Liberalibus, Minervalibus, aliisque diebus festis et anniversariis in honorem deum celebratae fuerunt. Iam cum praecipuus deorum cultus choris hisce contineretur, et rei publicae interesset, ut chori splendidissime liberalissimeque instruerentur, mature res ad aemulationem opulentiorum civium deducta est, ut tributim eligerentur divites, qui sumtibus suis choros instruerent, exornatosque et de victoria invicem concertaturos committerent. Haec est χορηγία illa in oratoribus et historicis Atticis toties commemorata, quam egregie illustravit *Wolfius* ad Demosthenis Leptineam in Prolegg. LXXXIX — XCI. Porro autem bipartito divisi fuerunt isti chori. Fuerunt vel scenici, vel dithyrambici, qui cyclici etiam audiebant. Utrumque genus *saltatione* cernebatur et *cantu*. Qui cyclicis choris cantus subministrarent, fuerunt poetae dithyrambici, iidemque διθυραμβοδιδάσκαλοι, quorum indoles optime perspicitur e fabulis Aristophanis, ubi acerrime exagitantur in Pac. 835. in Nub. 223. et inprimis in Av. 919. ubi cf. *Beck*. Nec ullum mihi dubium est, quin antiquitus iidem poetae, qui cantum docerent cyclium, artem saltandi etiam exercuerint, et praemonstrarint χορευταῖς. At procedente tempore haec postrema provincia cessit aliis artificibus, qui proprie χοροστάται vel ἐπιστάται appellati sunt. Et cum iidem χοροδι-

---

stotelicae illustrationem, *Twiningius Notes on Aristotle's Treatise on poetry* not. 216. p. 475—480. Sed multa tamen sunt, quae quomodo cum sententia ista concilies, vix apud animum tuum exputes, verbi causa, quod Plut. T. II. p. 785. B. ex Eratosthene et Philochoro narrat, Polum celeberrimum aetatis suae tragoedum octo tragoedias *continuo quatriduo* egisse. Caeterum ingenue fateor, animum mihi ad haec, quae supra proposui, diligentius excutienda addidisse *Wolfium*, Virum Summum, in Prolegg. ad Homerum p. CIII. haec observantem: *Post ea, quae e Lexicographis a nonnullis viris doctis breviter, et a Casaubono ad Athenaeum didascaliarum causa notata sunt, nemo, quod sciam, in hanc rem accurate inquisivit, exspectatque ea adhuc lucem suam cum multis aliis, quae ad ludos scenicos Graecorum pertinent.*" Paucis, sed praeclare et accommodate ad sententiam nostram rem attigit *Twiningius* in libro laudato not. 163. p. 416. Sed rem totam iam ea, qua pollet, sollertia aperuit Wolfius l. l. Quae ille nude posuit, ego amplificanda et auctoritatibus confirmanda esse putavi.

δάσκαλοι et simpliciter διδάσκαλοι appellarentur, factum est, ut quoties διδασκάλων in choris cyclicis mentio fiat, nos ambigui haereamus, utrum de poeta an de saltandi artifice sermo sit *).

6 Eadem plane ratio fuit in choris scenicis, nisi quod illis poetae antiquiores, Thespis, Aeschylus, Sophocles in tragicis, Susarion, Phormis aliique in comicis paulatim addiderunt actores et interloquutores, et sic tragoedias, comoediasque inde effinxerunt. Et mansit choris propter religionem veterem et commissionem certaminum a choragis administrandam tum quoque summa auctoritas, cum poetae propter λέξιν fabulae (ut appellat Aristoteles, i. e. eam partem, quae proprie dialogum fabulae contineret, et pronuntiaretur ab actoribus, τὰ ἰαμβεῖα: das *Recitativ*, v. *Twining's Notes* p. 293. seqq.) iam dudum choros in arctiorem gyrum redegissent et fabulae actioni subservire iussissent, ita ut *chori* nomine tota saepe intelligatur fabula scenica **). Quaerimus ergo, ecquid moliti sint poetae in choris et fabulis scenicis adornandis, ut dicerentur *docere fabulas?*

Hic primum illud probe teneamus oportet, poetas scenicos antiquissimos non tantum fuisse auctores, sed etiam

*) Sic in Inscriptionibus agonisticis, quas publicavit *Spon in Voyage de Grèce et du Levant* T. II. p. 399. seqq. ubi de victoria in choris cyclicis a singulis tribubus reportata sermo est, verbum ἐδίδαξεν de *artifice saltandi* accepit *van Dale* in Dissertt. ad Marm. Antiqu. VIII. 5. p. 672. seqq. Sed si analogiam sequamur earum inscriptionum, in quibus chori scenici commemorantur, ubi ἐδίδαξεν aperte dicitur de poeta, cantum et fabulam docente, (ut in illa apud Plut. in Themistocle c. 5. ubi est Φρύνιχος ἐδίδαξε) hic quoque in choris cyclicis didascalum interpretabimur poëtam dithyrambicum. Et confirmatur hoc loco memorabili apud Pausan. IV, 4. p. 465. ed. *Facii*, ubi poeta Eumelus Messenius, qui χορὸν ἀνδρικὸν in Delum ducerent, ἐδίδαξεν ᾄσμα. At dubitare non possumus, illum διδάσκαλον χορεῦ, quem ab impotentissimo homine, Midia, corruptum sibique abductum esse clamat Demosthenes in Midiana p. 520, 6. *Reisk.* doctorem tantum artis saltandi fuisse, sive ut vulgo appellabatur, χορεστάτην.

**) Non simpliciter tamen, sed ratione choragi habita, qui poëtae sumtus ad omnem apparatum scenicum, quo chori et fabulae instruerentur, suppeditaret, κατασκὰς χορηγὸς παραφθοῖς, ut est apud Lysiam p. 699. Reisk. Sic respectu choragi χορὸν αἰτεῖν dicitur poeta, qui tribui alicuius choragio drama offerret, cui respondet χορὸν δοῦναι in fragmento Cratini apud Athen. Aristoph. Ran. 94. et διδάσκειν χορηγῷ. v. *Casaub.* ad Athen. XIV, 9. p. 907. et, qui inde profecit, *Kuster.* ad Aristoph. Equ. 510.

res earum, quas composuerant, fabularum *), et
soli illis agendis non sufficerent, conciliasse sibi gre- 7
aliquem saltatorum actorumque, quos variis exercita-
ibus instructos et *condoctos* producerent in scenam.
ον appellat hunc gregem Istrus in *vita antiqua Sopho-*
**), ubi refert Sophoclem ita inserviisse actoribus *suis*,
abulas componeret indoli et dexteritati illorum callide
tas et attemperatas, quo factum sit, ut exquisitum Mu-
m inde colligeretur sodalitium. Hinc passim in vitis
cipum illorum tragoediae poetarum commemorantur
res, qui semper operam illis dederint in saltandis agendis-

) Nolo repetere, quae *Brumoeus*, *Hurdius*, aliique bene multi de
trariis Thespidis et Susarionis fabulis monuerunt, fuisse gregem lu-
m, qui per compita urbis et vicorum fabulas qualescunque una cum
tris suis Thespide cet. agerent, circumforaneis histrionibus (quos
britanni *strolling players* appellant) recentiorum temporum similem.
, si rem diligentius pensites, haec vix inter se comparari posse in-
s. Certamen iam tum institutum fuit musicum. Praemia fuerunt
et fiscina ficuum. v. Dioscoridis epigramma in Analect. T. I. p. 497.
Et nescimus, an longe remotiora fuerint fabularum scenicarum ini-
quam vulgo putatur, cum in rhapsodorum recitationibus et διδασκα-
diu ante Solonis et Thespidos tempora iam artis dramaticae semina
fuisse, consentaneum sit, quo pertinere videtur locus Platonis in
T. VI. p. 140. Bip. ubi Minos Thesei iam aetate in scenam inductus ad
res et rhapsodos referendus esse videtur. Cf. *Jacobs* V. Cl. in dis-
ione de Aeschylo *Beiträge zu Sulzer* II. p. 397. Nam *Valetti* dis-
iones super eadem re, quas laudat *Harlesius* ad Fabric. Bibl. Gr.
p. 161. mihi oculis usurpare nondum contigit. Quin ipse Thespis
apsodorum familiam pertinuisse videtur, et recte appellari κιθαρῳ-
v. Schol. ad Aristoph. Vesp. 1470. collato *Bentleio* in resp. ad
p. 297. Lips. Utcunque tamen hoc disertis veterum testimoniis
omnem positum est controversiam, antiquiores poetas actitasse ip-
quas composuissent fabulas. Luculenter id apparet ex Aristotele
III, 1. p. 698. ubi, quod valde iuvare videtur sententiam a nobis
propositam, τὴν ὑπόκρισιν *actionem scenicam* tragoedorum et rha-
rum propriam esse dicit et addit: *poëtas ipsos egisse olim fabulas*
ὑπεκρίνοντο αὐτοὶ τὰς τραγῳδίας οἱ ποιηταὶ τὸ πρῶτον, quo loco
etiam est ad hanc rem confirmandam *Twiningius* in libro saepius
to p. 377. Idem manifesto apparet e vita vetere Sophoclis p. X. edit.
k., ubi narratur abolevisse morem istum, quo fabulas suas agere
everant ipsi poëtae, propter exilitatem vocis. Adiicit deinde: πάν-
ρ καὶ ὁ ποιητὴς ὑπεκρίνετο. Bis tamen in fabulis suis Thamyrin
usicaam saltasse dicitur, v. Athen. I. 17. p. 20. F. et qui more suo,
, ingeniose haec illustravit, *Lessingius* in vita Sophoclis p. 359.
Opp. T. XIV.

) Notatu dignissima sunt verba p. X. lin. 10. edit. *Brunck.* ταῖς
αις θίασον ἐκ τῶν πεπαιδευμένων συνήγαγεν. Doctum discipulum
achi (is enim fuit Ister, v. Vossius Hist. Gr. IV, 12. p. 469.) agno-
cile in usu vocis Θίασος, quam Hesychius χοροῦ σύστασιν inter-
ur. Vide, quos laudarunt *Alberti* ad Hesych. T. I. c. 1717. et *Hud-*
ad Moerin p. 27.

que, quas ipsos docuissent, fabulis. Talis fuit Telestes, chorícus ille saltator, qui e grege Aeschyli, teste Aristotele apud Athen. I, 18. p. 22. A. pulcherrime saltavit fabulas Aeschyli, et exsplenduit in primis in ea, quae septem contra Thebas inscripta est. Talis etiam Cephisophon, Euripidis *ὑποκριτής*, qui interdiu poetae in fabulis eius agendis, et noctu uxori eius in furtis Venereis operam dedisse dicitur (vid. Thom. Mag. in vita Euripidis p. LI. edit. Barnes. et *Bergler.* ad Aristoph. Ran. 975.). Atque huc referendi sunt etiam Callistratus et Philonides, *δι' ὧν ἐδίδαξε τὰ δράματα* 8 Aristophanes, ut narratur in vita eius p. XIV. edit. Kuster *). Ex his omnibus recte nobis colligere posse videmur, poëtas istos *antiquiores***) habuisse greges *scenicorum* in perpetuum sibi addictos et quasi emancipatos, quorum operam locarent choragis, nec multum discrepasse a magistris cohortis scenicae, quibus nostra theatra hodie curae cordique sunt (Itali un *Impresario*, Britanni a *manager*, nostrates vocabulo Francogallico un *directeur* appellant).

Iam vero grex ille, quem sibi adsciverat poëta scenicus, conflatus esse debuit e saltatoribus, qui choros ducerent, et actoribus, qui fabulam decantarent (*χορευταὶ* et *ὑποκριταὶ* seu, si Latinorum usum sequi malis, quem docte enucleavit Salmasius ad Scriptt. Hist. Aug. T. II, p. 842. *histriones* et *cantores*). Duplex igitur munus fuit poëtae fabulam tragicam seu comicam in scenam producturo. *Primum* instruendus illi fuit chorus, ut quicquid ad chori *ἐμμέλειαν* pertineret, apte et numerose procederet, ut cantibus a *coryphaeo* ***) recitandis chironomia, gestus et con-

*) Interdum isti *ὑποκριταί* in ludo scenico magni alicuius poëtae tantum proficiebant, ut ipsi evaderent poëtae, veluti Crates, qui Cratini primum actor fuit, dein ipse quoque fabulas docuit. Videantur schol. ad Aristoph. Equ. 535. et *Vales.* ad Harpocrat. in notis ad Mauss. p. 117.

**) Hoc probe notandum. *Posterioribus enim temporibus*, in tragicis certe fabulis sortitionem fuisse actorum apparet ex Hesychio T. II. c. 666. s. v. *νέμησις ὑποκριτῶν* secundum emendationem *Hemsterhusii* ad Lucian. Tim. c. 51. T. I. p. 167.

***) Semper enim choro modum dabat magister, praesul, *ἔξαρχος καὶ ἡγεμών*. Sed in his multum turbatum est a viris doctis, qui choros cyclios s. dithyrambicos non distinxerunt a choris scenicis. In choris cyclíis, qui choro modum daret, et auspicaretur carmen (*ἐνδόσιμον*, v. *Gesner.* ad Lucian. Rhet. Praec. c. 13. T. III, p. 14.), cui reliqui accinerent, fuit *μεσόχορος* in media saltantium corona constitutus, de qua voce

versiones saltantium pulchre congruerent, ut nova σχή- 9
ματα, quae victoriae ab ἀντιδιδασκάλοις reportandae cupidus excogitasset poëta, dextre saltarentur et id genus alia. Quae quidem omnia cum praemonstraret poëta, *docebat chorum*, erat χορoποιός (Poll. IV, 106.) vel χορηγός ea significatione, quam antiquissimam fuisse e Demetrio apud Athenaeum constat *). Quod ne temere affirmasse videamur, cavent exempla Phrynichi, Aeschyli, et vetustissimi cuiusque poetae dramatici, passim a veteribus hoc nomine laudatorum, quod choros suos novas saltationes, nova σχήματα docuerint. Phrynichum ob inconditas eiusmodi et ineptas gesticulationes, quas ludiis suis tradiderit, salse ridet Aristophanes, cuius loca collegit et docte illustravit *Bentleius* ad Phalarid. Epp. p. 298. seqq. Lips. Sic Aeschylus apud Athen. I, 18. p. 21. E. multa novasse perhibetur in gestibus et saltationibus choricis, ubi statim annectitur luculentum in hanc rem testimonium Chamaeleontis, qui refert πρῶτον αὐτὸν σχηματίσαι τοὺς χορούς ὀρχηστοδιδασκάλοις οὐ χορεύμενον, quo quidem loco disertius nil cogitari potest (cf. *Salmas.* ad Scriptt. H. A. T. II. p. 836.). Rem conficit eiusdem Athenaei testimonium l. l. p. 22. A. ubi antiquissimi poetae Thespis, Pratinas, Cratinus, Phrynichus

docta est observatio H. *Valesii* ad Amm. Marcell. XIV, 6. p. 23. Gron. In choris scenicis, ubi κατὰ στίχους καὶ ζυγά (v. *Spanhem.* ad Iulian. Caes. p. 89. 90. Heus.) prodirent, praesul et praecentor appellatus est χορυφαῖος. Hoc discrimen cum non observaret ipse *Salmasius* in excursu eruditissimo ad Scriptores historiae Augustae, passim in fraudem induxit posteriores, qui hoc fonte areolas suas irrigarunt, *Burettium*, *Rambachium*, aliosque, qui de orchestra Graecorum scripserunt. Isti igitur Coryphaei, cum desiissent poëtae choros docere, paulatim facti sunt ipsi διδάσκαλοι, unde cum illis saepissime confunduntur. Locus illustris est in Midiana Demosth. c. 17. p. 32. *Spalding.* ubi Sannio est ἡγεμὼν χορυφαῖος, quod non tentare debuissent Intt. Caeterum observandum etiam, didascalorum choricorum proprium verbum esse συγκροτεῖν, cum modum darent ictibus ad numerum compositis. Hinc in scholiis vet. explicatur διδάσκειν, vid. ad Hesych. T. II. c. 1288, 20. unde reliquae significationes (v. D'Orvill. ad Charit. p. 251. Lips.) facilius expediri poterunt.

*) V. Athen. XIV, 8. p. 633. B. ubi Demetrius Byzantinus docet, choragos prisco sermonis usu significasse τοὺς καθηγουμένους τοῦ χοροῦ, non eos, qui commissiones facerent sumtibus suis. Dubitat ibi Casaubonus p. 903. an uspiam reperiatur hac antiquiore virtute positum. Sed e Spartano apophthegmate (Dores quippe tenaciores fuerunt antiquioris loquendi usus) exemplum attulit *Hemsterhus.* ad Aristoph. Plut. p. 332. b. et exempla eiusmodi spectavit haud dubie Pollux IX, 41., ubi vide doctam. *Hemsterhusii* notam p. 1005. et *Bentleium* ad Horat. IV. od. 6. 25.

ὀρχηστικοὺς appellatos esse, eosdemque extra suas fabulas alios quoque choros erudiisse, affirmatur. Quin sequenti adhuc aetate Sophocles librum de choro recte instituendo composuisse dicitur; vide vitam eius apud Suidam s. v. Caeterum Aristophanis iam aetate paulatim consenuisse et exolevisse videtur ista consuetudo, ut ipsi poetae saltandi artem traderent choris. Sed innumera tamen in ipso choragio instruendo, quo nil luculentius splendidiusque cogitari potest in effusa Pericleae aetatis luxuria, in constituendis variis saltationum generibus (haec enim semper relicta fuisse poetarum arbitrio e pluribus patet Aristophanis locis, v. c. in Nub. 540.) et id genus aliis tunc quoque, cum chori disciplina peculiaribus tradita esset magistris, *doctorem* desideravisse *poetam*, non est, quod multis demonstremus.

Sed restat alterum, in quo vel maxime cerneretur industria magistri et *doctoris* in poeta dramatico *). Non saltabatur tantum fabula in ea parte, quae choris perficeretur, sed recitabantur etiam versus poetae, quos eo diligentius memoriae infixisse et addidicisse actores probabile est, quo minus in adventitio aliquo praesidio spes suas suspensas habuerunt. Istiusmodi enim hominis, qui proscenii occulto in angulo delitesceret et, si quid titubatum esset ab actore, de scripto statim praeiret et subiiceret (quo ficulneo sane adminiculo nostratium histrionum labascens fulcitur memoria) nullum apud antiquos apparere vestigium **), nemo mirabitur, qui vel structuram veterum theatrorum perceperit. Itaque dispiciendum nobis erit et inquirendum, quo pacto *cantores* s. ὑποκριταὶ ista didicerint. Quod si cogitemus, origines rei scenicae apud Graecos secundum vulgarem sententiam incidere in ea tempora, in quibus tenuia admodum essent scribendi initia (Thespis secundum marmor Oxoniense

*) [Habemus exemplum poetae Agathonis chorum docentis apud Aristophanem Thesm. 101. seqq. EX ADD.]

**) Nisi quis poëtam ipsum in postsceniis, dum fabula ageretur, commorantem et si quis ex improviso casus incideret, in commune consulentem huc trahere velit. Id enim factitatum esse a poetis, vel ex pervulgata apud Senecam ep. 115. p. 490. Paris. historiola Euripidis in medium prosilientis, et populum impios in Bellerophonte fabula versiculos indigne ferentem compescentis, satis constat. Pertinuit hoc ad διδασκαλίαν poëtae. Sed verba singula actoribus nunquam in scena subministravit.

primum fabulam docuit Olymp. LX, 4.) et praeter leges, acta publica et epigrammata cippis, statuis, tabulisve insculpta vix quicquam scriptura consignaretur *), facile nobis persuaderi patiamur, eandem rationem, quae in reliquo- 11
rum poetarum, epicorum, lyricorum, gnomicorum carminibus propagandis recitandisque obtineret, perpetuo adhibitam fuisse ab antiquioribus fabularum scenicarum auctoribus. Rhapsodi, quorum studia et ἐνδείξεις latissime patuerunt, nec Homerum tantum et epicos complexa sunt, carmina praestantissimorum poetarum ab aliis eiusdem ordinis hominibus viva voce accepta et crebris meditationibus usuque diuturno memoriae penitus infixa in publicis populi conventibus, diebus festis et παννυχίσι ita recitabant, ut scriptis libellis neutiquam indigerent, aliosque e memoria

*) Comparet aliquis cum Thespidis fabulis plaustrariis Solonis leges, ligneis tabulis et axibus insculptas, et haec σύγχρονα probe apud animum reputet. Atque idoneis argumentis evicit iam *Bentleius* in Dissertt. ad Phalarid. p. 281. seqq. Lips. nullam Thespidis fabulam *scripto* editam fuisse. Quin ne Hipparchi quidem aetate, septuaginta fere annis post Solonem, scribendi scriptaque legendi ars multum frequentata esse videtur Atheniensibus. Omnino consuluisse iuvabit, diuque et multum perpendisse, quae subtiliter et acute disputavit *Wolfius* in Prolegg. ad Hom. p. LX. seqq. Unum est, quod valde labefactare et convellere possit totam hanc disputationem, si verum esset, quod *lege Solonis* sancitum fuisse diserte tradit *Petitus* de LL. Att. II, 4. p. 239. ed. *Wessel.* ut omnes pueri discerent literas in ludis literariis. Sed temere hoc affirmavit Petitus, quem bona fide sequuti sunt qui nuper de educatione iuventutis Atticae copiose disseruerunt *Meiners Geschichte der Wissensch. in Griechenl.* T. II. p. 56—59, et Cl. *Beckius Examen causarum*, cur liber. art. a philos. negl. p. 18. 19. Scilicet posuit hoc Petitus nulla idonea auctoritate nixus. In legibus Solonis, quae recitantur apud Aeschinem in Timarch. p. 36, 31. seqq. *Reisk.* verbum nullum de grammatistis. Nec, quod mireris, ullam *primae literaturae*, ut Latini haec elementa appellabant, mentionem factam reperias in loco classico Isocratis in Orat. Areopag. p. 217. *Wolf.* Nam quae e Platonis Protagora T. III. p. 118. ed. Bip. et Arist. Polit. VIII, 3. p. 57. ed. *Reis.* laudari solent loca, quibus omnes pueros elementa literarum didicisse manifesto declaratur, ea nil amplius demonstrant, quam Platonis et Aristotelis temporibus valuisse hoc institutum. Ut verbo dicam, cui probando iustae molis volumen vix sufficeret, vix puto ante finita bella Persica (circa Olymp. LXX.) γραμματιστὰς in ludis literariis haec ex professo tradidisse omnibus. Antiquioribus temporibus pleraque memoriter recitata esse arbitror, dictante et praecinente magistro, cui, si lauta supellectile libraria instructus esset, ad praelegendum suppeteret *unum* exemplum Homeri, Hesiodi cet. Trita est fabula de Alcibiade, in ludo literario ne unum quidem exemplar Homeri reperiente. Sed post Themistoclis tempora, aetate Aeschyli, Anaxagorae, Cimonis dubium non est, quin pauperrimi etiam Athenis didicerint *legere et scribere*. Locus illustris est apud Aristoph. Equit. 188. cf. Ran. 1114. et in vulgus notum est proverbium de Atheniensibus post cladem Syracusanam: ἦτοι τέθνηκεν, ἢ δεδάσκει γράμματα.

eadem docerent, quae ipsi auscultando, non scriptos codices legendo olim arripuerant *). Pari modo qui fabulam scenicam primi choris aptavissent, non poterant aliter actoribus, quos sibi conciliaverant, eam tradere, quam ut voce ad modulationem carminis inflexa versus singulos praeirent et dictata inculcarent, donec *discipulos* haec probe perdidicisse satis liqueret. Qui mos novas fabulas artificibus scenicis tradendi cum semel invaluisset, ne tum quidem abrogatus esse videtur, cum procedente tempore ars scribendi per universam Graeciam magis magisque frequentaretur, et
12 instrumenta scripturae idonea salubriori pretio ubique comparari possent **). Nam cum semel intellexissent, quantas

*) Digni omnino erant ἀοιδοί et rhapsodi Graeci, qui post *Salmasii*, *Kusteri* aliorumque curas iterum sub examen revocarentur, cum omnes literaturae Graecae origines inde repetendae essent. De cantoribus aetatis Heroicae elegans est disputatio *Lenzii* V. cl. in *Supplement. ad Sulzeri Theor.* Vol. II. P. I. p. 5. seqq. De rhapsodis nonnulla monuit nuper *Merianus* in *Mémoires de l'Academie des Sciences de Berlin* anni 1789. p. 516. seq. Sed omnibus hic quoque palmam praeripuit et quam late haec pateant, monstravit *Wolfius* in Prolegg. Homericis. Duo tantum indicasse sufficiat, quibus quam diu rhapsodorum more omnia administrata fuerint, liquido patebit. Rhapsodi fuerunt, qui recitarent Olympiae Dionysii carmina. Diod. XIV, 109. T. I. p. 724. ubi v. *Wesseling*. Decantavit Herodotus epicam historiam de bello Persico in Olympico certamine, ἀγωνιστὴς ἄδων τὰς ἱστορίας, (Lucian. Herod. 1. T. I. p. 833.) et centum viginti annis post eandem Alexandriae *egit*, ὑπεκρίνετο, Hegesias Comoedus teste Iasone apud Athen. XIV, 3. p. 620. D.

**) Sic Sophocles, cum *praelegeret* actoribus Antigonen et vocem nimis intendisset in versibus uno spiritu recitandis, subito obhaesisse dicitur et vocem cum anima amisisse a Satyro in vita antiqua p. XI. lin. 13. ed. *Brunck*. Nec ullum mihi dubium est, quin Euripides pari modo fabulas actoribus suis tradiderit. Has scholas scenicas interdum invisisse videtur Socrates, qui Euripidis fabulis valde delectaretur. Aelian. V. H. II, 13. Hinc orta suspicio, ἐδόκει συμποιεῖν Εὐριπίδῃ (una *scribere* in eadem accusatione fortasse eadem occasione orta, Terent. Adelph. Prol. 16.) Diog. II, 18. cf. *Gillies History of Greece* T. II. p. 277. in nota. Qua re lux affunditur historiae, quam memoriae proditam legimus apud Ciceronem Tusc. IV, 29. *Cum Orestem fabulam doceret Euripides, primos tres versus revocasse dicitur Socrates*. Diu male me habuit hic locus, cum Socratem hoc sibi arrogasse in pleno theatro coram toto populo in animum inducere vix possem. Novi *revocatos* esse actores ab universo populo, v. *Abram.* ad Cic. pro Sext. 58. T. V. p. 177. Graev. Sed desidero exemplum, ubi unus id ausus sit, et expedita sunt omnia, si hoc a Socrate factum esse putes, cum praelegeret hanc actoribus Euripides. Menandri vero et novae comoediae aetate nondum exolevisse hanc consuetudinem, docet epistola Alciphronis, qui totus pendet ab illa, quam diximus, aetate. Narrat famelicus quidam parasitaster, nomen se dedisse Lexiphani poetae comico, qui cum explorasset eius ingenium, receperit illum in gregem comicum, τῷ χορῷ τῶν κωμικῶν συλλαμβάνει. Deinde iussum se esse *discere* partes servuli in comoedia, quas vix tandem medi-

commoditates ea res haberet, aegre se adduci passi sunt actores, ut quae ediscenda essent, in tabellis exararent transcriberentque. Circumsidebat histrionum grex, si nova fabula discenda esset, poetam aut alium quemcunque, cui poeta volumen illud, in qua fabula perscripta esset, tradiderat (ὑποδιδάσκαλος) *). Is praelegebat cum cantu et modulatione vocis fabulam, et quae ad actionem scenicam et ὑπόκρισιν in locis cum virtute pronuntiandis vim aliquam haberent, intelligenter suggerebat. Sequebatur praelegentem is, cuius partes cum maxime recitarentur, et tantisper repetebat, dum memoriter et concinne reddere posset, quae tradita essent, omnia. Miram haec res habuit in summa simplicitate facilitatem et rei, cui studerent, bene gerendae opportunitatem, quam seculis etiam a nostra memoria pro- 13
pius remotis Phonasci illi Germaniae nostrae, vulgo magistri cantilenae (*Meistersaenger*) appellati, diu in scholis suis more de manu in manum tradito consectati esse perhibentur **). Nam ut hoc unum attingam, facile est ad in-

---

tationem exercitatione firmans arripuerit. Sed non pigebit perlegisse totam epistolam. Apposite enim ibi narrantur omnia. Huc denique referendam esse puto legem Lycurgi oratoris, quae fabulas Aeschyli, Sophoclis et Euripidis praelegere iuberet actoribus, ἀναγινώσκειν τοῖς ὑποκρινομένοις. Plut. in vit. X rhetor. T. II. p. 841. F. quamquam ulcus latere puto in illo loco, ubi additur: *non licuisse reducere in scenam illas fabulas*, quod quidem aperte repugnat disertis veterum testimoniis, quibus choragis fabulas Aeschyli quotiescunque luberet repetendi potestatem factam esse testatissimum est, vid. *Stanleium* ad vitam Aeschyli p. 702. ed. Lond. et *Barthelemium Voyage d. j. An.* T. VII. p. 261.

*) Proprie sic vocabatur, qui magistri in choris cyclicis vices sustineret. v. Hesych. s. v. et Poll. IV, 106. sed latiore significatione ad omnes translatum est, qui διδασκαλίαν alterius loco susciperent. v. *Intt.* ad Cic. ad Div. IX, 18. in fin.

**) Compararunt iam alii Druidarum disciplinam (Caesar B. Gall. VI, 24. et amplissima *Pelloutierii* collectanea *Histoire des Celtes* T. I. p. 350 ad 371.) cum διδασκαλία poetarum Graecorum. Et multa narrant de cantoribus Cambriae et Caledoniae Britanni, unde illustrari poterunt antiqua illa Graeciae instituta. Sed domi nobis nascuntur ista exempla, si theotiscae literaturae spectemus incunabula. Non pigebit consuluisse, quae post *Wagenseilii*, inclyti olim apud Norimbergenses polyhistoris, curas, nuperrime de ordine Phonascorum honestissimo, de scholis et commissionibus illorum docte disputavit *Haesslinus von den Meistersängern* in libro Graeteri bonae frugis plenissimo: *Bragur* Vol. III. p. 17—109. ubi in fronte habes imaginem aere expressam διδασκαλίας eiusmodi in pictura, quae servatur in bibliotheca Norimbergensi, ad vivum delineatae. Magister in sella altiore seu suggestu carmen praecit reliquis per subsellia assidentibus. Succinunt isti et *discunt* varios canticorum modos.

telligendum, quam vim praeclara haec poetae ipsius institutio habuerit in ore actorum fingendo et pronuntiatione singulis versibus ita attemperanda concinnandaque, ut fastidiosissimae spectatorum aures (nam quis ignorat Atticorum subactum et exercitatum hac in re iudicium) *) ne minima quidem offensiuncula laederentur vellicarenturve. Ludibrio ac derisui fuit bellis ac dicaculis hominibus nostra aetate *Voltarius*, cum Lutetiae Parisiorum grege histrionum circumfusus fabulas similiter *doceret* senex octogenarius. Sed melius profecto consultum ac provisum esset auribus nostris, inconcinno nonnullorum histrionum clamore et ululatu non leviter obtusis, si mos iste nondum plane in desuetudinem abiisset, vigeretque adhuc in theatris nostris.

Supersunt alia haud pauca, quae pariter ad διδασκαλίαν poëtarum dramaticorum pertinuisse vel ex eo manifestum est, quod quo pacto illa ab apparatu chori et institutione actorum, quam nos iam e superioribus in animo informavimus, seiuncta et segregata esse potuerint, vix vi-
14 deas. Huc referenda equidem esse puto, quae cum vestimentorum scenicorum et, quando nemo nisi personatus prodiret in scenam, personarum ad fabularum genus et indolem accommodate concinnandarum inventione coniuncta fuerunt omnia. Clamat ipsa ratio et docent innumera veterum testimonia **), prospectum et provisum his esse a poëtis,

*) Quam teretes et delicatas aures habuerint Athenienses in levissimo recitationis scenicae vitio castigando, argumento est decantata illa et Comicorum dicteriis celebrata unius literulae omissio in Oreste Euripidis 281. γαλήν' ὁρῶ, quod Hegesilochus actor, cum subito spiritus illum deficeret, ita pronuntiasse videtur, ut litera finalis prioris vocis α hiatu plane absorberetur. Hinc risus ingens in cavea. vid. *Markland.* ad Eurip. Suppl. 901. et *Brunck.* ad Aristoph. Ran. 304. p. 162. Multa id genus apud veteres reperias, quae pinguiores septentrionalium gentium aures non capiunt. Pluscula attulit *Barthelemius Voyage d. j. A.* T. III. p. 170. seqq. Sed multo plura disci poterunt ex aureo Dionysii περὶ συνθέσεως libello, cuius editionem moliebatur olim Vir Summus, *Reisius*, promisit nunc eruditissimus *Martynius*.

**) Nisi hoc tenueris, omnia illa, quae de Aeschylo, *personae honestae* et splendidioris in tragoedia choragii inventore, passim commemorantur a veteribus (vide loca a *Stanleio* collecta in vita Aeschyli p. 708. *Londin.* et a *Fabricio* aucta in Biblioth. Gr. T. II. p. 166. seqq. ed. *Harles.*), obscuriora erunt nec satis extricata. Appellabatur hoc munus poëtae dramatici σκευοποιία, de qua est locus insignis Aristophanis in Parabasi Nubium 537—547. in quo pungit ineptias comicorum aequalium suorum in his adornandis. Hinc intelligitur etiam, cur Eu-

fabularum auctoribus et doctoribus. Choragorum erat, benigne ministrare sumtus, mercedem solvere histrionibus, in aedibus praebere locum, ubi meditationes instituerentur (διδασκαλεῖον, v. locum classicum in Antiphontis orat. π. χορευτ. p. 768, 33. T. VII. Reisk.) et magnifice suppeditare omnia. Poëtarum erat, actores vestimentis et personis exornare et ut apte, belle, concinne conferent omnia, diligenter curare. Nec multum abludit ab hac poëtarum procuratione illud, in quo vel maxime spectabatur sollertia illorum et intelligentia, ut acteribus, quorum ingenia, dexteritatem, vocem probe cognitam et exploratam habebant, *partes* ita distribuerent *), ne quid inepte moliti et, 15

---

ripides ob pannos et centunculos, quibus reges quosdam ad miserationem commovendam amictos in scenam produxerat, mira dicacitate exagitetur a Comico in Ranis et in pulcherrimo loco in Acharnens. 414. seqq. ubi Dicaeopolis multas sarcinulas pannorum aufert a Tragico. Scilicet non finxerat tantum ista in tragoedia Euripides, sed reapse etiam in scenam produxerat mendicorum vestimenta. Inprimis personas architectati sunt poëtae dramatici fabulis suis pulchre aptatas. Talis fuit κούφιος Antigonae et Electrae in cognominibus Sophoclis fabulis, qua statua in tumulo Sophoclis exornata fuit, v. Dioscorid. Analect. T. I. p. 500. XVIII. et, qui e Polluce IV, 138. 40. rem scite illustrat, *Salmas.* ad Scriptt. H. A. T. II. p. 835. a. In universum omnia ista personarum, vestimentorum, et machinarum genera, quae percenset Pollux in loco nobilissimo IV, 115—138. a poetis tragicis et comicis paulatim, cum fabula hoc vel illud posceret, scenico choragio adiecta et adinventa esse, e verbis doctissimi grammatici dilucide apparet. Sed latet in his thesaurus bonarum rerum a nobis olim peculiari volumine, quo capita illa Pollucis illustrare constituimus, eruendus. Non subierat haec cogitatio *Lessingium*, cum in explicandis verbis in vita Sophoclis p. IX. ed. *Brunck.* παρ' Αἰσχύλῳ τὴν τραγῳδίαν μεμάθηκε valde haereret (Opp. T. XIV. p. 307. 355.) Nimirum non didicerat Sophocles ab Aeschylo, quomodo fabulae *scribendae*, sed quomodo ornandae et novis τῆς σκευοποιΐας inventis condecorandae essent. Et hinc coniecturam quoque facere possumus, quantum exspleduerint excelluerintque veterum illorum poëtarum dramaticorum ingenia, qui non solum essent poëtae eximii, sed etiam orchestrae s. saltationis, modulationis musicae, architecturae, picturae peritissimi. Iam intelligimus, quid sit *ars musica* veterum; σοφόν τι χρῆμ' ἀοιδός.

*) Luculentus est locus Teletis apud Stob. XXVII. p. 117. Wechel. de sapiente: δεῖ ὥσπερ τὸν ἀγαθὸν ὑποκριτὴν, ὅ, τι ἂν ὁ ποιητὴς περιθῇ πρόσωπον, τοῦτο ἀγωνίζεσθαι καλῶς. Sed vide sis reliqua, quibus egregie illustrantur partes a poëtis distributae. Comparandus cum his Epictetus in Enchirid. 17. p. 54. Heyn. *memento te actorem esse*, οἷον ἂν θέλῃ ὁ διδάσκαλος, ubi cf. Simplicium p. 127. ed. *Salmas.* Plura dabit *Carpzovius* ad *Parador. Arist. Chii* II, 4. p. 266—276. Hinc actores primarum partium, secundarum, et tertiarum (πρωταγωνιστής, δευτεραγωνιστής, τριταγωνιστής, v. *Toll.* ad Lucian. T. III. p. 134. πρωτολόγος, δευτερολόγος, δευτερολόγος Teleti l. l. unde lux Aristoteli, ubi haec ipse *Twiningius* p. 197.) iussu poëtae saepe partes inter se commutabant, ut peritior artifex secundas ageret deteriori. Vide doctam notam

quod proverbium ridet scenicum, Herculis personam simiae vel crocotam Herculi induisse viderentur.

Atque in his, quae disputata sunt, omnibus cum *doctoris* provinciam administrasset poëta, dicebatur *docere fabulam*, διδασκαλίαν καθιέναι. (Sic de Sophocle Plut. in Cim. c. 8. T. III. p. 256. Hutt. unde apparet, quam nequiter interpolarint Valerium Maximum IX, 10. ext. 5. ubi de Sophocle: cum *tragoediam dimisisset in certamen*, quod pessime mutatum fuit in *dixisset*. Tu cf. *Casaub.* ad Athen. p. 52. et *Lessingium* in vit. Soph. Opp. T. XIV. p. 404.) Multum procedente tempore in hac huius formulae significatione variatum mutatumque esse, qui varias ludorum scenicorum apud Graecos Romanosque vicissitudines bene noverit, neutiquam mirabitur *). Nobis origines totius rei investigantibus, quae progressu artis et antiquiore Atheniensium disciplina consenescente paulatim ac obsolescente immutata sunt, exputare singula nec otium fuit, nec angustiis talis libelli satis accommodatum. Dolemus sane nos legibus, quibus prolusiones huiusmodi
16 scholasticae adstrictae sunt, in ordinem redigi. E *gemmis aliisque antiquae artis monumentis* hanc veterum poëtarum didascaliam uberius illustrare et totam scenam lectoribus nostris in tabellis quasi adumbratam ob oculos ponere, erat in animo. Sed alii prolusioni haec servata sunto.

Valesii in notis ad *Maussac. ad Harpocrat.* p. 117. seq. Et in scribendo vel *commentando* poëtae haud raro inserviebant actorum, quibus has illasve partes *discendas* esse nossent, ingenio et facultati. Observat hoc in Sophocle Ister in vita Sophocl. p. X. πρὸς τὰς φύσεις τῶν ὑποκριτῶν ἔγραψε τὰ δράματα, et reprehendit in sequioribus poëtis, qui nimium studerent actoribus, et episodia in eorum gratiam extenderent, Aristoteles in Poëtic. c. IX. p. 72. *Harles.* ubi cf. *Twining.* not. 77. p. 278.

*) Uno nunc exemplo e Latinis defungamur. Alia longe significatio formulae *docere fabulam* subiicienda est in illis locis, ubi Livius primus *docuisse* fertur Satyricas Graecorum fabulas. Is enim *operis sui actor*, verba Valerii Maximi II, 4. 4. in loco commemorabili, *cum vocem — obtudisset, gesticulationem tacitus peregit.* Alia in loco Suetonii in Claud. c. 11. „ad fratris memoriam comoediam Graecam Neapolitano certamine *docuit*, *ac de sententia iudicum coronavit*," ubi ipse Ernestius, assentiente, quod mireris, Oudendorpio, cum parum caperet, quam late pateret verbi *docere* vis, malit Beroaldum sequi, qui *dedit* obtruserat Suetonio. Nec intellexerunt Intt. ad illum locum, quid sit *coronare*. *Coronare* Graecorum more docte posuit Suetonius, ἐστέψατο pro ἐστεφανώθη. v. *Herald.* ad Mart. IV, 90. p. 51. ed. Paris.

Hoc agamus, id est, quam ob rem haec cum maxime commentati simus, breviter exponamus. Migrandum nobis est e pulpitis et prosceniis veterum theatrorum in scenam umbratilem et scholasticam. Praesto sunt adolescentuli, qui cum in ludo nostro literario diligenter et assidue operam dederint *arti musicae* (antiquam illam loquor, quae literarum humaniorum orbe continebatur), iam volunt *scenam* sibi *dari*, id est, decurso curriculo scholastico declamationibus proprio Marte elaboratis et in publica auditorum corona habendis virium suarum qualecunque facere periculum. Agent in posterum in ampliore academiae Ienensis theatro, non illo quidem, ubi re vera ludi aguntur scenici, sed de quo loquitur summus fingendorum ingeniorum artifex Quintilianus: *optimus quisque frequentia gaudet ac maiore se theatro dignum putat* (Inst. Or. 1, 2.). Cui quidem nos quoque hac prolusum esse volumus commissione scholastica.

XVIII.

QUID SIT DOCERE FABULAM

PROLUSIO ALTERA *).

Perficiendum est, quod nuper inchoavimus, cum 3
de poetarum veterum Graecorum Romanorumque in docendis ornandisque, quas ipsi composuerant, fabulis sedulo elaborantium diligentia anquireremus. Nam quod in fine disputationis illius simpliciter affirmavimus, rem totam pluribus priscae artis monumentis illustrari et tabellis quasi adumbratam explicari posse, id, quando nova se nobis obtulit commentandi occasio, exemplis aliquot e rerum antiquarum, quae in Museis servantur, penu depromtis demonstrare in animo est. Duras sane mihimet ipse imposui partes, quae lineari pictura informata aeneisque tabellis exscripta lectorum oculis subiicienda essent, verbis, quae

*) Prodiit Vimariae a. 1796.

vix tenuem illarum umbram assequantur, exponendi edisserendique. Scilicet non capiunt libelli scholastici istiusmodi ornamenta et lautitias. Quod si oratione id tantum consequuti erimus, ut tirones, quorum commodis servire prima nobis lex est, qualemcunque rerum in priscae artis operibus expressarum in animo sibi informent imaginem; non est, quod multum laboremus de ornamentis istis adventitiis, quibus, mangonum instar equis strigosis pulchra ephippia insternentium, scriptis venalibus lenocinantur librarii lucelli cupidine inducti. Doctioribus in promtu sunt libri, ad quos amandare liceat harum deliciarum cupidos.

Atque hic in universum et statim a limine monendi sunt lectores, ingentem fuisse apud antiquos, qui rem scenicam excoluerunt, signorum, statuarum, picturarum, gemmarum, caelatorumque operum copiam, quae in argumentis e re scenica et histrionia petitis occupata essent. Apud nos omne fere pingendi fingendique studium in theatrorum scenis magna varietate, miro pigmentorum splendore expoliendis depingendisque consumitur. Habuerunt id quoque veteres, quantum eius fieri potuit in proscenïis scenisque sub divo collocatis, solis, non lucernarum aut candelarum lumine, dum ludi scenici committerentur, collustrandis. Sed qui homines scenicos magno theatrorum plausu exceptos, statuario opere, pictura vel caelatura expresserit, qui tabellas comicas insignem aliquam histrionis
4 actionem nobilitantes pinxerit, qui actores populo placentes gemmis inscalpserit, qui greges scenicos poetae fabulam docenti operam dantes et ad vocem gestumque eius diligenter sese componentes effinxerit, vix unum alterumve hodie reperies inter tot illustria artificum, quos recentior aetas tulit, nomina *). Laetius profecto hac quoque in re

*) Fuerunt nostra aetate, qui tabulis istis versatilibus ductilibusve (vulgo *Coulisses* appellant vocabulo Francogallico), quibus nostrae scenae a pictoribus scenicis exornari solent, veterum theatra facile carere potuisse affirmarint, quod in scenis illis subdivalibus nec cubicula interiora conspicerentur (v. *Eschenburg.* ad Hurdii vers. Horat. T. I. p. 401.), nec locorum in eodem dramate ulla esset mutatio. Saniora isti didicissent e locis classicis Pollucis IV, 123. et Vitruvii V, 8. p. 194. edit. *Gallaei.* Primum pictoribus opus fuit ad ipsas, quas immutabiles fixasque fuisse multi existimant, scenas aedium vel regionis alicuius in agro speciem pro re nata prae se ferentes expingendas. Errant enim, qui fabris et archi-

efflоruerunt antiquae artis studia. Cogitet aliquis gemmas, personarum scenicarum aliarumque rerum, quae ad choragia theatrorum spectant, imaginibus insculptas *), ponat sibi ob oculos anaglypha marmoribus caelata, quibus argumenta e scena petita exprimuntur, expendat longam iconum pictarum inter Herculanenses ruinas erutarum seriem **), quae scenam spectant et orchestram, enumeret statuas, poetis scenicis et histrionibus positas, et ad-

tectis tantum haec dedolata esse autumant. Agatharchus, qui scenas *fecisse* dicitur Aeschylo (Vitruv. in Praefat. libr. VII. p. 258.) architectus tantum, an pictor fuerit, non liquet. Putem architectum fuisse, cum σκηνογραφίαν Sophocli diserte asseruerit Aristoteles Poet. c. 4. p. 32. Harl. ubi frustra haeret *Twiningius Notes on Aristotle's Treatise on Poetry* p. 198. Scripserant Democritus et Anaxagoras de arte scenas pingendi faciendique libros, quos laudat Vitruvius, et novimus Metrodorum σκηνογράφον e Diog. Laert. II, 125. ad quem locum pluscula collegit *Cobetus*. ad Parod. Stoic. p. 525. Adde Plinium XXXV, 11. s. 40, 54. et *Iunium* de pict. vet. II. 8. p. 86. Sero apud Romanos picturam scenicam ortam esse (A. V. c. 654.) patet e Valerio Max. II, 4. 6. *C. Pulcher scenam varietate colorum adumbravit, vacuis ante pictura tabulis extentam*, et nota est e Plinio XXXV, 4. s. 8. historia de corvis tegulis scenae, quas veras putarent, insidere conantibus. Rem conficit illustris Vitruvii locus V, 8. p. 194. Digna in primis, quae notentur ibi, sunt verba de pictura in fabulis Satyricis. Inde enim omnem illam locorum agrestium et amoenissimorum camporum picturam (*Landschaftsmaleref*) antiquitus provenisse, satis aperte declarari posse arbitror. Sed est aliud maius, quod sine pictura scenica effici non potuisse, per se apparet. Mutabatur interdum machinarum ope (περίακτον vel ἐκκύκλησιν appellabant) in uno eodemque dramate scenarum facies. Legat si quis dubitet Sophoclis Aiacem, Euripidis Ionem, Eumenidas Aeschyli. Ductiles versatilesque fuisse scenas docet in docta nota Servius ad Virg. Georg. III. 24. In his igitur machinamentis picturam etiam habuisse, quod efficeret, facile intelligitur. Habuerunt praeterea tabellas pensiles, quibus interiora scenarum exornarent, Casaub. de poesi satyr. p. 53. ed. Rambach. παραβλήματα, v. Poll. IV. 131. qui docet, sic appellatas esse tabellas, quae discedentibus prioribus scenis interius apparerent. Non cepit Pollucem *Winckelmannus* ad *Monument. ant.* p. 254. Interdum tabellae, in quibus exsplendesceret ars pictoris, expositae fuisse videntur in proscenio, ubi talibus locus, quo refero Zeuxidis uvas apud Plin. XXXV, 10. s. 36. 6. et ridiculam Atheniensium adulationem, Demetrium Poliorcetem, cuius studio mirum in modum insanirent, ita depingentium in proscenio, ut orbi terrarum veluti equo insidere (ὀχούμενος) videretur, apud Athen. V, 9. p. 536. A.

*) Gemmarum τοὺς περὶ τὸν Διόνυσον τεχνίτας spectantium copiosissimum catalogum texuit Raspius in *Tassie's Catalogue* n. 3506—4006. Habes hic quingentas gemmas, prisca arte tantum non omnes scalptas caelatasve; ingens numerus, sed facile ex Augustino, Ficoronio, Gorio, aliisque augendus! Vide, si otium est, quos in dissertatiuncula theotisce de personis scenicis scripta laudavimus in libello menstruo: *der teutsche Merkur. Januar* 1795.

**) De anaglyphis et picturis vide quos laudavimus in prolusione: *de personis scenicis* p. 9.

huc inter antiquae artis opera superstites *). Quae si quis singulatim percenseat, probe reputans, quam paucae tabulae ex immenso antiquorum monumentorum naufragio emerserint, sane inficias ire non poterit, unam rem scenicam, ludicram utique et privatorum hominum studiis plerumque sustentatam, tantam antiquis statuariis, pictoribus et scalptoribus suppeditasse materiam, quantam hodie omnis rerum domi forisque gestarum ambitus, omnis ludorum scenicorum et oblectationum, quibus trahuntur homines, farrago vix praebitura esset artificibus, quotquot in celeberrimis gentium Europaearum oppidis degunt, omnibus.

Ex his igitur supellectilis antiquariae, ad rem scenicam illustrandam natae factaeque, copiis tria nunc seligamus artis antiquae monumenta, quibus veterum dramatum didascaliam dilucidius uberiusque declarari posse arbitror.

6 Primum hic prodeat tabula picta e ruinis Herculanensibus effossa et in splendido opere *Picturarum*, quas vocant, *Herculanensium* Tom. IV. tab. XXXIX. in aere expressa. Posuimus in superiore dissertatione, poetae, qui doceret fabulam, ea quoque in re spectatam esse sollertiam, ut quae ad chori ἐμμέλειαν et universum apparatum scenicum pertinerent, callide explorata haberet, actoribusque praeciperet. En scenam illam ipsius didascaliae graphice depictam in icone Herculanensi, in superiore parte, quod dolemus,

*) Poëtas novae Comoediae celeberrimos Menandrum et Posidippum, duosque histriones personatos in Museo Vaticano seu Pio-Clementino nunc conspiciendos illustravit, additis pulcherrimis imaginibus, *Visconti*us in Museo Pio-Clement. T. III. tab. 15. 16. 28. 29. Fuerat histrionis statua, quae ibi exhibetur, in villa Matteiana, ad quam illustrandam *Amaduzzius* in *Monument. Mattei.* T. I. tab. XCIX. similia actorum sigilla et capita, in Museis Italicis passim exstantia, docte contulit. Nec dubitarim, in censum statuarum theatralium referre Musarum statuas non tantum eas, quas Musei Pio-Clementini ornamenta splendidissima nemo ignorat, vel quas Romae cum esset ingenti pecunia coemit Gustavus Rex Sueciae, Christinae reginae inclytae aemulus, sed in multis impostorum fraude circumventus (vide, quae nuperrime Holmiae prodiit, illarum statuarum descriptionem *Ex Museo regis Suociae Musarum series integra* Holm. 1794.) sed pleraeque omnes, quae in Museis reperiuntur. Nam has quoque non ad templorum cultum, sed ad theatrorum, quibus ornamento olim essent, splendorem factas et comparatas esse satis liquido, si hoc ageremus, demonstrari posset. [Plin. XXXV. 11. s. 40. *Craterus comoedos in pompeo pinxit*, ubi v. Harduinum de *pompeo*. Hinc colligi posse videtur, κωμικαῖς etiam istas imagines interdum adhibitas fuisse. EX ADD.]

aliquantulum detrita. Assidet ibi in solio veste stragula conchyliata exornato poëta, vultu meditabundo, manu sinistra ad mentum sublata, qui gestus esse solet deliberantium et rem mature ponderantium. Graecum hominem e pallio, poetam e similibus statuis facile agnoscas *). E regione sedet mulier personam senis comici, aut paedagogi tragici gremio sustinens, volumen exigui moduli dextra manu protendens, sinistro pede scabillum concrepans. Quam quidem mulierem operam suam locare poetae fabulam cum maxime docenti apparet ex alia figura mulierculae inter utrumque adstantis et effigiem armariolo inclusam, qua histrionis imago expressa videtur, ostendentis. Haec quo diutius contemplor, eo penitius mihi persuadeo, indicari hac tabella poetae dramatici tum in modis chori constituendis, cui inservit mulier scabillo mensuram seu numeros suppeditans **), tum in choragio, personis scilicet et 7

*) Contulisse ad hanc figuram non poenitebit statuas Menandri et Posidippi in opere Viscontiano supra laudatas et quae ibi notavit Interpres doctissimus. Nec pigebit adiisse et perlustrasse oculis figuram Euripidis in sigillo aereo, quod exhibuit *Winkelmannus Monum. Antichi* n. 168. quae plane respondet imagini in tabula Herculanensi. Multa, ut solent, hariolantur ad eam explicandam Academici Herculanenses, seu *Pasqualis Carcanius*, cui, quae hic leguntur, pleraque omnia deberi in confesso est. Nam hic quoque, ut saepe alibi, confunditur choragus et chorodidascalus, quorum neutri hanc figuram convenire vel ex iis apparet, quae in priore commentatione de utriusque munere scripta sunt.

**) In rhythmo servando omnis continebatur μελοποιΐα veterum. Post Is. *Vossium* nemo hoc accuratius demonstravit *Burettio* Mémoir. de l'Acad. d. Inscript. T. VII. p. 247. ed. Amst. Mesochori erat vel tibicinis modos cantoribus in choro scenico dantis, crebra pedum percussione cantus leges monstrare et numeros. Signum pedis supplosione datum appellabant ἐνδόσιμον, communi omnibus hisce modorum temperamentis vocabulo, v. *Alberti ad Hesych.* T. I. c. 1224, 19. cuius locis ex Aeliano laudatis adde Lucian. de Salt. c. 10. T. II. p. 273. et Aelian. Hist. An. XI, 1. p. 609. Rem ipsam Graeci κτυπεῖν, v. *Gesn.* ad Lucian. de Salt. c. 63. Latini *concrepare* appellabant, v. Cic. pro Coel. 27. Sueton. Calig. 54. Sed in theatrorum strepitu simplici pedum complosione vix satisfacere potuerunt cantoribus. Intellexerunt, firmandos esse pedes instrumento aliquo, quo colliso sonus fortior excuteretur. Origines rei investigandae videntur in vetustissimis Graecorum theatris. Athenienses κρουπέζιον appellarunt hoc instrumenti genus. Acceperunt, ni fallor, rem cum ipso vocabulo a Boeotis, tibiarum canendarum studio per omnem Graeciam celeberrimis. Κρουπέζιον, κρουπάλιον, κρουπέτιον (nam variant formae) Boeotis proprium fuerunt calceamenti genus, rusticum, solearum crassitie (cogita Francogallorum *sabots*) in incessu valde perstrepens, ἀρβύλαις (v. ad Theocrit. VII, 26. *Foes.* in Oecon. Hipp. s. v. p. 49.) simile. Porro cum Boeoti ob rusticitatem male audirent Athenis, fidemque, cum tibiis canerent, isto calceamento ad numeros percutiendos

vestimentis, exornando elaborantis, quo referenda est persona seu larva in gremio mulieris composita, et effi-
8 gies actoris, quam ostentat tabella armariolo inclusa *).

uterentur, festive ab Atticis appellati sunt *κρουπεζοφόροι* et obtinuit deinde usus apud Atticos, ut omnes soleae, quibus concreparent, mesochori vel *χορολέσχαι*, *κρουπέζια* vocarentur. Sic interpretandus est locus Pollucis, variis eruditorum coniecturis vexatus VII, 87. *κρουπέζια ξύλινον ὑπόδημα πεκοιημένον εἰς ἐνδόσιμον χοροῦ. Κρουπεζοφόρους δ' εἶναι τοὺς Βοιωτοὺς Κρατῖνος* (habes hic auctorem veteris comoediae poetam, a quo dicterium hoc in Boeotos primum forsan coniectum est) *διὰ τὰ ἐναυλητικὰ κρούματα εἶπεν.* Sic enim locus ille cum Is. *Vossio* ad Catull. p. 290. qui pulchre hac de re egit, legendus. Successit ligneae soleae instrumentum artificiosius compactum e ferro, quod pinguiorem sonum ederet, *ὑπόδημα σιδηροῦν* appellat Lucian. de Salt. c. 83. T. II. p. 313. Sed non eadem semper illi instrumento fuit figura. Nam quod e Libanio novimus, valde discrepat ab eo, quod in Romanorum theatris usurpatum vetustae artis exhibent monumenta. Luculentus sane est locus Libanii in declamatione *adversus Aristidem pro saltatoribus* (unde, ut hoc obiter moneam, multa subtilius exquirere potuissent, qui de mimis et pantomimis egerunt nostra aetate) T. III. p 385. 16. Reisk. ubi contra adversarium, qui prominens e crepidis ferrum in saltatore scenico vituperaverat, observat simplicem pedis supplosionem non sufficere ad numeros saltationis rite inculcandos (*πρὸς εὐρυθμίαν*) Sequuntur verba: *δεῖ τινα κανόνα σιδηροῦν ἀπὸ τῆς βλαύτης ἀρκοῦσαν ἡχὴν ἐργάζεσθαι.* En tibi ferream regulam *e soleis longius prominentem*, cuius pulsu efficitur sonus. At longe diversa fuit forma illius instrumenti, quod ob scabelli suppedanei similitudinem *scamillum* vel *scabillum* appellarunt Romani, unde *scamillarii* inter operas scenicas in Inscriptionibus commemorati, v. *Burm.* ad Sueton. T. I. p. 702. Eiusmodi instrumentum manifesto apparet in imagine nostra Herculanensi. Constabat duabus soleis, rima latiori ita inter se discretis, ut folliculi instar levari et inter se collidi possent. Haec fuit prima et simplicior figura, quam aperte ostendit nota statua et antiquariorum studiis celebrata, Fauni scabillaris, quam post *Rubenium* docte de re ipsa disserentem de Re Vest. II, 17. luculenter expressere *Maffeius Raccolta di statue antiche* t. XXXV. et *Gorius* in Museo Florent. T. III. t. 58. 59. ab aliis etiam v. c. Bartholino de tibiis, Ficoronio in gemmis personatis passim recoctam. Nec differt ab hac altera Fauni scabillaris effigies in marmore Parisiensi, quod a Maffeo primum publicatum revocavit sub examen doctus Benedictinus, *Martinus*, *Explication de divers monumens singuliers* (Paris. 1739. 4.) p. 47. repetiit *Caylus Recueil d'Antiquités* T. III. pl. 74, 1. Sed offendit nuda haec scabillorum figura homines quotidiano elegantissimarum formarum adspectu fastidiosos. Addiderunt igitur ipsi soleae os hominis, sive larvam, cuius ex ore iam sonus iste collisi folliculi procedere videretur, quod accurate delineatum cernere est in icone Herculanensi. Hanc si quis pedibus subiectam haberet, standum illi fuit aut sedendum, ut hic mulierem sedere videmus, quod cum parum intelligeret Maffeus, merito poenas dedit *Caylussio* l. l. p. 272. Lubuit haec paulo accuratius exponere, cum ipse *Salmasius* ad Scriptt. H. A. T. II. p. 838. — 40. unde hauserunt sua plerique omnes, in discernendis variis *κρουπεζίων* generibus et figuris parum diligenter versatus sit. Ceterum docte observavit *Scaliger* ad Virgilii Copam in Anthолog. Latin. Burm. T. I. p. 708. manasse vocabulum *Scabillorum* in lingua Hispanica et Aquitanica. v. *Menage Diction. Etym. s. v. cascavaux.* p. 165.

*) In prioribus iam monitum fuit, singulis fere fabulis in antiqua certe comoedia et tragoedia, quibus choragi sumtus praebebant, novas personas

Mirum sane videri possit a mulieribus haec administrata esse omnia, cum poetam actorum opera potius in his rebus usurum fuisse vero consentaneum sit. Sed quis ignorat tibicinas et fidicinas apud Graecos, in conviviis et comessationibus nunquam non adhibitas et in peculiaribus ludis (Plaut. Rud. Prol. 43. v. *ad Terent.* Phorm. I, 2. 36.) institui solitas, inprimis gnaras fuisse disciplinae musicae, earumque operam facilius conduci potuisse ad eiusmodi ministeria obeunda, quae poeta in hac tabella expressus sibi praestari voluit. Nec valde repugnem, si quis amicam poetae in muliere contra assidente sibi deprehendere videa- 9
tur. Mihi quidem, quotiescunque in hanc imaginem picturae Herculanensis incidi, semper subiit Glycera, quam Menandro in deliciis fuisse novimus. Legitur illius epistola in iis, quae Alciphronis nomine circumferuntur. Venditat ibi Glycera officia sua et poetae amato saepenumero sese in apparatu scenico ornando opellam contulisse lepidissime exponit. Verba tabellam nostram egregie illustrantia haec sunt (II, 4. p. 249. Berg.): *τί Μένανδρος χωρὶς Γλυκέρας; ἥτις αὐτῷ καὶ τὰ προσωπεῖα παρασκευάζω, καὶ τὰς ἐσθῆτας*

seu larvas accommodatas nova vestimentorum genera excogitata esse a poetis, fabularum doctoribus, quae *προσωπεῖα* et *σχήματα* (una voce *σκεύασιον* actoris appellabant Graeci) tantum paulatim auctoritatis consequuta sunt, ut quotiescunque post longam seculorum intercapedinem fabulae istae veteres Sophoclis, Euripidis cet. repetendae essent, semper eadem persona, eodem ornatu prodiret histrio, quo olim exornati fuerant actores, cum primum committerent istam fabulam. Non abhorret igitur a vero, graphices ope servatas esse ab initio istas choragii scenici figuras, quas tralatitias et usu confirmatas semper retinerent poetae posteriores et actores fabularum. Fecerunt idem recentioribus temporibus Itali, moriones istos seu sanniones (*Zanni*) quadripartitos, quibus ante Goldonium tantopere delectati sunt, tabellis pictis identidem proponentes. Nec abludunt ab hoc usu figurae scenicae in fabulis Anglobritannicis singulatim editis statim a fronte depictae. Quae cum nostra aetate fieri potuerint in tanta pingendi fingendique (absit invidia dicto, sed comparanda est antiquitas) tenuitate et ieiuna siccitate, quidni factum sit a Graecis, Romanisve rerum arbitris, ubi haec omnia nullo fere negotio ab artificibus, quorum ingens tum proventus, confici potuerunt? Atque huc referendas esse puto *tabellas comicas*, quas pinxit Calates, teste Plinio XXXV, 10. s. 37. quamquam probe scio, aliter de his statuisse Caylus (*Abhandl. zur Geschichte und Kunst*, T. II. p. 44. seqq. 135.). Non haesitavi igitur parvulam tabellam armariolo bipatenti inclusam (solebant id in picturis antiqui, quod vel e cereis nobilium Romanorum imaginibus apparet eiusmodi armariolis includi solitis, unde formula solennis *aperire imagines*; v. *Lips.* Elect. I, 29. Opp. T. I. p. 744.) referre ad *σκεύασιον* vel *schemam* (sic enim Latini, v. VV. DD. ad Petron. 44. p. 206. Burm. et Observ. Miscell. T. XII. p. 135.) histrioniam.

ἐνδύω. Caeterum haud poenitebit comparasse tabellas, quae deinceps sequuntur in picturis Herculanensibus. Sic quae statim nostram excipit (Tab. XL.), exhibet poetam in exhedra sedentem et ad personam scenicam, quam servus illi spectandam offert, oculos adiicientem. Spectatu digna inprimis est, quae ad choragii scenici naturam penitus perspiciendam plus valebit, quam verbosissima disputatio, tabula LXI, pariter pictoris arte, quam laudibus effert iam *Winckelmannus* (Monum. Ant. p. 247.), ac argumenti varietate et ubertate spectabilis. Cernis ibi imaginem actoris tragici, solio magnifico insidentis, vestimentis, sceptro et parazonio tyrannum vultuosum callide referentis. Appicta est e regione mulier genu nixa, titulumque inscribens pittacio, quod e persona tragica mensae imposita dependet. Multa ad bellissimam hanc imaginem observari possunt, quae frustra quaeras in spissis commentariis academicorum Herculanensium. Sed cum ad actorem partes suas meditantem, non ad poetam ipsum haec pertineant, nolo iam evagari et in alienam, quod aiunt, messem falcem meam iniicere.

Saepius iam monitum est, poetas διδασκάλους valde sibi placuisse in personis peculiaribus fabulae suae accommodandis et effingendis. Addat, si quis aliam auctoritatem desideret, *Lessingium* in vita Sophoclis p. LXXI. Idem demonstrari potest e variis antiquae artis operibus, in quibus hominem adspicias, larvam seu personam manibus tenentem vel cippo aut columnae, cui imposita est persona, assidentem. Nequaquam omnes has imagines ad unum idemque genus referendas esse censeo *), necdum poesi-

*) Primum probe discernenda operibusque, de quibus hic sermo est, plane eximenda esse puto illa antiquae artis monumenta, ubi nulla addita hominis figura personam scenicam simpliciter cippo, columellae, mensulae vel suggestui, ad quem per gradus ascenditur, cernis impositam. Hic e specie personae facilis est divinatio, tragoedia, comoedia an fabula satyrica indicetur populo, ut norit, quam fabulam exspectet, sub specie personae scenicae proponenda. Huc refero, quas in picturis Herculanensibus scite delineatas habes T. IV. tab. XXXVI—XXXVIII, personas, proscenio, sive orchestrae impositas. Orchestram enim ibi indicari puto tribus gradibus, quorum supremo imposita est persona. Per gradus e cavea ad ipsam orchestram et inde ad proscenium aditum patuisse testis idoneus est Pollux IV, 127, et descendit per eos populum Atheniensem obiurgaturus Demetrius Poliorcetes apud Plut. in Demetr. c. 34. T. VI. p. 24.

tet sententiae, alibi iam prolatae (in prolusione *de personis scenicis vulgo larvis* p. 9.), pluribus eiusmodi gemmarum caelatorumque operum ectypis simpliciter indicari tabellam, qua fabularum argumenta ante ludorum scenicorum commissionem promulgabantur. Sed passim reperiuntur alia, in quibus poeta doctor, in excogitandis aptandisque fabulae suae personis occupatus, planissime nobis ob oculos

---

Hutten. adde *Barthelemy Voyage* d. j. Anach. T. II. p. 256. Atque his quidem e gemmis Ficoronianis annumerandum esse puto onychem tres larvas mensulae impositas exhibentem Tab. XXXVI, 1. ubi similes e Sposio et Augustino laudat *Contuccius* p. 68. vers. Latin. Sed multo saepius occurrunt antiqua monumenta, quae personis cippo impositis iungunt viros, feminas, pueros vel capita tantum hominum scenicorum. Horum uberrima est seges in antiquitatis thesauris. Laudabo pauca. In opere Ficoronii huc pertinent XXXVII, 4. LXIV, 1. 2. XLV, 4. et seqq. tabb. Cupido in Sarda LXVIII, 3. 4. LXXXV. in statuis Herculanensibus (*Bronze e Statue* T. II. tab. XLVIII) adstant duo pueri columnis persona tragica exornatis, ad quas digitos intendunt, perperam ibi a Commentatoribus explicati. Alia dabit *Museum Florentinum* T. I. tab. XLIV. 1. 4. 5. 6. nec dubites his accensere gemmam memoratu dignissimam in *Caylus Recueil d'Antiquités* T. IV. pl. 56, 2. Haec omnia ad actores ipsos personas suas miro studio exosculantes effingentesque (v. Sueton. Neron. 21.) optime referri posse arbitror. Sed sunt aliae paulum diversae, in quibus ego ipsum studium actorum partes suas recitantium et gestus ad personam sibi tributam attemperantium intueri mihi videor. Vide gemmas Ficoronii XXXIII, 2. 3. XXXVI. LX. LXXV, 2. 3. LXXXII, 3. ubi addita etiam reperias sceptra seu baculos incurvos, *καμπύλας*, insigne artis histrioniae (v. *Casaub.* et *Oudendorp* ad Sueton. Ner. 24.). Adde Mus. Florent. T. I. tab. XLIII, 7. 10. et Catalogum dactyliothecae Stochianae *Description de pierres gravées* n. 1305 — 1308. Magnum etiam fuit studium illas personas monumentis celebrandi, in quibus praecipue plausum tulissent populi actores. Hinc palmam interdum illis additam reperies in gemmis *Ficoron.* t. XXXVIII, 3. Quo spectant etiam personae figulino opere vel aere confectae minimi moduli, quas diis Laribus ab actoribus gloria inflatis dedicatas esse ingeniose coniicit *Caylus Recueil d'Antiquités* T. I. pl. 54, 4. p. 146. vel votivarum tabellarum instar consecratas esse, in eodem opere T. III. pl. 75, 5. 6. p. 279. Haec omnia magis ad actores, quam ad poetas *doctores* referenda esse, nemo infitiabitur. Sed exstant tamen aliarum gemmarum ectypa, in quibus aperte poetam agnoscas personas fabulae suae aptantem. Talis est in Ficoroniana farragine T. XLII, 3. poeta seminudus, sedens, manu tenens personam, quam cogitabundus in varias partes versat adstante in cippo alia persona, ad eandem fabulam haud dubie pertinente. In eundem censum referendae forsan sunt feminae, saepissime in gemmis obviae, personis exornandis occupatae. Uxores, vel amicas auxiliatrices poetarum his exhiberi auguror. Atque his accensendae etiam gemmae tantum non omnes, quas *Raspius* diligentissime collectas explicavit *Tassie's Catalogue* n. 3541 — 3558. p. 239. Nec praetermittendam esse puto gemmam insignem, quam dedit *Caylus Recueil* T. V. pl. 86, 5. (adde *Ficoron.* t. 20.) Septem ibi vides personas comicas scite in eadem gemma dispositas, de quibus acute, ut solet, *Caylus* p. 248. „*je croirais, que l'auteur d'une Comédie a fait représenter tous les acteurs d'une pièce qu'il avoit composée, et dont il étoit si flatté, qu'elle lui servit d'anneau.*"

ponitur. Lubet iam unum depromere marmor Rondaninianum, quod post Bellorium et Iac. Gronovium limatius edidit *Winckelmannus Monum. Antichi* n. 192. Habes ibi poetam, Graecum e pallio statim et crepidis agnoscas, oculis in personam tragicam, quam manu levatam tenet, deflxis. Probe in mensa duae personae ita collocatae sunt, ut eas quoque ad poetam referendas esse facile intelligas. Stat e regione femina ad declamantis speciem composita, quam cum Romano cultu indutam ad poetam Graecum proprie non pertinere arbitrer, parum nunc morabor. Dubius haesit Winckelmannus (p. 252.), poetamne referret an actorem hoc marmor. Sed in actorem vix cadit optio plurium personarum *). Accipit is a *doctore* poeta eas partes, quas optime sustinere posse censetur. Poetam igitur in hoc marmore contemplamur, personas plures pluribus actoribus distribuentem. Tres personas, unam in manu poetae, duas in mensa, ita explicat Winckelmannus, ut duas tragicas, unam comicam esse autumet. Sed quam perso-
12 nam esse putavit senis comici, potest eadem e Polluce referri ad senem tragicum **). Quid multa? poetam veterem

*) Poetis tantum, qui fabulas docebant, non actoribus licebat partes disponere. Probant hoc multa veterum loca priore iam dissertatione laudata p. 15. Addam unum insignem Luciani Necyom. c. 16. T. I. p. 479.: actor modo regis, modo servi personam sustinet ὑπὸ τοῦ ποιητοῦ κεκελευσμένος. Titubavit in his *Barthelemius Voyage d. j. An.* T. III. p. 268. qui nec Plutarchi locum, nec Demosthenis satis assequutus est, unde colligit, tertiarum partium actorem a priorum partium actore mercede conductum eam personam sustinuisse, quam illi ὁ πρωταγωνιστὴς imponere voluerit. *Μισθωτός* appellatur a Plutarcho tertiarum partium actor T. II. p. 816. Frf. non propterea, quod a primarum partium actore mercede conduceretur, sed quod ipsi chorago, vel quicunque sumtus scenae suppeditaret, mercenariam operam locaret. In loco Demosthenis autem de fals. legat. p. 226. A. 232. B. edit. Wolf. hoc tantum nomine pungitur Aeschines, quod vile τοῦ τριταγωνιστοῦ munus subierit, maioribus scilicet partibus impar. Sed dici non potest, quantum tenebrarum offusum sit huic universae quaestioni de primarum, secundarum, tertiarumque partium actoribus, in quibus coecutiunt vel doctissimi interpretes. Unum tenendum, in scriptis διδασκαλίαις fabularum Graecarum designatum esse, quae primae, quae secundae in singulis fabulis essent partes. Imitari debuissent hoc institutum recentiores Tragicorum graecorum editores. Sed de his alibi uberius.

**) Poll. IV, 137. commemorat personam tragicam senis, paedagogii scilicet, cui si quis marmor nostrum conferat, omnis statim illi eximetur scrupulus, nec dubitabit, senem διφθερίαν in Tragoedia indicari personam illa, quam comicam esse putat Winck. Caret ὄγκῳ, seu protuberanti illo crinium nodo in vertice, tragicis solemni. Habet περίκρανον,

tragicum in hoc anaglypho nobis proponi arbitror, nec facile mihi persuaderi patiar, ternarium illum personarum numerum temere a sculptore expressum esse. Referendum forsan, nam quis prohibet hariolari in re parum expedita, ad τριλογίαν Tragicam, seu trium dramatum Tragicorum *) seriem. De femina adstante unum hoc ratum fixumque maneat, illam ad ipsam fabulae commissionem referri non posse. Nunquam actitasse in theatris Graecis feminas nec immixtas fuisse, quod quidam temere affirmarunt, in choris scenicis gregi θυμελικῷ, satis liquet **). Mimas in theatrum induxerunt Romani, sed a palliatis togatisque fabulis agendis Romae etiam plane semotae segregataeque fuerunt feminae. Verum igitur attigisse videtur Winckelmannus, figurae, quam hic intuemur, muliebri sensum subesse allegoricum ratus. Miror tamen, eundem 13
parum haesisse in habitu Romano mulieris a poeta palliato et crepidato vel hac una re multum abhorrentis.

Enimvero quae hactenus allata sunt monumenta vetustae artis, ad eam tantum διδασκαλίας scenicae partem

---

quod pileolum scite expressum videas in marmore. Compara reliqua, nasum crispatum, supercilium altius elatum. Pulchre sibi respondent omnia.

*) Tralatitia sunt et ad nauseam repetita, quae de tetralogiis Tragicis vulgo tradi solent. Vide si lubet, qui laudantur in Fabricio Harlesiano T. II. p. 194. Unum hoc loco monendum, omisso interdum dramate Satyrico, quod tribus tragoediis additum efficiebat τετραλογίαν, tres illas tragoedias *simul editas* (ad liquidum hoc perduxit *Twiningius Notes on Aristotle's Poetic* p. 475. seqq.) communi τριλογίας vocabulo appellatas fuisse. Censum eiusmodi tragoediarum per trilogias enarratarum iniisse Aristarchum et Apollonium docent scholia ad Aristoph. Ran. 1155. Et apte congruunt cum hac fabulas tragicas enumerandi ratione, quae de Aristophane Grammatico Platonis dialogos per τριλογίας recensente, perhibet Diogenes Laert. III, 56. Hoc certe apparet, morem a doctissimis Alexandrinorum grammaticis usurpatum, non alienum fuisse a sculptoris trilogiam eiusmodi in marmore exsculpentis doctrina et ingenio.

**) Feminis apud Graecos nec spectatricibus esse licebat in fabulis scenicis, quod nuper diligentius demonstravi in libello menstruo (*der teutsche Merkur* 1796 *Januar.*) nec histrioniam facere et cantare in choris. Affirmarunt posterius Academici Herculanenses ad *Pitture d'Ercolano* T. IV. p. 199. not. 7. Male. Nam quem e Pseudoaristotelis libro *de mundo* (c. 6. p. 246. *Kapp.*) laudarunt locum, pertinet ille ad choros cyclios in sacris, ad προοδια cet. Nec multum iuvat Seneca Ep. 84, p. 366. qui, si quid video in verbis magna obscuritate laborantibus, ad cantatricolas scenicas sui aevi locum retulit veteris philosophi Graeci. Et temerarium foret colligere quicquam e verbis συγχορεύτρια et τριτοστάτις ex Aristophanis deperdita fabula a Polluce IV, 106. laudatis.

pertinuere, quae cernebatur in choragio et actorum personis adornandis. Restat ut monumentum laudemus, ubi poetam doctorem fabulae versus e scripto praeeuntem, circum sedentes discentesque videas actores. Exstat illud in praestantissimo saepiusque iam laudato opere *Caylussiano* (*Recueil d'Antiquités* T. I. p. I. LIV, 1.) in agathonyche tricolori, pulcherrima caelatura (*cameo* appellant) quam elegans harum rerum spectator Caylus manum Graeci artificis ostendere intelligenter pronuntiat. Poeta exhedrae seu hemicyclio, communi poetarum sellae (v. *Ficoronii gemm.* t. LVII, 3.), insidens praelegit e volumine (*ποιήματι*, utappellat Aelian. V. H. II, 30. loco notatu digno), digito ad auditores sublato, partes fabulae. Auditores adstant utrinque actores duo carmina, quae recitantur a poeta, penitus imbibentes, quod declaratur vultu et corporis ad auscultandum compositi habitu. Personas, ut diligentius operam dare possint doctori, a fronte in verticem reiectas gerunt *). Utrobique scenam seu cubiculum, in quo haec peraguntur, exornant hermae symbolis quibusdam, quid negotii hic gerant homines, aperte significantes. Alteri cippo imposita est persona, quantum in tenui et subtili caelatura animadvertere possumus, senis comici. Alteri in terminum quadratum conformato inest signum Priapi vel dei rustici. Basi insculpta est persona satyrica. Acuta est animadversio Caylussii ad h. l. argumentum operis esse Romanum, sed a Graeco artifice (addo, ad vetustius exemplar) scite caelatum. Unde hoc quoque iure nostro colligere posse videmur, non a Graecis tantum, sed a Romanis etiam, perpetuis in re scenica Graecorum imitatoribus, hanc fabularum discendarum rationem frequentatam fuisse. Idem confirmant duae gemmae rarissimae in thesauro antiquario, bonarum rerum, quas vix alibi reperias (v. *Forsters Ansichten* T. III. p. 181. seqq.), plenissimo, Ashtoniano, nunc Townleyiano in Britannia, quarum accuratam

*) Non desunt exempla in aliis gemmis eundem personarum in posticam capitis partem retractarum habitum manifestantium. Laudavit nonnulla Raspius in *Tassie's Catalogue* n. 3655. 60. 62. 63. Nova huc auctoritas accedit iis, quae alibi de personarum scenicarum structura et coagmentatione fusius disputavimus.

descriptionem debemus Raspio in Catalogo gemmarum *Tassiecano* *).

XIX.

DE ACTORIBUS PRIMARUM, SECUNDARUM ET TERTIARUM PARTIUM IN FABULIS GRAECIS PROLUSIO **).

Una fere nostra aetate nobis relicta est via, qua vete- 2
rum Graecarum Latinarumque literarum osores contemtoresque aggredi et importunas illorum vociferationes, quibus tetricas istas nugas abiiciendas et in malam rem mittendas esse clamitant, compescere possumus et retundere. Ostendendum scilicet, iterumque atque iterum illis inculcandum, multa adhuc superesse in veterum monumentis, unde quotidie proficere, unde in publica et privata disciplina exemplar nobis, quod intueamur, eligere, unde in bonarum artium rerumque pulcherrimarum investigatione egregie adiuvari possimus et exacui. Sic, ut in eo iam subsistamus, in quo excutiendo examinandoque per aliquot iam prolusiones operam posuimus, *res scenica* veterum immane quantum differt a nostratium in eodem genere elaborantium artificio, et tantum abest, ut veteribus in re tam levi et frivola, sic enim vulgo taxare solent histrionum studia, palmam praeripuisse gloriari possimus, ut hac quoque in re praeceptis illorum aegre careamus et, si quid in theatris nostris titubatum sit, statim intelligamus, haec caveri potuisse

*) n. 3564. 65. Iuvabit audire ipsum Raspium, cum liber iste sit non in manibus omnium, qui haec legent. *The rehearsing of a Comedy, or rather a distribution of the parts. The poet in the philosopher's cloak* (en scenam vere Graecam) *sits before a term distributing them to six actors and actresses* (fides sit apud auctorem), *who have not their masks on their faces, but thrown on the crown of their heads. A very curious engraving.* Sequens gemma ad idem argumentum scalpta tuatuor tantum figuras habere dicitur p. 240.

**) Prodiit Vimariae a. 1797.

a poetis et actoribus, in prisca illa arte, qua Graecorum hominum scena mirum in modum olim exsplenduit, probe subactis et exercitatis *). Quae cum ita sint, age, nunc quoque expromamus aliquid e re scenica veterum, in qua pertractanda cum hactenus, quotiescunque nobis de hisce literalis nostris commentandi sese nobis obtulisset occasio, strenue desudaverimus, nunc quoque non poenitebit nos operae nostrae, dum viris doctissimis, quorum suffragiis adhuc multum recreati sumus, illam probare nobis contingat.

Referti sunt libelli recentiorum, qui de arte histrionum in nostris theatris adhibita iudicium tulerunt, querelis gravissimis de insano vanae gloriolae aucupio, quo excoecati id tantum spectare solent actores, ut primas partes, in quibus magno boatu, gesticulatione frigida deblaterandis stolida eorum sese venditare possit iactantia, aliis e grege actoribus praeripiant. Ita enim sibi persuaserunt, non defore spectatorum plausus et significationes, dummodo personam sibi imposuerint magnificam, ampullas et sesquipedalia verba profundentem, et sententiarum pondere vel vestimentorum specie aures oculosque imperitorum percellentem. Sic fumum vendere et verba dare cupiunt inhianti popello. Sed dum omnes easdem partes sibi tradi volunt, et secundarum vel tertiarum adeo partium actores esse magnopere gravan-

*) Non defuerunt recentioribus etiam temporibus, qui omnia ad veterum theatrorum normam exigenda esse dictitarent in nostris ludis scenicis, sed magnopere peccarent in eo, quod ea in veteribus imitanda proponerent, quae nimis abhorrent ab ingenio et palato nostratium hominum. Quo factum est, ut putida illorum et abnormis plane haberetur diligentia. Talis fuit *Hedelinus* ille *Abbas d'Aubignac*, qui cum Richeliaei gratia valde floreret, et multa passim de veteris theatri instauratione non indocte, sed praepostere tamen effutiisset, (vide librum eius *Pratique du théâtre*, Amst. 1715 a *Menagio* acri censura perstrictum) tandem omnibus fuit derisui, cum fabulas procuderet ad antiquam rei scenicae legem concinnatas. v. *Voltaire Siècle de Louis* XIV. T. II. p. 365. Maiorem sollertiam in comparatione scenae Graecae et Francogallicae instituenda probavit idoneis harum rerum arbitris Abbas *du Bos*, qui tertio volumine praeclari operis *Reflexions critiques sur la peinture et la poésie* multa e veteribus annotavit, quibus nostra scena ornari queat et expoliri. Plura in eandem rem congessit *Pyeus*, Vir doctus Britannus, in Commentario ad Aristotelis poeticen scripto. Omnibus tamen, qui in eodem argumento elaborarunt, antecelluit *Lessingius* noster. Nam quae in *dramaturgia* disputavit ad auctoritatem Aristotelis constabiliendam, firmissimo subnixa sunt fundamento, nec labefactari poterunt argutis aliorum quaestiunculis.

tur, magna inde *) malorum vis ingruit in theatra nostra; clandestina histrionum maligno dente sese invicem arrodentium odia, iurgia, rixae, gratia male sarta, bellum, pax rursum, quo fit ut citius inter horologia conveniat, quam inter histriones eiusdem gregis. Hinc parum pensi habent, quid facto opus sit, ut communibus actorum studiis eandem fabulam agentium pulchre inter se congruant et conspirent omnia, ut ne quid emineat, quod offendere possit spectatores **), vel negligatur, quo neglecto tota claudicet fabula. 4
Hinc penitus exulat e theatris nostris elegantissima illa partium congruentia et aequalitas (Francogalli haud inepti sane huius rei artifices *l'ensemble* appellant), sine qua nullum plane elegantioris artis opus placere potest spectatori, intelligentia rei praedito.

Spes igitur est haud vana, me gratiam aliquam initurum ab antiquitatis studiosis, si *qua ratione apud Graecos et Romanos inter fabularum actores partes distributae et quo ordine peractae sint*, diligentius quam adhuc ab antiquitatis scenicae investigatoribus factam esse deprehendimus ***) exponam, fidemque libe-

*) Hoc vitium, quo nullum pestilentius et exitiosius afflavit artem scenicam, *Ifflandius*, laudatissimus Germaniae nostrae Roscius, graphice delineavit in libello vernacula lingua conscripto: *Fragmente über Menschendarstellung auf den deutschen Bühnen* s. IX. p. 109. seqq. Nomen illi indidit e re ipsa petitum et valde appositum: *die Rollensucht*.

**) Verbi causa, si quis secundarum partium actor, spectatorum oculis animisque in rem maioris momenti, quae cum maxime in scena transigitur, defixis, sanna aliqua ridicula vel gestu comico risus captet assidentium et reliquorum actorum colloquia odiosus interturbet. Dici non potest, quantum vulgo peccent in his histriones, inprimis illi, qui gratiosi sunt apud auditores et favorem illorum deliramentis suis non defore, facile intelligunt. Praeclare hac de re disputavit peritissimus artis scenicae apud Britannos magister, *Lloydius* in libello bonae frugis pleno: *the Actor*, inscripto, in quo haec quoque cap. XXX. p. 277. memoriae prodita legimus: *It is wrong for an actor, by ever so good a stroke or bye-play, to take off the attention from another, whom the conduct of the piece makes more important.*

***) Nolo iam laudare Gyraldum, Bulengerum, aliosque bene multos, quos in Thesauris et in Fabriciana bibliographia notatos reperias. Nominasse sufficiat *Barthelemium* in praeclaro opere, quod iter Anacharsidis per Graeciam esse voluit, cap. LXX. T. VII. p. 264. seqq. cuius errores aliquot in sequentibus notare, eo magis necessarium esse putavi, quod hic liber omnium iam manibus teritur, et si qua parum subtiliter in illo tradita sint, facile sparguntur et obsident tironum animos. Adde iis *Koelerum*, V. cl. qui in *dissertatione de re scenica veterum*, quam adiecit Chrestomathiae dramaticae e poetis Latinis excerptae (Stendalii 1794)

rem, nuper admodum in libello similis argumenti datam *).

Atque ut ab eo ordiamur, quod iam in priore aliqua prolusione monitum est, ab initio poetae Graeci, qui *docerent* fabulas suas, sibi elegerant discipulos, id est, actorum gregem (*Θίασον* perhonorifice appellat Ister in vita antiqua Sophoclis p. V. *ed. Brunck.*), quos variis exercitationibus subactos et condocefactos in scenam, choro a choragis accepto, producerent. Pendebant actores eiusmodi a nutu doctoris seu poetae, qui cum ingenium cuiusque et indolem probe perspectam haberet et exploratam, in distribuendis partibus optime dignoscebat, quid valerent humeri cuiusque, quid ferre recusarent. Nec abhorret a vero, posterioribus quoque temporibus, quibus poetae scenici nullo amplius necessitudinis vinculo cum grege actorum coniuncti essent, poetas tamen hoc semper quasi iure suo sibi sumsisse, ut quas partes cuilibet actorum demandatas vellent, ipsi distribuerent **). Clamant hoc loca veterum, etsi multa passim occurrunt difficilia, in quibus explicandis vel doctissimo aqua haereat, quo referendam esse putarim *sortitionem* histrionum, in qua explicanda multum iam laborarunt veteres Grammatici, recentioresque interpretes ***).

hanc quoque rem attigit p. 553. seq. Sed quo diutius et diligentius eam excutias, eo veriora esse intelliges, quae olim iam pronuntiavit Criticus inter paucos celebrandus *Io. Fr. Gronovius*, qui disputatiunculam hac de re instituturus *Observatt.* in *Scriptt. Eccles.* c. 20. p. 284. haecce praefatur: „*Rem notam et vulgatam passim appellant: et tamen adeo parum explicita est, ut mihi cupienti aliquid dicere propemodum aqua haereat, et metus oboriatur, ne quid dicam plus, quod me post minus dixisse satius est.*"

*) Peculiari dissertatione me hac de re acturum esse promiseram in libello didascalico de Ifflandii actione scenica p. 217.

**) Duo iam indicasse sufficiat loca, Aeliani unum V. H. II, 30. p. 105. ubi de Platone, fabulis scribendis in adolescentia operam dante, diserte affirmatur: *τετραλογίαν εἰργάσατο, καὶ ἔμελλεν ἀγωνιεῖσθαι δοὺς ἤδη τοῖς ὑποκριταῖς τὰ ποιήματα*, unde apparet, Platonis tempore, quo poetis nullum amplius cum actoribus intercedebat commercium, eundem tamen partium inter actores distribuendarum morem obtinuisse; alterum Alciphronis III, 71. p. 448. ubi poeta Comicus Lexiphanem comiter exceptum partes docet servuli in fabula Liberalibus insequentibus in scenam producenda. Atqui omnes istae epistolae scriptae esse finguntur tempore Menandri, Philemonis, seculis aliquot post scenae Atticae primordia interiectis.

***) Veteres istos Tragicos et comicos poetas suos sibi addictos et in perpetuum quasi emancipatos habuisse actores, exempla Cephisophontis,

Utcunque tamen hoc satis apparet, poetarum fuisse 6 scenicorum, fabularum, quas docerent, partes pro lubitu

---

qui Euripidis fabulas perpetuo agebat (vid. Thom. Mag. in vit. Euripidis p. 51. ed. Barnes. et literas ad hunc Cephisophontem ab Euripide scriptas in spuriis epistolis, quae tribuuntur Euripidi T. II. p. 502. ed. *Beck.*) et Cratetis, qui cum diu Cratino poetae comico in fabulis agendis operam dedisset, ipse tandem factus est poeta (vid. Schol. ad Aristoph. Equit. 535. et in *Fabricio Harlesiano* T. II. p. 429.) satis demonstrant. Sed procedente tempore mos invaluit, ut actores in arte histrionia probe exercitati mercede conducerent alios actores, quorum operam locarent choragis ad eas, quas festis diebus producturi essent fabulas. Hoc liquido apparet e loco Plutarchi in praecept. polit. T. II. p. 816. ubi refert Polum actorem celeberrimum conductitium habuisse (*μισθωτὸν*) actorem alium, unde facilius intelligitur, quo modo idem Polus biduo, quo egisset, magni talenti mercedem accipere potuerit. v. Plut. in vit. X rhet. p. 848. B. Nam verba *δυοῖν ἡμέραις ἀγωνισάμενος* accipio de actore primario et suam et viliorum actorum, quos ipse conduxerat, operam pro mercede illa locante. Sed sive soli essent, sive alios sibi adscivissent actores, non poterant produci a poetis pro lubitu, sed quotannis eodem, ni fallor, tempore, quo tribus Atticae choros sortiebantur, fiebat etiam sortitio actorum, quam ita factam esse puto. Profitebantur poetae, in magnis Dionysiis (de his enim sermonem esse, quoties *καινοῖς τραγῳδοῖς* certatum esse perhibent veteres, post *Hemsterhusii* ad Lucian. T. I. p. 166. s. et *Ruhnkenii* observationes in Auctario ad Hesychium nemo dubitat) in certamen descensuri, et fabulas novas commissuri apud Archontem *τὸν ἐπώνυμον*, cuius, ut Aedilium apud Romanos, ludorum scenicorum inspectio fuit. Si receptae essent illorum fabulae (nam interdum repudiabantur, quod appellabant *χορὸν οὐκ ἔλαβε* poeta, v. *Casaub.* ad Athen. XIV, 9. p. 908. *S. Petit. Legg. Att.* p. 352. ed. *Wess.*), tum tres illi vel duo poetae (tot enim erant, qui vel tetralogiis vel singulis tantum fabulis inter se certarent. Vide sis loca diligenter collecta a *Barthelemio* in *Memoriis Academiae Inscriptionum* T. XXXIX. p. 181.) inspiciente Archonte, sortito accipiebant tres actores, primarum, secundarum, tertiarumque partium scilicet. Nam si quae aliae in scenam prodirent personae, actorum nomine non censebantur. Quo facto partes illis distribuebant, fabulamque docebant. Manifesto haec omnia declarari possunt ex Hesychio T. II. c. 666, 17. et Suida T. II. p. 607. quorum uterque s. v. *Νεμήσεις ὑποκριτῶν* haec habet: *οἱ ποιηταὶ τρεῖς ἐλάμβανον ὑποκριτὰς κληρῳ νεμηθέντας, ὑποκρινομένους τὰ δράματα* (urgent hoc grammatici, ut hypocritae s. actores probe discernantur a *χορευταῖς*, quorum, quamvis in eodem dramate saltarent et canerent, prorsus diversa tamen fuit ratio) *ὧν ὁ νικήσας εἰς τοὐπιὸν ἄκριτος* (*sine sortitione*, ut recte explicavit *Hemsterhus. ad Lucian.* p. 167. 6.) *παραλαμβάνεται*. Postrema verba *Hemsterhusius* et *Barthelemius Voyag. d. j. An.* T. VII. p. 267. de poetis accipiunt, quorum qui in commissione fabularum superior discesserat, in posterum sine sortis discrimine suos sibi actores legeret. Sed pace tantorum virorum dixerim, ego postrema malim referre ad ipsos actores, quo etiam e communis structurae legibus pertinet illud *ὧν*. Puto igitur sensum verborum esse, actoribus, quorum opera poeta vicisset, hoc quasi praemium datum esse, ut sequenti anno sorte non acciperent poetam, qui fabulam illis traderet, sed ultro operam suam addicere possent poetae cuicunque. Fugit viros doctos, actorum etiam fuisse victoriam in fabularum commissione, non poetarum solum, ut patet e luculento loco Plutarchi in vita Alexan. c. 29. T. IV. p. 293. *Hutt.* ubi in ludis scenicis, quos in Phoenicia spectavit victor, duo celeberrimi illius aetatis comme-

distribuere, et cavere sedulo, ne quis imparatus et illotis, quod aiunt, manibus ad haec Musarum et Bacchi sacra accederet. Manifesto hoc declarat locus Luciani in Necyom. c. 16. T. I. p. 479. „*Opinor saepe te vidisse tragicos actores, qui, prout usus fabularum poposcerit, nunc Creontes, alias Priami fiunt, aut Agamemnones; idemque, qui paulo ante Cecropis aut Erechthei speciem prae se tulerat, confestim servus prodire solet a*
7 *poeta iussus, ὑπὸ τοῦ ποιητοῦ κελευσθείς.*" Hinc axiomata illa philosophorum, Stoicorum in primis, vitam cum fabula, homines cum actoribus comparantium, ut illud Arriani in Epicteteo Enchiridio c. 17. p. 54. *Heyn.* „*memento te actorem esse fabulae, οἷον ἂν θέλῃ ὁ διδάσκαλος*, ubi conferenda sunt omnino, quae disputat ad illum locum Simplicius c. 23. p. 127. *Salm. τὸ μὲν ἐκλέξασθαι τῶν ὑποκριτῶν ἕκαστον πρὸς τὸ ἐπιτήδειον πρόσωπον ἐν τῷ δράματι — τοῦ διδάσκοντος τὸ δρᾶμά ἐστι.* Pluscula collegit diligentissimus in hoc placito explicando *Carpzovius* ad *Aristonis Chii paradoxon* s. II. c. 4. p. 264. seqq. Sapienter admodum hoc excogitatum fuisse ab antiquis, non est, quod multis demonstremus. Obsecundare debebant et morigerari poetis actores, quos, nisi *doctoris* nomine plane indigni haberi vellent, singulorum actorum indolem et sollertiam penitus cognitam habuisse, consentaneum est. Hic versutiis istis, et malignis obtrectationibus, quibus hodie actores eiusdem gregis sese mutuo petere, et partes, quas quilibet sibi praeoptaverit, sibi invicem ereptum ire solent, nullus plane relictus erat locus *). Nec poterant iram in

morantur actores, Athenodorus et Thessalus, quorum posterior cum iudicum sententia inferior discessisset, valde hoc pupugit Alexandrum. Hic aperte habes Athenodorum *νικῶντα*, Thessalum *νενικημένον*. Simul apparet, habuisse actores istos greges sibi auctoratos, cf. *Arrian.* de Exped. Al. VIII, 7. p. 540. ed. Gron. ubi diserte nominantur *ὑποκριταὶ τραγῳδίας καὶ κωμῳδίας πάμπολλοι*, qui ad Alexandrum Darii victorem confluxerint. E Pollucis vero loco IV, 88. de Hermone, histrione comico, qui *λαχὼν μετὰ πολλοὺς*, subito evocatur, satis apparet, non solum de poetis, sed etiam de ordine, quo fabulae sibi succederent, sortitos esse actores. Caeterum vix est, quod moneam, sapienter istam sortitionem ab Atheniensibus institutam fuisse. Hac enim via infinitis rixis et machinationibus occursum esse, quibus, si poetis actores eligere licuisset in *certamine scenico*, ianua aperta fuisset.

*) Temperare mihi non possum, quin adscribam verba *Engelii* nostri, idonei harum rerum arbitri, in libro theotisce scripto *Ideen zu einer Mi-*

poetam ipsum conceptam temere effundere in fabulam; quod hodie interdum fieri videmus ab actoribus, de industria peccantibus, ut aegritudo inde oriatur cohortis suae magistro, vel misello poetae, qui forte bilem commovit histrioni. Non ferebat eiusmodi socordiam aut sinistros mores populus in theatro. Ingens statim oriebatur turba. Sibilis et *pastoritia*, quam Cicero vocat, *fistula*, pedum supplosione, clamoribus eiiciebantur. Quin flagris caesos et lapidatos esse interdum malos actores, memoriae proditum legimus *).

---

mik T. II. cap. XXXIX. p. 194. Postquam multa disputaverat de officio histrionum inserviendi personae suae et id agendi, ut omnia pulchre inter se cohaereant et congruant, adiicit: „*Es sollte das Hauptgeschäft jedes Vorstehers einer Bühne sein, dass er den Schauspieler aus der Idee des Ganzen belehrte, ihm seine Stelle in jeder Gruppe anwiese, ihn, wo er ausschweifen wollte, in Schranken hielte. Doch freilich sind diess nur Träume, so lange der Schauspieler sich stolz der Belehrung entzieht und sich einer Unterordnung schämt, ohne die doch unmöglich eine Menge zusammen arbeitender Künstler etwas nur Mittelmässiges leisten kann u. s. w.*"

*) Tenendum hic est, spectatores cum in poetas ipsos, tum in actores iudicium sibi arrogasse. Quae quidem minime sunt confundenda, quod fecit *Barthelemius Voyag. d. j. An.* T. II. p. 276. qui locum Aristophanis de Magnete poeta Comico in *Equit.* 519. male intellexit de comoedo. Sed explodebantur interdum actores, quamvis poetae fabula per se non displiceret, quod diserte affirmat Lucianus in Nigrin. c. 8. p. 47. Quo magis ea res sollicitos habuit poetas, quibus magni constabat haec actorum stoliditas. Hinc intelligimus, quod Plato dixit in Charmide p. 468. C. *ὀργίζεσθαι ποιητὴν ὑποκριτῇ κακῶς διατιθέντι τὰ ἑαυτοῦ ποιήματα.* Saepius enim conqueritur Plato de auditorum licentia, ingenti clamore iis, quae sibi displicerent, obstrepentium. Vide de Legg. II. p. 659. (T. VII. p. 72. 73. *Bip.*) et de Legg. III. p. 700. C. (p. 154. Bip.) ubi laudat maiorum modestiam, *οὐ σύριγξ ἦν* (pulchre Ciceronis *pastoritiam fistulam* in Epp. ad Att. I, 16. comparavit iam *Muretus Var. Lect.* I, 19.) *οὐδέ τινες ἄμουσοι βοαὶ πλήθους.* Varia contumeliarum, quibus afficiebant actores male titubantes, genera recensuit Pollux IV, 122. Nec tumultuari desinebant, priusquam actor, qui offenderat illos, scenam relinqueret, idque vocabulo in hac re proprio appellabant *ἐκβάλλειν*, Latini *eiicere.* Exempla si desideras, abunde suppeditabit *Fischerus* ad Aeschinis Dial. III, 12. p. 144. *ed. nov.* Sed notatu in primis dignus locus Pollucis de Hermone comoedo IV, 88. qui, cum in postrema fabula, plures enim in certamen veniebant, partes ei agendae essent, discesserat forte a theatro, dum priores peragerentur, vocis exercendae gratia. Sed cum exigerentur reliqui, qui ordine priores erant, actores, subito illum evocavit populus, *τῶν πρὸ αὐτοῦ πάντων ἐκπεσόντων, Ἕρμωνα ὁ κῆρυξ ἀνεκαλεῖτο.* De *λιθοβολίᾳ* multi multa iam annotarunt v. c. *Casaubonus* ad Athen. VI, p. p. 431. et VV. DD. ad Petron. c. 90. p. 437. Addo Demosth. de falsa legat. p. 449, 20. Sed et flagellis caesos esse iussu Agonethetarum actores, qui defuissent partibus suis, in primis si deorum personam, Iovis, aut Neptuni, aut Palladis sibi impositam deturpassent, efficitur e dictis locis Luciani in Piscat. c. 33. T. I. p. 602. et in Apologia pro merced. cond. c. 5. p. 713.

8 Sed alius hic nobis iniici poterit scrupulus, qui me saepius iam sollicitum habuit et exercitatum. Producebantur fabulae in scenam non solum Athenis, sed in aliis etiam per universam Graeciam oppidis. Atqui non ubique praesto erant poetae, qui partes assignarent. Nec novae semper componebantur fabulae. Iterum iterumque repetebantur, quarum auctores iam dudum fato functi essent. Quis quaeso in eiusmodi fabulis partes actoribus distribuebat? Enimvero non est, quod valde laboremus. In promtu est responsio. Poeta, etiam si absens erat vel mortuus, tamen partes assignabat singulas. Quaeris, qui hoc effici potuerit? Audi, et scenicam veterum mirare sapientiam. Habuit, ut inter omnes constat, scena antiqua Graecorum tres actores inde ab Aeschyli iam et Sophoclis temporibus rite constitutos. Sed quamvis omnes actorum nomine censerentur, multum tamen abfuit, ut eodem loco et numero haberentur. Qui plurima recitaret, laterumque viribus et tota actione praepolleret, actor fuit *primarum partium*. *Secundas* agebat, qui paululum illi esset inferior. Accedebat *tertiarum* actor, longe deteriore conditione, quam
9 priores illi duo *). Iam vero in omnibus, quae populo ex-

*) Optima mihi videtur definitio *J. Tollii* ad Lucian. de Calumn. non temere cred. c. 7. T. III. p. 134. actorem primarum partium esse, *qui plurima in aliqua fabula recitaret*. In eodem enim reliquae praestantissimi actoris cernebantur virtutes et pulchre respondet verbis Asconii ad *Cic. Divinat. in Caecil.* c. 15. T. I. p. 325. Graev. *Est persona primarum partium, quae saepius actu regreditur, secundarum et tertiarum; quae minus minusque procedunt.* Atque hinc etiam explicanda est appellatio πρωταγωνιστής, δευτεραγωνιστής, τριταγωνιστής. Πρωταγωνιστής tunc demum dici coeptum est, cum Aeschylus alteram personam addidisset Thespidis invento. Ἀγωνισταὶ enim, quod vel ex Polluce satis constat, omnes appellabantur actores, cf. Hesych. T. I. c. 80. cum nota. Iam vero πρωτεγωνιστοῦ vocabulum plane nullum esset, nisi accessisset iam δευτεραγωνιστής. Hinc explico locum Aristotelis in Poetic. c. IV. de Aeschylo: τὸν λόγον πρωταγωνιστὴν παρεσκέυασε, quod nolim cum *Twiningio not.* 31. p. 197. accipere de eo, quod τὴν λέξιν (*the recitative part of the drama*) chori canticis longiorem et praecellentiorem effecerit Aeschylus, sed simpliciter interpretari de fabulae vel dialogi partibus, quae actori principi traderentur. Non multum abludit a *sententia nostra* Lessingiana horum vocabulorum interpretatio *in vita Sophoclis* Opp. T. XIV. p. 367. seqq. Caeterum multa e definitione nostra declarantur, quibus, si aliter rem explices, magnas offusas esse senties tenebras. Sic, quam ipse olim professus sum, iam retractare cogor sententiam, actores lussu poetae saepe partes ita inter se commutasse, ut peritior artifex secundas ageret, deteriore primas agente. Helleboro opus esse diceres poetae, qui talia comminisceretur. Fraudi mihi fuit fragmentum Bionis apud

hiberentur fabulis, diligenter hoc a poeta observatum esse arbitror, ut, quaenam in unaquaque fabula partes essent primae, quae secundae, quae tertiae, accurate indicaret *). Et cognoscere hoc poterant spectatores statim ab introitu personarum in proscenium. Tres enim, Polluce teste, in loco nobilissimo, fuerunt portae, singulis actoribus ita assignatae, ut primarum partium actor prodiret e media, secundarum dextrorsum, tertiarum sinistrorsum conspicoretur **). Hoc magnum habuit ad universae fabulae de-

Stobaeum Serm. XXXVII. p. 117. quo cum in errorem inductus sit ipse *Valesius* in docta nota ad *Mausaci not. ad Harpocrat.* p. 117. aliique bene multi, non pigebit adscribere verba. Comparatur Fortuna cum poetria, ὅτε μὲν πρωτολόγου ὅτε δὲ ὑστερολόγου περιτίθησι πρόσωπον, καὶ ὅτε μὲν βασιλέως, ὅτε δὲ ἀλήτου· (sic enim legendum, non αὐλητοῦ) μὴ ὂν βούλου δευτερολόγος τὸ πρωτολόγου πρόσωπον. Hic primum falso opinati sunt, πρωτολόγον et δευτερολόγον plane eundem esse, qui alibi πρωταγωνιστής dicitur et δευτεραγωνιστής. Sed in prioribus vocabulis ordo tantum spectatur, quo persona in scenam prodit. Sic umbra Polydori, ut hoc exemplo utar, πρωτολόγος est in Hecuba Euripidis (et sic saepe convenit cum προλόγῳ), sed ridiculum foret, eandem appellare πρωταγωνιστήν, cuius partes in fabula Euripidis haud dubie Hecubae fuerunt. Veram hanc esse vocabulorum illorum significationem apparet ex usu forensi oratorum Atticorum, apud quos δευτερολογίαν, τριτολογίαν de causidico, qui secundo, tertio loco verba facit, usurpari iam a *Budaeo* in *Comment. Gr.* p. 162. 10. adnotatum reperimus. Atqui oratores illi, qui secundo vel tertio loco dicerent, (*subscriptores* Romani appellabant, vid. *Manutium* et *Hotomannum* ad Cic. divinat. in Verr. c. 15.) neqnaquam inferiore loco habiti sunt, aut in breviorem se gyrum redigi passi sunt, quam qui primo loco causam orarent. Sic pulcherrima inter Demosthenicas oratio, Leptinea, δευτερολογία tantum fuit. Vid. *Wolfium* in doctissimis *Prolegg.* p. XXXXVIII. Quod si verum est illud, πρωτολόγον et δευτερολ. non confundi apud antiquos *in re scenica* (nam in usu forensi permixta esse ista vocabula, ex Ulpiano et Libanio satis constat) cum πρωταγ. et δευτεραγ. concidat etiam oportet error, quo abreptus ipse olim contendi, poetam interdum meliori actori imposuisse personam secundarum, vel tertiarum partium. Hoc certe non sequitur e verbis Bionis, qui id tantum affirmare videtur, poetam eundem actorem modo statim in scenam producere, modo ad finem fabulae (tales in Euripidis Hecuba saepe iam laudata partes sunt Polymestoris); modo regis, modo mendici partes illi imponere. (Respexit, ni fallor, Telephum, Oeneum, Bellerophontem, aliosque id genus heroes, quos pannis obsitos miserabili specie in scenam induxerat Euripides, salse risus ab Aristophane Acharn. 414. seqq.)

*) Huc refero fragmentum Menandri apud Stobaeum, quod non extat in collectione Clerici, a Valesio laudatum ad Harp. p. 117. Πράττει δ' ὁ Κόλαξ. ἄριστα πάντων, δεύτερα ὁ Συκοφάντης, ὁ Κακοήθης τρίτα λέγει. Sic, quod Donatus monuit ad initium Phormionis Terentiani, in illa fabula palliata primas partes tenet Phormio.

**) Luculentus Pollucis locus IV, 124. sic se habet. „*Cum tres sint in scena portae, media porta aut pertinet ad regiam, aut ad cavernam, aut ad domum praestantiorem, aut quicquid primas in fabula absolvit*

scriptionem et seriem intelligendam adiumentum et cum semel a poeta dispositum esset et in διδασκαλίαις fabularum perscriptum, nunquam mutari potuit procedente tempore. Nam habuerunt haud dubie etiam theatra instituta maioribus de manu in manum tradita, a quibus deflectere nefas, unde facile intelligitur, eandem rationem, quam inierat poeta, cum ipse primum doceret fabulam suam, in distribuendis partibus servatam esse multis seculis post ab Athenodoro, Thessalo, Polo, Theodoro, aliisque actoribus, quos universa celebravit Graecia.

Enimvero haec partium distributio, si rem diligentius pensitemus, magnam vim habuisse videtur in finibus actionis scenicae constituendis regendisque, quam longe severioribus legibus adstrictam fuisse, quam quibus nostri hodie histriones coercentur, ex omnibus antiquitatis monumentis manifesto apparet. Ac dolendum sane, tam pauca, eaque

---

partes, πᾶν τὸ πρωταγωνιστοῦν τοῦ δράματος. Bene monuit Vir Doctus in Observationibus ad versionem vernaculam huius loci *Vitruvio Rodiano* T. I. p. 277. adiectam, sermonem hic esse de triplici fabularum apud Graecos genere. In Tragoedia medius in scenam introitus *plerumque* refert aedes regias, vel ubicunque commoratur actor, qui primas partes sustinet, v. c. in Euripidis Hecuba tentorium Agamemnonis, unde prodit Hecuba, cuius primae sunt in illa fabula partes. In dramate satyrico speluncae aditum refert. Satyri enim in silvis et speluncis habitant. Sic in uno, quod superest, dramate satyrico Euripidis in media scena aditus patuit ad antrum Cyclopis, et cum Cyclops ipse primum ex antro prodeat, primas partes in illa fabula fuisse Polyphemi, non Ulyssis satis apparet. In comoedia domus senis vel amatoris vel servuli in medio sita esse fingitur, quae pertinet ad actorem primarum partium. Sic in Eunucho Terentii, Graeca Menandri fabula, Parmeno, qui notante Donato primas agit partes, statim ab initio fabulae prodiisse putandus est e porta media, quae fuit ianua aedium herilium, τοῦ οἴκου ἐνδόξου, ut Pollux ait. Iam audiamus reliqua Pollucis: *Dextra porta ad illius aedes spectare fingitur, qui secundarum partium est actor*, ἡ δεξιὰ τοῦ δευτεραγωνιστοῦντος καταγώγιον. *Sinistra porta ad vilissimam pertinet personam*, τὸ ἐντελέστατον ἔχει πρόσωπον. Ecquis non videt, hic sermonem esse de actore tertiarum partium, cuius ἐντέλειαν pulchre descripsit Demosthenes *pro Coron.* p. 314. seq. ed. Reisk. Haud dissimilia in eadem re tradit Vitruvius, ubi verba facit de cuneis V, 6. p. 190. *Galian.* „*Unus medius* (sc. cuneus) *contra se valvas regias habere debet: et qui erunt dextra ac sinistra, hospitalium designabunt compositionem.*" Bene ibi Galianus hospitalia (ξενῶνες) de aedibus minoribus explicat, regiae utrinque adiunctis. Nam tragicam inprimis scenam spectant verba Vitruvii, quod ea esset omnium praestantissima. Adeat, cui liber in promtu est, *Houelii*, pictoris Francogalli, praeclarum Itinerarium, quod inscripsit *Voyage pittoresque de Sicile* T. II. p. 38. ubi in parietinis et ruderibus Tauromenitani theatri tres portas, de quibus hic sermo est, sagaciter indagavit artifex divinandi peritissimus.

vix leviter adumbrata, moris istius scenici relicta esse vestigia. Nam si plura nobis et certiora innotuissent, nos multa inde in usum nostrum convertere potuisse, nullus dubito. Ponamus certe ea, quae indagare licuit, et quae inde colligi possint, videamus.

Primum igitur est illud, quod e Cicerone nobis constat in loco valde commemorabili in *divinat.* in Verrem c. 15., ubi Caecilium fiduciam suam in accusando Verre collocasse ait in Allienum quendam, qui, deficiente Caecilio, partes eius impleturus, sed, ut consulat existimationi oratoris principis, aliquid tamen remissurus sit in contentione. Sequitur iam comparatio Allieni cum actoribus Graecis: *Ut in actoribus Graecis fieri videmus: saepe illum, qui est secundarum, aut tertiarum partium, cum possit aliquanto clarius dicere, quam ipse primarum, multum submittere, ut ille princeps quam maxime excellat: sic faciet Allienus; tibi serviet, tibi lenocinabitur: minus aliquanto contendet, quam potest.* Videmus, quanta cura et sollicitudine id egerint, ut qui πρωταγωνιστής esset, non gestu tantummodo, et omni omnino actione, sed voce etiam et modulatione carminum, reliquos antecelleret. Nimirum hoc in primis reputemus oportet, omnem fere actorum laudem in vocis contentione et claritate positam fuisse*) et de-

*) Luculenter id probat locus Luciani de Salt. 27. T. II. p. 286. ubi de cantore i. e. actore fabularum, μόνης τῆς φωνῆς ὑπεύθυνον παρέχων ἑαυτόν· τὰ γὰρ ἄλλα τοῖς ποιηταῖς ἐμέλησε. Ad quem locum recte observat *Gesnerus*, tragico actori nihil neque ad laudem, neque ad turpitudinem imputatum esse praeter vocem, prout bene vel male pronuntiaverit versus poetae. Adde prout clara, aut fusca voce declamaret. Propterea incredibili fere contentione vocem excolebant tragoedi. Locus classicus in hanc rem est Ciceronis de Orat. I, 59. „*Tragoedi Graeci annos complures sedentes declamitant, et quotidie, antequam pronuntient, vocem cubantes sensim excitant* (ἀποχειροῦσθαι τῆς φωνῆς, Poll. IV, 88. de Hermone actore) *eandemque cum egerunt* — paulatim *colligunt*. Et fastidiosissimae in his erant aures spectatorum. Refert Cicero de Orat. I. 61. Aesopum nobilissimum illius aetatis tragoedum, si paulum irrauserit, explosum esse. At memoratu dignum etiam, quod extat in Pseudo-Plutarchi libello de X rhet. T. II. Opp. p. 844. F. Demosthenem drachmarum myriadem pependisse Neoptolemo actori, cui operam dedisset in declamando. Nec poenitebit consuluisse in hanc rem doctam notam *Gesneri* ad Quint. XI, 3. 7. et quae de vociferationis, cui histriones operam assiduam navarent, exercitio, μελέτας appellat Aristoteles in loco luculento Problem. XI, 22. docte collegerunt *Mercurialis Art. Gymn.* III, 7. p. 206. seqq. et acutissimus *Bosius sur la poésie et la peinture*, T. III. p. 257. seqq.

12 huisse illum, cui primae partes assignatae essent, consummatissimam et, ut Quintiliani vocabulo utar (XI, 3. 62.), *secu-ram* vocis claritatem ostendere, quae, quo magis exsplendesceret in theatro, obtudisse vocem et submisisse reliquos. Cogitemus et illud, partes primas in fabulis non semper ita fuisse comparatas, ut vastiore vocis boatu percellendae essent aures auditorum. Motione saepe et actione cernebantur, in primis si essent, quod Latini appellabant, *motoriae*, non *stataríae*. Cum igitur πρωταγωνιστῆ saepe voce temperatiore opus esset, quae iucunditatis lenocinio permulceret, non asperitate pertunderet *), necessario submittebant vocem actores reliqui, ne importuna claritate obstreperent actori principi. Iam vero facili coniectura assequi possumus, non solum in voce, sed in omni actione inserviisse et quasi lenocinatos esse primarum partium personae histriones reliquos **). Nam ut in pictura una aliqua figura ita expressa sit oportet, ut plane emineat, et vel lucis fulgore alliciat, vel toto habitu rapiat oculos spectatorum, reliquae ornamenti magis causa adduntur, et ut ancillulae et pedissequae comitantur figuram illam primariam: sic in arte histrionia effulgeat et enitescat actor prima-
13 rum partium, reliquorum quasi satellitio tantum et comitatu stipatus. Egregium profecto artificium, quod, si a Francogallorum theatris discedas, in quibus idem a peritissimo quoque observatum esse novimus, vix alibi in recentiorum ludis scenicis reperias.

Accedit aliud, quo probe diiudicare possumus, quam acuta et subacta fuerint Graecorum in partibus fabularum

---

*) Nam actores illi primarum partium non semper *grande aliquid* eligebant, *quod pulmo animae praelargus anhelet*, ut cum Persio loquar. Audiamus Ciceronem de Off. I, 31. „*Scenici non optimas, sed sibi accommodatissimas fabulas eligunt. Qui voce freti sunt, Epigonos Medumque: qui gestu, Menalippam, Clytemnestram: semper Rutilius, quem ego memini, Antiopam: non saepe Aesopus Aiacem.*" Scio de theatris Romanorum hic sermonem esse, quae multum differunt a Graecorum usu scenico. Sed tragoedos tamen in fabulis e Graeco fonte ductis Graecorum etiam disciplinam observasse, alibi copiosius ostendam.

**) Quod ipsum cum maximam delectationem afferret spectatoribus, invaluit paulatim mos, ut unus actorum recitaret versus, alter gestu exprimeret versus, qui *secundas agere* illi priori dicebatur, vel simpliciter *saltare*, vid. Lucian. de Salt. c. 30. T. II. p. 286. Inde paulatim processerunt pantomimi apud Romanos.

recte aestimandis iudicia. Reges, tyranni et id genus personae, quas vulgo speciosissimas putant et summa cupiditate consectantur nostrae aetatis histriones non contemnendi, in Graecorum scena plerumque agebantur ab actore infimo, vel, si fas est ita loqui, *tertiario*. Aperte hoc ostendi potest e nobilissimo loco orationis Demostheneae, quae de *falsa legatione* inscribitur. Acriter ibi pungit orator Aeschinem adversarium, quod ab illustriore histrione mercede conductus scenae operam suam addixerit in tertiarum partium personis, quas quantopere vilipenderint veteres, dilucide apparet ex Demosthenis in eundem Aeschinem dicteriis in oratione pro Corona*). Atque in ea oratione, cui nomen est *de falsa legatione*, orator ab Aeschine Creontis tyranni Thebarum partes sustinente versus ex Antigona Sophoclis recitatos esse fingit (v. 174. seqq.), quos in clandestinas Aeschinis machinationes callide detorquet. Quem quidem aculeum ut eo altius infigat in adversarii animum, animadvertere iubet auditores, hoc ita in more positum esse, ut tertiarum partium actores regum et tyrannorum exornentur personis. En verba ipsa p. 418, 11. *ed. Reisk.* ἴστε 14
γὰρ δήπου τοῦθ', ὅτι ἐν ἅπασι τοῖς δράμασι τοῖς τραγικοῖς, ἐξαίρετόν ἐστιν ὥσπερ γέρας τι τοῖς τριταγωνισταῖς, τὸ τοὺς

*) Aeschines in iuventute histrioniam fecerat. Hoc per se minime ignominiosum Athenis. Novimus enim e Demosthene de fals. legat. p. 442. *Reisk.* Aristodemum, actorem *primarum partium*, legatum missum esse ab Atheniensibus ad Philippum regem. Cf. *Barthélemy Voyage d. j. An.* T. VII. p. 277. Sed illud turpe, quod Aeschines ad primas partes agendas nunquam adspirare potuit, sed in tertiis, quae vilissimo cuique tradebantur, haesit, cf. Fabric. Notit. tragicorum s. v. Aeschines. Plenae igitur sunt orationes *pro Corona* et *de falsa legatione* dicteriis, quibus adversarium hoc nomine oblique carpit et suggillat Demosthenes. Sic aliquoties eum appellat ἄχρον τριταγωνιστήν p. 270. 11. 297, 26. *Reisk.* cui respondet altera appellatio αὐτοτραγικοπίθηκος p. 367, 25. Simia enim fuit reliquorum actorum histrio tertiarius. Reliqua loca suppeditabit Index Reiskii cum docta nota *Taylori* in *Apparatu Critico* p. 448. Unum tamen locum, paulo obscuriorem, silentio plane praeterire non possum. Ubi exprobrat vilissima in scena ministeria p. 314, 10. (c. 79. p. 516. *Harl.*) haec quoque extant dicta in Aeschinem: μισθώσας σεαυτὸν τοῖς βαρυστόνοις ἐπικαλουμένοις ἡμίσεσι ὑποκριταῖς, Σμύλῳ καὶ Σωκράτει ἐκριταγωνίστοις. Βαρυστόνους Hesychii glossa explicat κακοδαίμονας. Intelligendi videntur actores, voce subrauca et duriter elisa iram simulantes (nam, ut Quintilianus ait, *in ira vox est aspera et densa et respiratione crebra* XI, 3. 62). Sic apud Pollucem IV, 114. actor occurrit βομβῶν, περιβομβῶν. Digna etiam notatu, quae sequuntur apud Demosthenem, de actore poma in scenam conjecta sublegente et plagis a spectatoribus male mulcato. Multa de his *Ferrarius de acclamationibus veterum.*

τυράννους καὶ τοὺς τὰ σχήματα ἔχοντας εἰρήναι. Causam enucleabit scriptor vetustissimus in Ulpiani ad h. l. commentario. Non ignorabant scilicet periti in arte histrionia artifices, qui vilioris conditionis actoribus ista tradebant agenda, quam invidiosus esset fastus ille tyrannorum in scena sese traducentium et quam parum idonea universa illorum oratio ad movendos deliniendosque auditorum animos. *). Hinc intelligitur etiam, quid Lucianus sibi voluerit in loco superius iam laudato in Necyom. c. 16. ubi eundem actorem modo regis superbi, modo humilis servuli partes sustinere, observat. Scilicet utrumque pertinebat ad tertiarum partium actores, licet interdum *in comoedia* servi etiam essent primarum partium **). Notandum porro in loco illo Demosthenis diserte commemorari, in eodem Sophoclis dramate Antigonen ipsam, primas nimirum fabulae partes, actitatam esse a celeberrimis illius aetatis actoribus Theodoro et Aristodemo. Atqui de hoc ipso Theodoro scite monet Plutarchus in praeceptis politicis T. II. p. 816. loco saepius iam laudato, illum tertiarum partium actori (τὰ τρίτα λέγοντι, respexit Plutarchus verba Demosthenis in oratione nostra, p. 418, 5.) saepe obsecundasse et submissa voce suffragatum esse, si tyranni specie, diademate et sceptro ornatus, prodiisset ille μισθωτός, mercede ipsi illi Theodoro auctoratus.

*) Ulpianus ad h. l. e vetere scriptore, qui θεατρικὰς ἱστορίας collegerat, haec habet: Personam tyrannorum, τῶν δυναστευόντων, ideo impositam esse deterioris conditionis actori, quod turgida illorum et inflata oratio animos parum moveret. In Graecis exemplaribus postrema sic leguntur: ἐπειδὴ ἧττόν ἐστι παθητικὰ καὶ ὑπέρογκα. Novimus, quid ὄγκον appellet Longinus s. VIII, 3. ubi diserte affirmat, orationem illam tumidam affectu destitui. Nec consuluisse pigebit doctam dissertationem *Gatackeri* de hac voce in *Advers. Posthum.* c. 3. p. 419—26. Opp. ubi multa exempla collegit de usu huius vocis in fastu regio notando. Caeterum hic quoque observent lectores, quod ab aliis iam monitum fuit, et poetas in scribendis, et histriones in agendis tragoediis omnes nervos intendisse in eo, ut regiam potestatem in contemtum et odium adducerent, iramque in tyrannos accensam magis magisque inflammarent. Scilicet ingenium populi talibus spectaculis avide inhianti probe callebant, qui vilissimo cuique partes regum tradentes, minas illorum et vana terriculamenta omnium ludibrio et risui exponerent.

**) Cic. pro Flacco c. 27. „*Quis unquam Graecus comoediam scripsit, in qua servus primarum partium non Lydus esset?*" Scilicet is est, qui ἡγεμὼν θεράπων appellatur a Polluce IV, 149. Sic in Terentii Eunucho et Heautontimorumeno Parmenonis et Syri, servorum, partes primas fuisse, e Donati didascaliis satis constat.

Atque hinc quoque discimus, quid appellatum sit tunc temporis, *inservire personae.*

Addamus iam tertium, quod de eodem Theodoro narrat Aristoteles Polit. VII, 17. p. 562. F. qui, sapientissimum illud praeceptum inculcaturus, videndum esse, ne teneri inventutis animi obscenis sermonibus contaminentur et, ut sincerum vas, incrustentur, non inscite in arte histrionia versatum esse observat Theodorum tragoedum, *οὐδενὶ γὰρ πώποτε παρῆκεν ἑαυτοῦ προεισάγειν, οὐδὲ τῶν εὐτελῶν ὑποκριτῶν* (habes hic *tertiarum actores*) *ὡς οἰκειουμένων τῶν θεατῶν ταῖς πρώταις ἀκοαῖς. Valesius*, qui *ad Harpocrat.* p. 118. ex h. l. colligit, Theodorum semper *πρωταγωνιστήν* fuisse, haud scio an mentem philosophi recte ceperit. Nam qui potuit in omnibus fabulis primas partes agere, si primus semper prodiret in scenam? Scilicet vulgari errore captus fuit etiam Valesius, *πρωτολόγον* et *πρωτάγωνιστήν* eundem fuisse existimans. Ego locum obscurissimum vix aliter explicari posse puto, quam si ita statuamus, Theodorum, gregis histrionii conductorem et qui partes, quas ipsi libitum esset, posset eligere, modo primas, modo secundas sumsisse, id tantum spectans, ne quis prior progrederetur *). Sic, ut exemplis aliquot utar e Sophocle petitis, in Antigona et Oedipo utroque primas habuit, in Aiace secundas, quod Ulysses ibi initio fabulae cum Minerva sermones conferens inducitur.

Atque haec quidem hactenus. In animo erat evagari latius et, transitu facto ad scenam Romanorum, quid isti *primas agere* et *secundas* appellarint, copiosius declarare. Sed non capiunt hanc disputationem angustiae

*) Commodum succurrit alter locus Aristotelis de eodem Theodoro Rhet. III, 2. p. 700. F. ubi de voce eius ad summam veritatem composita honorificum perhibet testimonium: *vox illius τοῦ λέγοντος ἦθος εἶναι, αἱ δὲ* (aliorum sc. actorum) *ἀλλότριαι.* Hinc illum magis iucunditate, quam robore vocis placuisse, intelligimus. Caeterum peculiaris dissertationis argumentum est, disquirere de mercenariis histrionum gregibus, quorum magistros Theodorum, Polum, Thessalum et id genus inclytos actores fuisse, dubio caret. Apud scriptores, qui res Graeciae post Alexandrum M. exposuerunt, saepissime *τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν* nomine oppidatim circumeuntes et festis diebus ludos scenicos in illis oppidis exhibentes occurrunt. Greges isti appellati sunt *σύνοδοι.* Vide doctam notam *Wesselingii* ad Diod. III, 5. p. 251.

libelli. Alia igitur nobis circumspicienda erit scribendi opportunitas.

XX.

QUATUOR AETATES REI SCENICAE APUD VETERES PRIMIS LINEIS DESIGNATAE *).

2 Quam superiore anno de *actoribus primarum*, *secundarum*, *tertiarumque partium in fabulis Graecis* conscripsimus prolusionem, Virorum Doctissimorum, quibus haec subitaneam plerumque et vere *αὐτοσχεδιασμένην* scripturam non plane displicere praeter spem sane et exspectationem accepimus, hactenus suffragia tulit, ut multa tamen non satis enucleate exposita, multa silentio praetermissa esse, quae adhuc ad liquidum perducenda sint, nobis significarent. Et sic se res habet profecto. Copia, non inopia nos perdidit. Circumfusi sumus ingenti locorum, quae ad rem ludicram seu scenicam veterum pertinent, farragine a Casaubonis, Bulengeris, Meursiis, Ferrariis, Calliachiis, aliisque bene multis diligenter conquisita et undique constipata. Multa delitescunt in veterum monumentis nondum enotata et excerpta; plura, nostra quoque aetate a viris eruditissimis delibata, sed accuratius longe uberiusque pertractanda **). Quid multa? divitiis ipsis opprimimur, et quid

*) Prodiit haec prolusio Vimariae a. 1798.

**) Sic ut unum laudem, cuius nuper admodum copiam mihi factam esse laetor, *gestus scenicus* a Viro Cl. *Baden*, Kiloniensis Academiae professore, peculiari dissertatione pertractatus (Kiloniae 1798. 32 pp. in 4.) longe latius patet, quam ut limitibus, quibus in illo libello circumscribitur, arctioribus contineri possit. Parum equidem tribuendum esse censeo picturis illis e codice Vaticano a Mainardo, Bergero et Cocquelinio editis. Exstant sex Codd. Terentii cum picturis in bibliotheca reipublicae Francogallicae Parisina, quas vel e Menagio in commentatione super Terentii Heautontimorumeno adversus Hedelinum cognitas habent Viri Docti. Sed tam pingui ista omnia expressa sunt Minerva, et pictorum socordia ita depravata, ut in gestibus diiudicandis caute admodum et circumspecte nobis versandum sit. Nec sigilla multum iuvant, quae e Museo Borgiano laudat Bademus. Multa istiusmodi delineata et descripta reperias in opere Ficoroniano et inprimis in Collectione copiosissima Comitis

potissimum seligamus, in tanta copia recte exputare non possumus. Atqui in nulla re magis luxuriavit exultavitque versatile Graecorum Romanorumque ingenium, quam in fabularum actu et in re scenica identidem ad mores ac palatum saeculi deflectenda, immutanda, attemperanda. Temporibus haec omnia rite sunt secernenda et dispescenda. Cogitemus ab Aeschyli et Epicharmi aetate usque ad Chrysostomum et qui aetate illum exceperunt, scriptores utriusque linguae ecclesiasticos, in quibus multa passim de labe saeculi *fidelibus* e theatrorum contagione adspersa occurrunt, plus mille annorum intercessisse spatium. Quot quantasque hoc temporis intervallo praesertim in rebus ludicris et nugis, quae nullam in se nec legem habent nec regulam, mutationes ac vicissitudines evenisse probabile est et consentaneum? Scripserunt maiores nostri, qui multifariis sagarum incantamentis veneficiisque cupide nimis inhiantes deludi se et irrideri istiusmodi deliramentis parum intelligerent, *Proteum infernalem*, ob multiformes, qui volumine isto continebantur, daemonum praestigias sic appellatum. Itidem nos quoque, si otium suppeteret, et titulus libro, quae res saepe magis excruciat scriptores, quam ipsum scribendi studium, anquirendus esset, commentarios de re scenica veterum titulo exornaremus satis festivo, *Protei scenici* nomen illis praefigentes. Nam *quo constringas Protea nodo?* hic quoque exclamare possemus. Sed non est, quod laboremus de titulis opellae nostrae reperiundis. Prostat adhuc et legitur non sine pudore nostro in nundinalibus chartis, quibus in mercatu Lipsiensi hornum ingeniorum proventum quotannis celebrare solent et venalem protrudere bibliopolae, *Didascalicus* noster, duobus iam abhinc annis promissus, necdum profligatus et e prelo dimissus. Scilicet ut dies diem docet, hic quoque curae quotidie succrescunt posteriores,

---

Caylus. Scilicet res tota repetenda esset ab *ὑποκρίσει* rhapsodorum, qui gestibus adiutabant recitationem carminum Homericorum, perveniendi essent omnes gestus ad contemtum, admirationem, minas, risum compositi, ad quos declarandos laetissimo exuberavit proventu lingua Graeca et Romana, distinguendi gestus tragici, comici, mimici et, ut tota res oculis quasi subiiciatur, scena aliqua Plautina vel Terentiana gestibus, quos ab actoribus adhibitos esse divinando assequi possimus, signanda. Quantus labor in quam tenui argumento!

et quo diutius diligentiusque in Graecis Romanisque exemplaribus, unde adiumenti aliquid vel lucis ad rem scenicam illustrandam me petere posse intelligo, evolvendis excutiendisque versor, eo plures mihi iniectos esse scatio scrupulos, eo arctioribus me irretitum haerere difficultatum laqueis. Multa, quae confidenter posueram, mihi retractanda, et mea, quod aiunt proverbio, vineta mihi ipsi caedenda esse quotidie deprehendo. Itaque facile me veniam tantae procrastinationis impetraturum esse spero ab idoneis harum rerum arbitris, probe gnaris, talia non posse uno impetu profundi, et saepe: Amplius! saepe non liquet! pronuntiandum esse, priusquam tibi ipse satisfeceris, et religioni, qua prudentissimus quisque maxime tenetur, quantum in te est, consulueris.

Atque ut eo melius appareat, quam late patent campus, in quem indagatori harum rerum paulo sagaciori descendendum sit et ubique fere ab integro incunda ratio: age, omissis, quae de *secundis partibus* scenae Romanae nos prolaturos esse, iam superiore prolusione indicaveramus, alii scilicet et opportuniori tempori reservanda, primas tantum totius rei scenicae apud utrumque populum ducamus lineas, et in tabella quasi leviter informatas temporibusque suis descriptas proponamus, additis, ne plane asymboli hodie ad has antiquitatis scenicae lautitias accessisse videamur, ad marginem observationibus aliquot ex interiore antiquitate depromtis.

Re tota diu multumque perpensa et sub examen iterum iterumque revocata inde ab incunabulis et primordiis rei scenicae apud antiquissimos Graeciae populos usque ad Byzantinorum aetatem, quum Christianae religionis cultus totum pervasisset orbem Romanum, *quatuor* eius aetates constituere ad easque omnia, quae in veterum monumentis de theatro et orchestra memoriae mandata legimus, referre posse mihi videor. Singulas aetates notis quibusdam signare, quibus facile dignosci possint et secerni inter se, non alienum erit ab huius scriptionis consilio. *Ad primam* igitur *aetatem* revocanda esse puto omnia, quae in variis et innumeris fere Graeciae, Siciliae, Italiae populis dierum festorum Cereris in primis et Bacchi in honorem celebrato-

rum peperit laetitia. E pompis, chordis, tripudiis et ioculari hominum personatorum per agros vicosque discantium lascivia omnia ubique conflata, sed diversissimo modum exculta et ad rationem quandam ac disciplinam artis redacta reperias. Atque in his artis scenicae rudibus adhuc et incompositis initiis investigandis, declarandisque duplici modo peccatum esse videtur ab iis, qui theatrorum morem et fabularum actum apud antiquos illustrare et peculiaribus libellis declarare conati sunt. Nam primo, qui theatris Graecorum scite docteque explicandis operam suam adhibuerunt, Athenis Atticis tantum haec omnia nata et inventa esse rati *), ab uno Aristotelis de poetica libello omnes suas rationes suspensas habuerunt, quid Graeci in antiquissimis coloniis per omnes Italiae, Siciliae et maris Aegaei oras sparsi in solemnibus ludis, quos et ipsi Diis vini frumentique monstratoribus agitarent, hac quoque in re architectati sint, parum pensi habentes. Atqui haud dubie eodem tempore, quo Thespis plaustra sua per compita et vicos Atticae circumduxit, non solum Thebis Boeotiis et Spartae, sed in florentissimis etiam Ioniae oppidis et in celeberrimis copiosissimisque Siciliae et magnae Graeciae urbibus varia exorta erant sannionum et mimorum ludibria, varia spectaculorum genera, hoc uno forsitan discrimine a similibus Atticorum conatibus seiungenda atque separanda, quod Athenienses maturius intelligerent, quantum delectationis haec res habitura sit, si unius fabulae vel historiae argumentum, choris apte interpositis, diverbiis

*) Nolo testimonium denuntiare *Petteris* et eiusdem farinae aliis compilatoribus. Sed ipse magnus *Bentleius*, partium studio, ut fit, occaecatus, secus atque res se habet, hac de re statuit et Atheniensibus, omnibus reliquis Graecis valere iussis, hanc gloriam vindicavit in *dissertatione de Phalaridis epistolis* p. 291. seqq. Scilicet commemoraverat sophista ille, qui Phalaridos nomine epistolas quasdam nobis obtrusit, duos poetas tragicos, in Sicilia Phalaridis tempore florentes, Aristodicum et Lysinum. Bentleius igitur sublestam epistolarum illarum fidem, hinc quoque contra Boyleum demonstraturus, praefracte negat, exstitisse artem scenicam in ulla alia regione Graeciae, ante quam Thespis rudimenta illius poneret. Habuit haud dubie Criticus sagacissimus argumenta, quibus supposititium hunc foetum explodaret, longe graviora. Sed quae de tragoediae ab Atticis ad reliquos Graeciae populos propagatae initiis disputat, nondum omnem mihi exemerunt scrupulum. Non ignorabat, qui epistolas istas procuderet, diu ante scenam Atticam constitutam floruisse in Sicilia rem scenicam et fabularum scriptores haud contemnendos.

seu sermone actorum mutuo explicarent connecterentque, reliqui vero Siciliae et magnae Graeciae incolae diutius haererent in pompis sacris incredibili sane et innumerabili fere comitum Bacchicorum choragio exornandis et in triumpho, cuius una ad postremum apud Romanos permansit species, Dionysiaco ducendo, admixtis tamen iam inde ab antiquissimis temporibus fabularum etiam, quas tota Graecia ex Homericis et cyclicis carminibus perceperat, gravissimis interdum argumentis *). Quin facile mihi persuaserim,

*) Scilicet ipsae illae pompae, quales antiquitus in Graecia ductae fuerunt, habuerunt apertam historiae alicuius veteris significationem, unde sequitur, ut si qui pompae actores interessent, fictitiam aliquam sibi circumponerent personam dei vel deae, vel *συνθιασωτῶν*, atque hinc profectus est omnis personarum (*Masken*), qui latissime patuit, usus. Nam quod post alios nuper acute monuit Vir Doctus, *Dornedden*, in *Phamenophi* suo, festos Aegyptiorum dies fuisse quasi fragmenta quaedam annalium *ἀγραφων*, eo consilio institutos, ut memorabiles quidam eventus quotannis ob oculos ponerentur rudi popello, idem dici potest de trieterisi, pentaëterisi et anniversariis Graecorum solemnibus. *Simulacra* fuerunt frugum et legum repertarum, patriae liberatae vel similium eventuum. Mature cum his coniunctae et copulatae sunt initiationes quaedam et mysteria, in quibus omnes ritus habuerunt spectaculi ad vivum expressi speciem. Sic diu ante Thespin in Eleusiniis mysteriis Cereris adventum ad Celeum, Triptolemi natales, risum a Baubone excitatum, a sacerdotibus et epoptis exhibitum esse spectatoribus ad sacra admissis, e Clemente Alexandrino in Protreptico probabili coniectura colligere possumus. Sed eadem Cereris sacra cum Liberi et Liberae cultu per Siciliam et antiquissimis iam temporibus ita actitata fuisse arbitror, ut spectaculorum formam induerent, et a sacrificulis non tantum gesticulationibus et saltationibus, sed veris etiam fabularum argumentis in medium producerentur. Testes harum rerum locupletissimos habemus picturas in vasculis Nolanis et Graecanicis, in quibus non pompae tantum, sed vera etiam fabularum ex heroico mythorum cyclo depromtarum argumenta passim cernere est. Et frustra sunt mea quidem sententia, qui picturas illas e tragicis et satyricis dramatibus Atticorum poetarum interpretandas esse censent, quod vulgo factitant. Imo peculiari modo tractarunt fabulas istas Siculi et Graeci inferioris Italiae ante scenam ab Aeschylo et Sophocle Athenis constitutam. Hinc multa occurrunt in picturis istis vasculorum, in quibus facile dicas, hic Herculis laborem, hic Oedipodem, hic Orestem a Furiis exagitatum conspicio, sed quid sibi velint reliquae personae, picturis illis magna cum sollertia additae, e monumentis Tragicorum, quorum aliqua certe ad nos pervenit notitia, ne fidiculis quidem extorquere possis. Enimvero frustra aestuant, qui haec omnia in angustias theatri Attici compingunt. In Sicilia, in magna Graecia versamur, o boni! Habuerunt homines hic quoque ludos suos scenicos vetustiores forsitan Atticorum inventis. Sed non scriptitarunt. Ex tempore omnia pronuntiarunt. Et penitus intercidisset illorum memoria, nisi fragiles istae figulinae, in terris illis pictae et sepultae, aetatem tulissent. Sic, ne temere sumsisse videar, quod alibi accurate demonstratum dabo, in luculento, quod *Hancarvillius* publicavit, istiusmodi picturarum opere plures occurrunt Herculis labores, v. c. Hercules Atlantis vice polum humeris sustinens *Tom.* III. *tab.* 94. vel Hesperidum poma auferens *Tom.* I. *tab.* 127. in qui-

theatrorum e lapide exstructorum magnificentiam diu exulasse Athenis, cum iam Siciliae et Magnae Graeciae oppida montes mari vicinos in gradus spectatorum effoderé 7 et scenam variis substructionibus inaedificare coepissent *).

---

bus rem scenicam agi statim deprehendas, at e reliquis, quae adstant, figuris facile intelligas, his in Attico theatro locum non fuisse. Pertinent enim ad pompam Bacchicam. Sic quam mecum nuper communicavit amicissimus *Millinus*, antiquitatis pariter ac naturae perscrutator peritissimus, effigiem ad vasculum archetypon, quod Parisiis est, expressam, Orestis haud dubie ab Eumenidibus exagitati historiam continet. Adstant utrinque Apollo et Minerva. Imminent Furiae. Verumtamen omnia ita composita sunt, eoque exornata choragio, ut quamvis in scena rem agi intelligas, tamen eiusmodi fabulae Oresteae actum in poeta vel scriptore Attico te reperturum esse, plane desperes. Sed salva res est. Tali apparatu Orestea fabula agebatur in oppido magnae Graeciae, unde advectum esse optus illud figulinum novimus. Quid multa, ipsam scenam Italicam cum personatis comoedis conspicimus in pictura eiusmodi apud *Demsterum* in *Etruria Regali* T. I, tab. 90. 91. Denique, ut hoc addam, expressa adhuc in scriptoribus antiquis exstant vestigia, diu ante scenam Atticam constitutam in aliis Graeciae regionibus fabularum argumenta festis diebus actitata esse. Huc pertinet locus vexatissimus in Platonis (vel quicunque tandem auctor est illius dialogi, Platone certe non multo recentior) Minoe T. VI. p. 140. Bip. ubi Minos Thesei iam aetate in scenam inductus esse dicitur. Atqui fuit Minois antiquissima memoria apud Siculos. Pindar. Nem. IV, 95. et quos laudat *Meursius* in *Creta* III, 3. p. 133. seq. Sed longe disertior est locus Herodoti V, 67. ubi fabulae in Adrasti honórem in scenam productae, sed a Clisthene tyranno, qui tota generatione Thespin antecessit, Baccho consecratae commemorantur. Hic ipsi Bentleio ad nescio quae *αὐτοσχεδιάσματα* confugienti haeret aqua, nec Wesselingius per prolepsin suam, quae in gravissimo historico turpis esset *ἀναχρονισμός*, multum adiuvat. Atqui diserte ex hoc ipso Herodoti loco affirmat Themistius XXVII. p. 337. B. *Τραγῳδίας εὑρεταὶ μὲν Σικυώνιοι, τελεσιουργοὶ δὲ Ἀττικοί*, et facit huc Epigenes Sicyonius (*Fabr. Bibl. Gr.* T. II. p. 303.) et vetustissimum epigramma apud Athen. XIV, 6. p. 629. A. Rem totam, ni fallor, conficit et litem dirimit locus luculentus, sed nimis neglectus hactenus ipsius Aristotelis *Poetic.* c. 3. (*ἀντιποιοῦνται τῆς κωμῳδίας οἱ Μεγαρεῖς*, coll. Brunck. ad Aristoph. Vesp. 57.) unde apparet, vindicasse sibi et comoediae et tragoediae origines Doricae stirpis populos Graecos cum Peloponnesios, tum Siculos, et ipsa nomina *δρᾶμα*, *κωμῳδία* linguae Doricae nota signata esse. Nimirum hic quoque valet, quod in alia dissertatione de Atheniensium livore in Graeciae populos diversae originis disputavi. Perpetuum fuit Ionicae stirpis, in qua familiam ducebant Attici, et Doricae dissidium. Hinc quicquid a Doriensibus apte excogitatum et in lucem prolatum esset, certatim deprimere et callide illorum laudem in se transferre studuerunt Attici. Et respondit exitus impudentissimo illorum conatui, quibus et lingua et stilus semper in promtu essent. Nam praeter exigua quaedam Pythagoraeorum fragmenta, lacera illa et mirum in modum interpolata, uberrimus et poetarum et historicorum, qui dorica dialecto usi erant, proventus vix Romanorum, nedum nostra tempora attigit. Hinc nos unam tantum Graeciae particulam bene novimus, ceterarum fructu Atheniensium nos defraudavit malignitas dicam an *στωμυλία*, et mira certe fatorum invidia.

*) *Θέατρα καταδιξαί φασι τὸν Διόνυσον* verba sunt Diodori IV. 5. p. 251. *Wess.* Hoc ita interpretor: Fuerunt ab initio in templis Bac-

Haec igitur artis scenicae extra Atticam per universam Graeciam sparsa et disseminata vestigia diligentius atque hactenus factum est, et quasi per regiones singulas eundo indaganda esse arbitror, priusquam de primis rei
8 scenicae apud Graecos incrementis liquido pronuntiare possimus et statuere *). Hoc manifesto apparere arbitror,

---

cho consecratis (septa intelligo spatiosa, *περιβόλους*) pulpita lignea, subito ad hunc ipsum usum exstructa (ut Romae multis seculis post), in quibus post choros dithyrambicos desaltatos prodirent etiam personati homines *ἐμβλίζοντες*, et argumentum e mytho vetere extemporanea facilitate (*αὐτοσχεδιάσματα* appellat Aristoteles) serentes. Intelligitur hoc ex iis, quae de ligneo theatro in Lenaeo, i. e. septis Baccho sacris, exstructo narrarunt veteres Grammatici, et novimus hoc durasse usque ad Pratinam, qui cum circa Olymp. LXX. doceret tragoediam, corruerunt fori in theatro illo ligneo, teste Suida s. v. Pratinas, quo facto lapideum excitarunt theatrum Atheniense, saxo incisis spectatorum sedibus (vide *Stuart's Antiquities of Athens* T. II. ch. 3. p. 24. seq. ubi docta de situ illius theatri observatio est). Fori isti lignei appellati sunt *ἰκρία*, quae, quod prope populum arborem figebantur, *Αἰγείρου θέα* etiam audierunt. Vid. ad Hesych. T. I. c. 1364. 15. c. 138, 12. et Tom. II. c. 40. et quae corrasit iam undique *Meursius Lect. Att.* IV, 33. p. 244. Pulpitum, in quo agerent tragoedi, *ὀκρίβας* appellatum fuit. v. *Ruhnk.* ad Tim. s. v. p. 190. *ed. nov.* Iam vero, qui prima historiae veteris attigit elementa, circa Olympiadem LXX. opulentissimas magnae Graeciae civitates, Sybarin, Crotona, Tarentum, et Siciliae, Agrigentinorum puta et Himerensium, vel penitus iam exstinctas, ut Sybarin, vel intestinis discordiis et tyrannorum odiis fractas et debilitatas fuisse probe perspectum habet et exploratum. Quod si quis reputet apud animum suum, nunquam sibi persuaderi patietur, ingentia illa opera theatrorum, quorum vel tenuissima vestigia, quae adhuc visuntur, admirationem iniiciunt spectatoribus, ex *Houselii* pictoris opere et *Dorvillii* Siculis nobis quoque cognita, posteriore demum aetate rupibus excisa et inaedificata esse. Innuit hoc ipse Dorvillius aliquoties in praeclaro opere, nec abhorret ab hac sententia, qui nuper theatra veterum docte illustravit. *Stieglitz* V. cl. in laborioso opere *Encyclopaedie der bürgerlichen Baukunst* T. IV. p. 538.

*) Sic Spartanorum inprimis scenica spectacula diligentius, quam a *Meursio* Lacon. III. 6. p. 220. S. et Cragio factum est, sub examen revocanda esse puto, quod in Dorica stirpe hi familiam ducerent, unde facilius coniectura assequi possumus, quae apud alios eiusdem stirpis populos in scenam producta fuerint. Abhorruerunt haud dubie pro ea, quae patriis institutis apud illos vigebat, frugalitate a sumtuosa et magnifica Atheniensium *χορηγία*, quam saepe dicteriis illos suggillasse constat ex apophthegmatibus Laconicis. Hinc Plutarchus iam observavit, nullam apud eos inveniri tragoediam, nullam comoediam, quod tralatitium est in recentiorum scriptis. Vid. *de Pauw Recherches sur les Grecs* T. II. p. 315. Sed pro nativa ingenii, qua pollebant, festivitate excelluerunt in mimicis argumentis e communi vita petitis, quorum specimina aliqua profert Athenaeus e Sosibio Lacone XIV, 4. p. 621. D. E. Magna illis intercedit similitudo cum Sophronis Syracusani *μίμοις ἀνδρείοις*, unde recte colligimus, poesin mimicam fuisse Doriensibus propriam, et *τραγικοὺς χοροὺς* ex arte constitutos Atheniensibus. Doricum fuit vocabulum *Δείκελον*, *Δείκηλον*, *Δίκηλον* (nam variarunt pronuntiationem Dores pro diversitate populorum Doriensium), improbatum ideo a Polluce rigido purioris

quod uberius aliquando, si otium suppetit, declaraturus 9
sum, maximum in re scenica Ionicorum et Doriensium dis-

Atticismi exactore 1, 7. quod μίμημα, προσωπεῖον explicat Hesychius, ab antiquo δείκω, ἐπίδειξις cet. Nam vera falsis miscet Etymologus in docta alioquin explicatione p. 260, 28. et qui ex eodem fonte hausere. Hoc vocabulo mimica spectacula appellarunt Lacones, et mimum δεικηλίκταν, vel quae docta est coniectura *Albertii* ad Hesych. T. I. c. 995, 8. δικηλίταν. Nota est et saepe decantata vox Agesilai ad Callippidem actorem tragicum: οὐ τὸ ἔσσι Καλλιππίδας ὁ δεικηλίκτας; apud Plutarchum Apophth. Lacon. p. 127. a. *Bas.* Nec dubito, quin in Bacchicis sacris iidem mimi Satyros saltaverint, unde paululum a priori deflexo vocabulo Δευκαλίδαι (Σάτυροι explicat Hesychius) Δευάδαι appellati sunt, in qua voce explicanda haerebat post Casaubonum *Valckenarius* ad Theocriti Adoniaz. p. 413. Porro autem iidem Lacones ab antiquissimis temporibus orchestrae i. e. mimicis saltationibus impense studuerunt. Λακωνικὰ σχήματα in Clisthenis nuptialibus conviviis triginta fere annos ante Thespin commemorat Herodotus VI, 129. cum nota *Wessel.* Λακωνιστὰς e Timaeo laudat Athen. IV, 27. p. 181. C. Et quis ignorat Hyacinthia et γυμνοπαιδείας Laconum, quibus Pyrrhichae ritu desaltatis Aristoxenus scribit saltatores εἰσιέναι εἰς τὸ θέατρον, Athen. XIV, 7. p. 631. C. Locus valde notabilis. Hos choros duxit χοραγὸς, sed ea significatione, qua Dores hanc vocem accipiebant, de qua docta est nota *Hemsterhusii* ad Aristoph. Plut. p. 332. Operae pretium sane facturus esset, qui e Polluce et Athenaeo Laconicas saltationes colligeret, v. c. βίβασιν, μόθωνα, διχοδίαν, βυλλίχας, κάλαβιν, ἰθύμβον et sexcenta alia, quae latent in Hesychio, Etymologico M. et Grammaticis, a Meursio in Orchestra partim collecta, partim neglecta. Hinc multa gesticulatione tantum, multa cum cantu *in scena* peracta esse facile appareret. Atque hinc lucem etiam affundemus vexatissimo loco in Nepotis praefatione de viduis Spartanis in scenam prodeuntibus, quem locum saepe pro se laudarunt illi, qui ridiculo conatu mulieribus etiam partes in theatris Atheniensium vindicarunt. Notissima sunt Lacaenarum studia virilia, ab Aristophane in Lysistrata salse derisa, et ab Atticis scriptoribus (Platone excepto, cuius liber VII. de Legg. multum proderit ad haec Lacaenarum instituta cognoscenda) acerrime ubique reprehensa. Sic quae nudae saltassent virgines (Plut. in Lycurg. 14. p. 213. *Leopold*), mimum agebant viduae in theatro. His Spartanorum studiis scenicis rite expensis a μητροπόλει transeundum esset ad Tarentinos, apud quos statim nobis occurrit ἱλαροτραγῳδία et Rhinthonica, mixtum e mimis Doriensium et fabulis gravioris argumenti genus. Vide loca a Cupero conducta *Observat.* I, 12. p. 74—78. Sed quem iste et *Toupius* ad Suidam T. III. p. 399. S. praetermiserunt, locus valde commemorabilis est Hesychii s. v. βονδάλιχα cum nott. VV. DD. Vixit quidem Rhinthon longe seriore aetate sub Ptolemaeo Lagi, sed veterum Tarentinorum morem tantum ad novum delectationis genus scurriliter detorsit; φλύακας enim, unde φλυακογράφος dictus est Rhinthon, illo longe antiquiores fuisse existimo. Caeterum, ut hoc obiter moneam, restituendum Rhinthonis nomen Maximo Tyrio Diss. XXI. p. 402. ed. Reisk. ubi perperam adhuc legitur ῥοννίφνα. Iam quod de Lacedaemoniis et Tarentinis paucis tantum lineis deformavimus, poterit etiam ad Corinthios et colonos illorum Syracusanos transferri. Sed manum de tabula! Unum locum adiecisse invabit, sed praeclarum Athenaei IV, 27. p. 181. C. ubi refert τὴν Μουσικὴν (e serie orationis apparet Musam scenicam intelligi) valde diversam fuisse apud varios Graeciae populos. Athenienses praetulisse choros Dionysiacos (alias τετραγῴνους, tragicos) et cyclios (i. e. dithyrambos, ὑποχήματα). Syracusanos vero primas dedisse scurris, iambos in theatro agentibus, ἰαμβιστὰς,

crimen cerni in eo, quod Athenienses fabulas ex arte constitutas docerent, *scriberent*que; Dorienses contra *mimis* tantum indulgerent in scena ex tempore pronuntiatis, et (quod magnum fugisse videtur *Valckenarium* ad *Theocrit. Adoniaz.* p. 200.) a Sophrone *primum* scriptis. Deinde qui ludorum scenicorum et artis histrionicae apud Romanos origines exposuerunt, in eo gravissime hallucinati sunt, quod Livii testimonio in loco nobilissimo de originibus rei scenicae apud Romanos (VII, 2.) abusi, tantum non omnia ab Etruscis derivarent et sic novas nobis rei ad Etruscos etiam a Graecis propagatae *) comminiscerentur origines. Atqui debuissent hoc penitus infixum habere in animis, omnem religionem Romanorum et, quae cum illis semper arctissime copulatae fuerunt, pomparum, saltationum sacrarum, lectisterniorum et quicquid *ludicrorum* nomine complexa est Latii lingua, ortum cepisse a colonis antiquissimis Graecorum, Arcadum inprimis ad Palatinum montem colentium **), et quae de ludis Oscis, Atellanis,

---

Hactenus Athenaeus. Locus est notatu dignissimus, qui docet Dores non habuisse istos χορούς τραγικούς, sive fabulas arte, quam Aristoteles scripsit, constitutas, sed tantum ἰάμβους. Intelligo hoc de minis satyricis. Norunt, qui haec attigerunt, quid sit ἰαμβίζειν, norunt lepidam fabellam de Iambe, Cererem exhilarante. v. *Wessel.* ad Diod. V, 4. p. 334. Itaque opponuntur apud Aristotelem Polit. VII, 17. p. 448. E. Κωμῳδία Atticorum hominum, et ἰάμβοι aliorum Graeciae populorum. cf. *Twining's Notes on Aristotle* p. 224. Quin ipsa vox θριαμβος hoc fonte derivata facilius explicabitur. Sed de hac re fusius in dissertationibus ad picturas vasorum Graecanicorum, unde apparebit etiam, quae de hac re acute, ut solet, disputavit *Eichstadius* de *dramate Graecorum Comico Satyrico* p. 43. seqq. paulo aliter esse efferenda. Non possunt enim, quae Athen. XIV, 4. collegit, ad rhapsodos tantum referri. Fuerunt mimi gemini germani. Rhapsodi quamvis non alieni fuisse videantur a Siculis magnae Graeciae incolis (sic invenimus Alexin Tarentinum rhapsodum in comitatu Alexandri M. apud Athen. XII, 8. p. 538. E.), tamen luxurianti et diffluenti illorum mollitiei minime suffecerunt.

*) Quorsum haec spectent, neminem fugiet, qui *Heynii* commentationes *de vestigiis domesticae religionis apud Hetruscos* et *antiquitates Hetruscorum commentitiis interpretamentis liberatas* in *Nov. Comment. Gott.* T. V. VI. VII. diligentius cognoverit. Nec dubitari potest, mature admodum ludos scenicos a Graecis accepisse etiam *ludios* Tyrrhenos. Multa haud protrita hanc in rem reperias in viri docti Veneti commentario *Bocchi Osservazioni sopra un antico teatro scoperto in Adria.* (Venez. 1739. 4.)

**) Sic Lupercorum et Saliorum statas quotannis discursationes per urbem e mimicis antiquissimae Graeciae spectaculis ita derivandas esse, ut priores ad lustrationem, posteriores ad Pyrrhichen pertinuerint, satis patet. De Lupercis ipse fusius disputavi in dissertatione *de antiquissimis*

saturis tradidit antiquitas, e Campania, id est, ex inferiore Italia, quam usquequaque obsederunt coloniae Graecorum, pervenisse ad Romanos initio fere seculi quinti ab Urbe Condita, e Graeco scilicet fonte hausta, sed mollitie et licentia Italorum hominum et Aboriginum, qui paulatim cum Graecis commixti essent, et quorum proprium erat *Graecari*, infecta. Atque haec quidem de originibus rei apud Graecos natae, apud Romanos adscititiae. Caeterum hanc *primam aetatem* usque ad Aeschylum, qui merito fons et caput artis dramaticae, qualis postea Athenis Atticis obtinuit, habetur, vel ut disertius sententiam meam explicem, usque ad ea tempora pertinuisse existimaverim, ubi *tragoediae* vocabulum, quo omnem omnino fabularum actum significassent antiquiores, de una tantum eaque nobilissima specie usurpari coeptum est (διεσπάσθη κατὰ τὰ οἰ- 11
κεῖα ἤθη, Aristot. Poet. c. 4. cf. *Twining Notes on Aristotle* p. 206. *Rochefort sur l'objet de la Tragédie chez les Grecs* in Mémoires de l'Acad. d. Inscript. T. XXXIX. p. 141.)

Sequitur *altera aetas*, cuius initium fere ab Olympiade LXXIII$\frac{1}{4}$, quo anno primum vicit Aeschylus, posuerim, exitum usque ad mortem Aristotelis et Demosthenis CXIV. 3. perduxerim. Hic scenae Atticae tantum fata spectantur. E rudi poesi Satyrica, quam omnium omnino,

---

λυκοφοβίας *vestigiis* in *Sprengelii*, medici eruditissimi, Sylloge: *Beyträge zur Geschichte der Medizin* T. II. p. 34. seqq. Delevit fere et obliteravit ista Graecarum ceremoniarum vestigia procedente tempore civilis Romanorum prudentia in religione rerum actui accommodanda dextre admodum versata (vide *Beckii* doctas in hanc rem observationes versioni Fergusonianae Vol. III. Tom. II. praefixas): multa tamen e Plutarcho et Dionysio Halicarnassensi peti possunt parum hactenus intellecta vel in dubium vocata, quod cum opinione, omnem religionem e Sabinis et Etruscis ortam esse, parum congruerent. Sic in nobilissimo loco de pompa Circensi apud Dionys. Halic. VII, 27. p. 1491. seqq. Reisk. occurrunt mimi Satyrici ex antiquissimo Doriensium populorum genere. Pertractabimus aliquando hunc locum de pompa Circensi bonae frugis plenissimum. Ceterum in stemmate, ut ita dicam, ludorum scenicorum, qui ex Campanis et inferiore Italia Romam paulatim migrarunt, diligentius conficiendo, relictis rebus omnibus tenendum est illud, quod e Varrone, credo, posuit Solinus c. 5. qui de Sicilia verba faciens: *hinc*, inquit, *et cavillatio mimica in scena stetit*, ubi consuluisse non poenitebit *Salmasium* in *Exercitt.* p. 76. quod cum non satis teneret *Zieglerus de mimis Romanorum* (Gott. 1788.), nimium tribuit excerptis Diomedis e Suetonio aliisque grammaticis, transmarina illa et adventitia domi nata educataque esse perperam autumantibus.

quae in scenam Atticam prodierunt, dramatum foecundissimam matrem et nutricem fuisse existimo. Pisynichi et Susarionis opera primum constituti sunt chori tragici et comici, ut Atheniensium more loquar, sive tragoediae et comoediae. Tragoediam cum satyrico dramate suscepit Aeschylus; comoediam Cratinus, Eupolis, Aristophanes. Opibus Atheniensium post bella Persica mirum in modum auctis et reditibus tributorum, quae tota fere Graecia benigne conferret, proventu amplificatis (*Meiners de luxu Atheniensium* p. 30. 31.) magis magisque accensum est insanum illud χορηγίας studium, quo locupletiores cives munera pro tribulibus suis facientes concertabant tribus festis Bacchicis. In choris enim docendis, concinnandis, exornandisque ingentem profuderunt pecuniam *). Itaque cum his choris stetit etiam ceciditque res scenica Atticorum **). Sed diutius aliquanto manserunt chori tragici, quam comici, qui ab initio (cum Aristophanes doceret Plutum suum et Aeolosiconem post Olymp. XCVII.) scribebantur quidem, sed non canebantur ***). Deinde vero incipiente nova Comoedia chorus, ut

*) Luculentus locus, dignus profecto, qui peculiari dissertatione explicetur, est apud Plutarchum *utrum Athenienses bellica sapientia praestiterint* p. 421. *Bas.* ubi affirmat Athenienses plus sumtuum profudisse in tragoedias suas, quam in omnia bella, quae contra barbaros et de principatu gesserint, coll. Coro, illustr. in Plut. Symp. VII. 7. p. 322. ed. Bast. Narratur ibidem, choragos, qui choris sumtus suppeditarent, χορηγοὺς anguillas et exquisitissima fercula quotidie, dum chorus instrueretur, apposuisse et quae sunt alia eiusmodi portenta. Comparandus cum hoc illustris locus Lysiae oratoris Orat. XXI. p. 699. Summa enormis conficitur, si quae ad singula capita impensarum ibi relata vides, computes, quod fecit *Wolfius* in *Prolegg. ad Leptin.* CXIX. Habes ibi summam 1351 imperialium ab uno homine in choros et spectacula effusam. Sed etiam nobis in hac re fecit Vir Doctissimus, qui praeclare in istis Prolegomenis p. 89. seqq. de toto hoc λειτουργίας genere post *Dalenium ad marmora antiqua* disputavit. Adde aliud Atticae θεατρομανίας documentum, quod Dionysiacis magnis sedecim interdum fabulae novae continuo commissae sint, ut pulchre post *Barthelemium* docuit *Twiningius* ad Aristotelem p. 474. seqq.

**) Nam vera tragoedia sine choro ne cogitari quidem poterat. Vide quae post Hurdium ad Horatii epistolas diligenter in hanc rem collegit *Hgen* V. cl. in *choro Graecorum tragico* in Opusce. T. I. p. 61. seqq.

***) Sic enim explicanda sunt verba Platonii in Prolegg. Aristoph. p. XI. ed. *Kust.* ἐπέλιπον οἱ χορηγοί. Nolulsse enim Athenienses (exhaustis et fractis rebus suis post bellum Peloponnesium, et quae inde mox consequuta est, post pugnam Chaeronensem) suppeditare amplius sumptus. Hinc Aristophanem iam docuisse fabulam Aeolosiconem, ὅς οὐκ ἔχει τὰ χορικὰ μέλη. Cf. *Eichstadium* V. Cl. qui haec quoque magna sagacitate investigavit, *de drámate Satyrico.* p. 73. seq.

Hactenus ait, *turpiter obmutuit*. Tragici chori, ut a Demosthene orationibus patet, paulo ulterius progressi, in prima post Alexandrum M. generatione desiisse videntur *).

Post Alexandri M. obitum maxima, quae Graeciam, Asiam, Aegyptum concussit, tempestas miras etiam rei scenicae attulit vicissitudines. Hic *tertiae aetatis* terminos figere licebit, quam equidem usque ad Augustum seculum pertinuisse arbitror. Choro fere ubique sublato et *χορηγίας* sumtuosissimis Athenienses, et si qui alii forte Athenienses hac quoque in re vestigia presserant populi, paulatim obsenescentibus, obmutuerunt poetae, qui, ubi novas fabulas (*καινὰ δράματα*) *docerent*, nullum sibi locum relictum esse intelligerent **); commissionibus fabularum publico sumtu sustentatis. 13

*) Defecerant iam sub Alexandro Magno poetae tragici, unde satis firmo argumento colligitur, defecisse et evanuisse etiam Athenis *χορηγίαν*. Nam cum post Phoeniciam devictam ludis scenicis *νικητήρια* sua celebraturus esset rex triumphator, Cypriorum reguli instruendis choris scenicis sumtu administrare coacti sunt, commiserunt fabulas actores tragici duo in comitatu regis, Thessalus et Athenodorus, iudices sederunt milites spectatissimi quique. Adi sis locum insignem Plutarchi de fortuna Alexandri p. 356. *Bas.* et Gellium XI, 10. ubi de *τραγῳδοδιδασκάλῳ*, qui multum argenti acceperat mercedem pro fabula. Atqui non novas isti actores in scenam demiserunt fabulas, sed in vetustis Euripidis aut Sophoclis fabulis summa illorum industria exspenduit. Nam ut ex Arriano VIII, 7. p. 540. et Plutarcho in Vit. Alex. c. 29. iam olim demonstravi in commentatione *de actoribus primarum* cet. *partium* p. 6., habuerunt greges sibi adiunctas, fuerunt, quod Itali vocant, *Impressarii*, et appellantur in comitatu regis *artifices* (sc. scenici). Curt. V, 1. Imo ne novam quidem comoediam rex auscultare potuit. Nam qui in loco Plutarchi supra laudato *de fort. Alex.* commemoratur Lycon Comicus, ipse quoque actor tantum fuit, non poeta, quod manifesto apparet ex historia versus insiti, ab actore callide subiecti ad emendicandam stipem. Perperam igitur hunc Lyconem ad poetas comicos, Alexandri aequales, retulit *Gillies History of Greece* T. V, p. 259. et diserte illum appellat *κωμῳδὸν* Plutarchus, non *κωμῳδοχοιὸν* aut *κωμῳδοδιδάσκαλον*. Sed adi, si otium est, fragmentum Charetis praestantissimum apud Athen. XII, 9. p. 538. seq. ubi tenuis gregem *Ἀλεξανδροκολάκων*, in quibus et scenici artifices, graphice depictum invenies.

**) Comoedia sola aliquamdiu in hac etiam aetate popularibus studiis sustentata fuit. Mox tamen et ipsa concidit, cfr. Lucian. Encom. Demosth. c. 27. p. 510. locus notatu dignissimus. Sed omnia secundum temporum rationem apte disponere in hac veterum monumentorum inopia vix licet. Utinam Toupii, sagacissimi Anglobritanni, adversaria super hac re, non intercepta essent heredum invidia. Nam quae in Emendationibus suis hinc inde delibavit, sane salivam movent omnibus harum deliciarum cupidis. Postremum fere omnium Comicorum, qui vere tales reperiri possunt, putarim Philippidem, qui vixit usque ad Olymp. CXVIII. extremam. Consuluisse iuvabit de illo locum insignem Plutarchi in Demetr. c. 12. T. VI. p. 15. Hutt. Mirum sane videri possit, Alexandriae

successerunt greges scenicorum hominum, et quod florentibus rebus Athieniensium ingenui homines tantum ad breve tempus, dum ludis defungerentur, actitaverant, in quaestum degeneravit et peculiare artificium. Brevi igitur in eas angustias redacti sunt actores nobiliores, ut quicunque eximios in illo artificio fecerat progressus, conduceret et condocefaceret alios, qui illi operam suam locarent in fabulis veterum poetarum iterum iterumque peragendis. Hi conductores (*entrepreneurs*) per oppida, si forte festi dies ludis scenicis celebrandi imminerent, et per aulas regum in Macedonia, Asia et Aegypto circumducebant greges suos, ingentes saepe pecunias hoc quaestu lucrifacientes *). Sed alia cum hac circumfo-

---

sub Ptolemaeis non referbuisse scenicorum poetarum studia. Nec defuit prioribus certe Ptolemaeis prolixa in eos voluntas, ut patet e magnifica legatione, qua Menander et Philemon Alexandriam arcessiti esse feruntur Plin. VII, 30. quod peperit nobis duas mellitissimas epistolas Alciphronis II, 3. 4. Sed nil profecerunt. Nam quae de Pleiade Tragica, quae e Museo Alexandrino emicuisse dicitur, aliisque id genus conatibus memoriae consignata reperimus, abunde declarant, omnes lecythos absumsisse illos umbraticos scriptores in magnificis et sesquipedalibus nugis, vocabulis situ obsoletis, aliisque istiusmodi deliciis consectandis. Sed mirari haec desinet, qui insanam pomparum, qualem Callixenus nobis depingit apud Athenaeum, et spectaculorum oculos auresque inusitata specie percellentium prodigia, quibus avidissime inbiabant Alexandrini, ex Athenaeo, Polybio aliisque probe perspecta habet et cognita. Idem fere sub Imperatoribus Romae evenit. Cum theatra fastis tantum diebus frequentarentur, nec quotidie plura, ut hodie in celeberrimis oppidis, paterent, tanta in unum theatrum collecta est plebis colluvies, ut in tali consessu fabulis, quales olim exhibuerant Athenae, omnis periret venustas et gratia. Pegmata, automata, pantomimi, quibus vulgo ducuntur et in stuporem dantur spectantium animi, exulare iusserunt omnem saniorem voluptatem, sive, ut sapientissimus imperator in loco classico de aetatibus rei scenicae εἰς ἑαυτ. XI, 6. praeclare monet, ἡ νέα κωμῳδία ἐκ' ὀλίγον ἐπὶ τὴν ἐκ μιμήσεως φιλοτεχνίαν ὑπεξέδυη, ubi cf. locum a *Gataker* p. 391. e Maximo Tyrio laudatum.

*) Appellabantur isti actores, qui mercede scenis operam suam addicerent, οἱ περὶ τὸν Διόννσον τεχνῖται, sed male audiebant ob mores dissolutos iam Aristotelis aetate, qui in Problematibus suis posuit quaestionem, cur id genus hominum moribus improbis esse soleret, Problem. s. XXX, 10. p. 1018. E. et cum illorum inter omnia, quae veteres consectabantur, acroamata summa esset gloria, factum est, ut simpliciter τεχνῖται appellarentur, vid. Polyb. VI, 47. XXX, 13. ed. Schweigh. et *Wesseling.* ad Diod. IV, 5. p. 251. Latini rem cum vocabulo a Graecis mutuati *artifices*, v. Duker. ad Liv. XXXIX, 22. Burm. ad Sueton. Ner. 49. p. 112. Hinc restituendus et ab emendatorum conatibus vindicandus est vexatus Suetonii locus in Vespas. c. 18. *praestantes poetas, nec non et artifices coemit*, finge: *coronavit*; vid. Suet. in Claud. c. 11.; est Graecum ἐστέψατο. *Herald.* ad Martial. IV, 90. p. 51. ed. Paris. Coierunt hi artifices in sodalitia, quae σύνοδοι appellata sunt. Locus luculentus

ranea et ambulatrice, si fas est ita loqui, scena coniuncta 14
fuit calamitas an fortuna dicam. Nam cum chori cantica, fabulis Aeschyli, Sophoclis, Euripidis et aliorum intexta a mercenariis istis cantoribus abnormi saepe cantu ineptius proferrentur, id quod inde a Menandro, Philemone aliisque eius aequalibus in comoedia plane invaluerat, ut chori prorsus exularent, irrepsit etiam in tragicarum fabularum actionem. Non canebantur, sed saltabantur tantum chori (τὰ μέλη) *). Sed mox succedaneam illi repererunt artifices scenici delectationem. Fecerunt id per totam Graeciam, quod statim a primordiis ludorum ad Atticam normam constitutorum **) apud Romanos fecisse perhibetur Livius Andronicus, *qui*, verba sunt Livii historici (VII, 2.), *puerum ad canendum ante tibicinem cum statuisset, canticum egit aliquanto magis vigente motu, quia nihil vocis usus impediebat. Inde ad manum cantari histrionibus coeptum, diverbiaque tantum ipsorum voci relicta.* Fuit

---

de iis, quae in Asia minore oppidatim ludos celebrarunt, est apud Strabonem XIV, p. 952. C. [Huc referendi sine dubio *Scenici Asiaticiani* in Inscriptione Viennae in Gallia reperta, v. Bimard de la Bastie in Mémoires de l'Acad. des Inscriptt. T. XIV. Hist. p. 709. et *Millin Voyage dans les départements du Midi* T. II. p. 21. seq. EX ADD.]; et pertinet ad illos, Attalistas dictos in Inscriptt. Asiaticis Chishullii, proverbium a Luciano memoratum Ἰλιεὺς ὤν, τραγῳδοὺς ἐμισθώσω, in Pseudol. 10. T. III. p. 170. Plura dedit ex Inscriptionibus *Falconerius* ad *Inscriptt. Athlet.* p. 19. seqq. Adde Thesaurum *Muratorii* p. DXLV, 3. et Salmas. ad Scriptt. H. Aug. T. I. p. 140. Observandum enim, σύνοδον semper de sodalitio numini alicui consecrato dici, ut antiquioribus temporibus θίασος. Hinc doctorum hominum in Museo Alexandrino contubernium a Strabone XVIII. p. 1143. D. appellatur σύνοδος. Apollinem enim habebant praesidem, ut Bacchici artifices Bacchum. De regibus artifices istos scenicos ad ludorum solemnia convocantibus exemplum habes illustre Antigoni apud Diodorum XX, 108. T. II. p. 284. Wess. Utinam exstaret liber Menaechmi περὶ τεχνιτῶν, quem aliquoties laudat Athenaeus, v. c. XIV, 4. p. 635. B.

*) Vel e Luciano, antiquiores ubique mores inducente, multa huius rei peti possunt exempla. Formula fuit μηδὲ ἀπάδειν (hoc ad cantores, tragoedos pertinuit) μηδὲ προσκρούειν (ad saltatores). Utrumque appellabatur ἀσχημονεῖν. v. *Hemsterhus.* ad Lucian. Nigrin. c. 9.

**) Intelligo fabulas palliatas, quas e Graecis vertere et sermone Latino docere coepit Andronicus. Nam fabulae Graecae Graeco sermone a Graecis artificibus in scenam Romanam liberae reipublicae temporibus raro admodum, et tantum vanae ἐπιδείξεως gratia inductae esse videntur. Exstant tamen exempla M. Fulvii debellato bello Aetolico apud Livium XXXIX, 22. et L. Anicii post triumphum de Illyriis actum A. V. C. 587. de quo spectaculo mira narrat Polybius XXX, 13. T. IV. p. 478. seqq. *Schweigh.*

Andronicus Graecus homo, Graeco, quod tum floreret (A. U. C. 391.) scenae artificio imbutus. Excesserat iam tum e vivis Aristophanes, exaruerat fere vena Tragicorum apud Graecos, dramatibus suis Siciliam impleverat Dionysius tyrannus. Non molitus est ergo rem Graecis antea inusitatam Andronicus, sed traduxit morem a Graeca scena ad Romanam. Atque ex his principiis rei scenicae apud Romanos statim intelligitur, cur chori a scena Romanorum in palliatis fabulis, sive tragici essent, sive comici argumenti, semper exulaverint. Scilicet notitia scenae Graecae tum demum ad Romanos pervenit, cum e Comoedia choros iam proscripsissent ipsi Graeci. Hinc multa in theatris Romanorum, quae variis adhuc difficultatibus impedita fuerunt, facile expediri et ad liquidum perduci poterunt.*). Sed ut

*) Hinc, ut ad pauca tantum digitum intendam, omnis actuum et scenarum ratio in Plauto et Terentio, tot controversiis editorum agitata, explicanda est. Tenendum est illud Donati ad Andriam: *quando scena vacua est ab omnibus personis, ut in ea chorus vel tibicen audiri possit, — ibi actum finitum esse debemus agnoscere.* Quod de choro movet grammaticus, ad veterem scenae Atticae ritum et ἐκκυκλήματα, ut Aristoteles appellat (vid. doctam *Twiningii* notam ad Aristotel. p. 212. seq.), referendum est. Sed addit: *ut tibicen audiri possit.* Hic observandum, actorem principem totius gregis apud Romanos mimica gesticulatione expressisse canticum ad tibicinis modos, et hoc chori loco fuisse. Quod si hoc diligenter animadverteris, multa luce perfusa esse intelliges, quibus spissae hactenus offusae erant tenebrae. Sic patebit, quid sibi velint verba in didascaliis Terentianarum fabularum parum intellecta. *Egit* Ambivius. Fuit is Ambivius gregis comici conductor et ipse προταγωνιστής. Iam vero si dicitur ille egisse fabulam Terentii, accipiendum illud est de χειρονομία et gesticulatione mimica, qua *cantica*, Livii Andronici more, expressit Ambivius. Porro si in eadem didascalia traditum legimus, *modos fecisse* Flaccum, intelligitur *pythaules* (sic appellabatur, qui solus *cantico* accinebat, et opponitur *choraulae*, quod docte probavit *Salmasius* ad Scriptt. H. A. T. II. p. 825.), qui Ambivio cantica saltanti accineret. Diserte enim Donatus, vel quicunque antiqua illa, et si lacinias passim assutas tollas, doctissima fragmenta de tragoedia et comoedia compilavit, Donati commentariis in Terentium praefigi solita, diserte, inquam, Donatus: *diverbia histriones pronuntiabant. Cantica vero temperabantur modis non a poeta, sed a perito Musices factis.* Deinde, si hoc tenemus, non erit, quod valde sollicitos habeat et exercitatos in Plauto et Terentio legendo abnormis et, ut nobis quidem videtur, inepta saepe temporum divisio, ubi, qui modo loquutus fuerat, actor statim redit in scenam transactis iam domi rebus omnibus, quae, si ad nostram temporum scenicorum describendorum rationem exigantur, tam brevi temporis spatio intus peragi non potuissent. Conferat aliquis, ut unum saltem exemplum afferam, in Terentii Heautontimorumeno finem scenae secundae actus quinti. Hic Menedemus abit intro, filio Chremetis patris animum, ut erga illum esset, ostensurus. Loquitur interea Chremes duo versiculos, quibus absolutis iam prodit Menedemus una cum filio Chremetis transactis, quae intus conficienda erant, omnibus. Manifesto

eo, unde deflexit, revertatur oratio, apud Graecos etiam illa, quam diximus, aetate res mature eo deducta est, ut actores, qui antea cum recitatione et cantu (nam modulate pronuntiabantur omnia) χειρονομίαν et varia gesticulationis ὄχήματα apte copulaverant, iam plus tribuerent artificio mimico, et cantica, ad quae ipsi saltabant, aliis pronuntianda relinquerent *). Hinc novae vocabulorum ortae sunt significationes, et bipartito divisus grex scenicus. Qui canebat, i. e. modulate pronuntiabat verba fabulae, proprio vocabulo *cantica*, ᾄσματα iam appellata, fuit *tragoedus*, Latinis *cantor* (Salmas. ad Scriptt. H. A. T. II. p. 433.); qui gestibus verba exprimeret, vel ut Latini dicebant, *ad manum saltaret*, *secundas ageret* (Gronov. Observv. ad Scriptt. Eccles. 25. p. 287. seqq.), Graecis ὑποκριτής **) (glos- 16

hic apparet, haec omnia in unum temporis articulum comprimi et coarctari non potuisse, nisi absurda et temporibus parum congrua finxisse videri vellet poeta. Atqui omnia plana sunt et expedita, si sumas, hic canticum intercessisse ad tibicinem *saltatum*, seu expressum ab actore primario. Habuerunt iam in veteri scena Attici διαύλιον. Vide Schol. ad Aristoph. Ran. 1282. Sed hic ad tibicinis modos gestum faciebat comoedus, quo referenda esse puto verba notatu dignissima in Plauti Pseudolo I, 5. 160. ubi servus, intro concessurus, ad spectatores: *tibicen vos interea delectaverit*. Sed hinc etiam intelligi posse puto, quid in scena actitaverit Roscius ille, summus aetate Ciceronis artifex, et gestuum mira varietate et veritate laudatissimus, quid Aesopus, quid alii tragoedi et comoedi tunc temporis nobilissimi. Aluit Roscius, ut ex oratione Ciceronis pro eo novimus, gregem histrionum, quibus ipse monstraret gestus et artem histrioniam. Quotiescunque igitur operam suam aedilibus aliisque ludorum scenicorum editoribus locaret, ipse, quod summum in arte eius habebatur, *egit* cantica ad tibicinem, diverbiis sive dialogis gregi suo relictis. Maxima difficultas est in voce *cantici* recte intelligenda. Loca, unde ad illam enodandam proficere possumus, docte collegit acutissimus *du Bos Reflexions critiques sur la Poésie et sur la Peinture* T. III. p. 174. seqq. quem multa sagacius investigasse, quam qui hoc argumentum tractarunt omnes reliqui, magna cum voluptate saepe deprehendi. Multa tamen restant enucleanda.

*) Scilicet quod de Pantomimis proprie dixit Lucianus de Saltat. c. 30. T. III. p. 286. κάλαι αὐτοὶ καὶ ᾄδον καὶ ὠρχοῦντο, deinde vero cum spiritus moventium se difficilius commearet, turbaretque cantum, commodius visum esse alios illis succinere, ἄλλους αὐτοῖς ὑπᾴδειν, pertinet haud dubie ad omnem rationem scenicam et in tragoediis quoque comoediisque fuit tralatitio more receptum.

**) Ὑποκριτής, ut bene Hesychius, proprie est ὁ ἀποκρινόμενος πρὸς τὸν χορόν, et haec antiquissima huius vocis significatio e primordiis rei scenicae apud Atticos repetenda. Mansit haec in scena Graeca, ubicunque tragoediae et comoediae exhiberentur etiam posterioribus aetatibus. Sic in loco luculento de Euripidis Bacchis apud Orodem Parthorum regem in triclinio actis (Plutarch. in Crass. c. 33. T. III. p. 459. seq.) Iason, τραγῳδιῶν ὑποκριτής, cecinit, ᾖδεν Agaven. cf. Aelian. V. H. VIII.

sae: *Secundarius*, *ὑποκριτής*), *ὀρχηστής*, Latinis *saltator*, *histrio* (*Salmas.* ad. Scriptt. H. A. T. II. p. 830. seq.) dictus fuit. Sic Suetonius aliquoties distinguit cantorem et saltatorem (in Calig. 54.), vel quod eodem redit, tragoedum
17 et hypocritam (in Neron. 24.). Nec haec a Romanis demum inducta, sed aliquot seculis ante per universam Graeciam iam usurpata esse, idoneis demonstrari poterit argumentis.

Quarta aetas, quam ab initio fere seculi Augustei usque ad interitum imperii Romani deductam ad minimum sex seculorum spatium complexam esse existimamus, infinita Pantomimorum artificia et incredibilia plane portenta nobis venditat. Nam cum inde a Sullae dictatoris aetate, Athen. VI, 17. p. 261. C. Plut. in Sulla 36. T. III. p. 234. (ubi *λυσιῳδός* idem qui *μαγῳδός*, antiquissimam pantomimi speciem refert), omnia undique scenae ludibria Romam confluxissent, et insanis mimorum mimarumque *) studiis plus

---

7. et sic sexcenties apud Lucianum. Sed cum cantor, *stans* (verba sunt Gellii N. A. XX, 3.) *caneret* ea, quae histrio mimice saltaret, hypocritae vocabulum de histrione saltabundo et gestibus cantico respondentibus utenti usurpari coeptum est, atque ex hoc more, qui sequiore aetate invaluit, explicanda etiam est notio vocabuli a scriptoribus Hellenisticis et ecclesiasticis de homine sublestae fidei usurpati. Cogitemus Horatianum Ep. I, 18. 14. *ut credas partes mimum tractare secundas.* Adi, si lubet, *A. Donnaeum* in *Praelectt. ad Demosth. de Pace* p. 67.

*) Mimarum antiquissima vestigia in mulieribus Doricae stirpis Bacchanalium pompam Nympharum, Horarum et Gratiarum specie comitantibus deprehendere mihi visus sum. Locus insignis est apud Platonem Legg. VII. p. 376. T. VIII. Bipont. ubi ad ambiguas et proscribendas omnino e republica sua saltationes refert *τὰ βακχεῖα καὶ τὰ ταύταις ἑπόμενα, ἃς Νύμφας, καὶ Πᾶνας καὶ Σιληνοῦς κτλ. ἐπονομάζοντας*, in mysteriis usitatas. Hic non sermonem esse de Atheniensium pompis, in quibus virgines talia nunquam saltassent, sed de Siculis et Italicis, quas oculis usurpaverat Plato in peregrinationibus suis, confirmari potest e Xenophontis Symposio c. 7. p. 159. *Bach.* ubi Socrates ad praestigiatorem Syracusanum, qui saltatriculam in convivium induxerat miris contorsionibus corpus rotantem, *εἰ ὀρχοῖντο πρὸς τὸν αὐλὸν σχήματα, οἷς Χάριτές τε καὶ Ὧραι καὶ Νύμφαι γράφονται.* Aperta hic mentio mulierculae Siculae, gestibus deas istas pingentis. Idem apparet ex epistola Hippolochi, ad luxum convivalem Graecorum tempore Alexandri cognoscendum apprime utili, quam servavit Athenaeus IV, 2. p. 130. A. ubi Hymenaeum in nuptiis Carani canunt saltatriculae *διεσκευασμέναι τρόπον Νηρηίδων, αἱ δὲ Νυμφῶν.* Scilicet e pompis Bacchicis, in quibus saltatriculas eiusmodi Dearum personam sustinentes saepe cernere est in vasis figulinis Magnae Graeciae, ad theatra Capuae et inde Romam etiam transiere, communi *mimarum* nomine insignitae. Insanierunt in eas Romanorum proceres. Ecquis ignorat Arbusculam, aut Cytheridem Antonii? Saltarunt *ἐπεισόδια* (*Intermezzi*) vel exodia in ludis scenicis, hinc *embo-*

satis incaluissent magnanimi Romulidae: in proclivi fuit Py- 18
ladi Alexandrino homini et Bathyllo, Augusti et Maecenatis insigni favore ad summum artis histrioniae fastigium provectis, ex omnibus saltationibus, quae hactenus excultae et in scenam productae fuerant, unam illam conflare *Italicam* e tragicis, comicis et satyricis gesticulationibus apte et sol-

---

liariae dictae, ut Copiola illa apud Plin. VII, 48. 4. vid. *Salmas.* ad Script. H. A. T. II. p. 530. seq. qui tamen temere nobis obtrudit suum *empolaria*. Notissima est et scriptorum ecclesiasticorum censura famosissima lascivia ludorum Floralium, ubi exacto exodio postulare consuerat populus, ut *nuderentur mimae*. Nolo patrocinari effrenatae isti ludorum licentiae. Sed facere tamen non possum, quin moneam, *nudam* hoc quoque loco, ut sexcenties apud Graecos et Latinos, de homine dici, qui superiore veste, qua amiciebantur veteres, deposita tunica tantum interiore induti procedebant. Hinc explicanda est nuditas illa Lacaenis tantopere ab Atticis scriptoribus exprobrata, a poetis laudata, v. Heyn. ad Virgil. I. Aen. 316. et Intt. ad Propert. III, 14. Nam quis unquam in animum inducere poterit, puellas Lacedaemoniorum *γυμνὰς παλαίειν* (sic enim legendum Plut. Lycurg. 14. p. 213. *Leop.*) institutas, plane nudas fuisse. Imo tunica tantum cinctae fuerunt substricta et super genua desinente, ut sic fierent *φαινομηρίδες*. Rem oculis subiectam habes in statuis marmoreis, quas vulgo victrices in stadio appellant, rectius *saltantes* dixeris. Vide pulcherrimam statuam in Museo Pio-Clementino T. III. tab. XXVII. Et acute hoc monuit *de Pauw Recherches sur les Grecs* T. II. p. 310. seqq. Saltabant mimae illae palla versicolori (Ovid. Fast. v. 356.) byssina vel Coa amictae, diffusa, usque ad talos defluenti. Sed saltato cantico exuere iubebantur vestes superiores, pallam, peplum puta, ut tunica interula tantum indutae, *χιτωνίῳ ἐχεσάρκῳ* Athen. XIII, 6. p. 590. F. singula membra spectatorum oculis contrectanda praeberent. Apposite ad hanc rem Hippolochus in epistola iam supra laudata apud Athenaeum IV, 1. p. 129. A. de sambucistris Rhodiis, quas *nudas* intrasse triclinium refert, *ἐμοὶ μὲν δοκεῖν γυμναὶ, πλὴν ἔλεγόν τινες ἔχειν χιτῶνας*. Conferendus etiam locus impudentissimum saltatricularum certamen pulchre depingens Alciphronis I, 39. p. 188. *τὸ ζώνιον λύσασα κτλ.* Caeterum longe saepius hae *ὀρχηστρίδες καὶ μουσουργοί* (nam haec duo fere semper coniungumtur) in aedibus privatorum hominum, in conviviis et nuptiis occurrunt, quam in theatris, sub prioribus certe imperatoribus. Vide Lucian. Amor. c. 10. T. II. p. 407. In nuptiis duravit mos usque ad Chrysostomi tempora, quod patet ex Homilia eius XII. ad Coloss. Tom. VI. p. 255. seq. ed. *Ducaei*, qui cum saepius loquatur de *nudis* meretriculis in scena saltantibus (v. c. Homilia VII. ad Matthaeum T. I. p. 76. D. *γυναῖκα γυμνουμένην*), nunquam tamen mulierem plane nudam intelligit. Sequiore aetate hac quoque theatrorum lascivia nil impudentius et effrenatius cogitari potest. Uno, si quis haec desideret, epigrammate in Anthologia Graeca facile acquieverit Analect. T. II. p. 207. III. ubi *τρίβακον περὶ κάσφαλον ὀρχήσασθαι* (v. *Alberti* ad Hesych. T. II. c. 1413, 4.) est turpissimum illud *κελητίζειν*. Hoc unum addam *tria millia saltatricum*, quae seculo quarto Romae quaestum fecisse perhibentur ab Ammiano Marcellino XIV, 6. nequaquam ad mimas tantum et scenicas mulieres (ut interpretati sunt *du Bos Reflexions* T. III. p. 300. et *Gibbon History of the Decline of the R. Emp.* T. V. p. 400. *ed. Basil.*), sed ad omnia prostibula, quae fidibus et saltando in conviviis sui copiam facerent, puellas Gaditanas, Aegyptias cet. referenda esse.

lerter compositam (*Salmas. ad Scriptt. H. A.* T. II. p. 882. seqq.), eam ipsam ob causam, quod omnia saltationum genera ad mimum suum transferrent, *Pantomimi* dicti (quae vox tum demum cum novo invento in usu esse coepit) *). Quo studio, tanquam pestifero aliquo sidere, subito afflatae sunt et magis magisque refrigeratae fabularum ad veterem illam normam compositarum recitationes et actiones scenicae, omni voluptate ab auribus ad oculos mi-
19 grante **). Atqui habuerunt hae quoque pantomimorum artes momenta et incrementa temporibus suis diligenter distinguenda ***). Habuit hoc ars in ipsa levitate operosissima, ut a primis inventoribus et inchoaretur et omnibus su-

*) [Suidas s. v. ὄρχησις παντόμιμος· ταύτην ὁ Αὔγουστος Καῖσαρ ἐφεῦρε. Tacitus I. Ann. 54. „*Indulserat ei ludicro Augustus, dum Maecenati obtemperat, effuso in amorem Bathylli*" etc. videatur docta Lipsii nota, et quae *Ios. Scaliger* monet ad Euseb. Chron. p. 169. EX ADD.]

**) Luculentus in hanc rem locus exstat in Libanii oratione pro saltatoribus (quae, ut hoc obiter moneam, una omnium optime declarat totam pantomimorum disciplinam, laudatissimo Luciani de saltatione libello multum praeferenda) T. III. p. 391. Reisk. ubi diserte affirmat, fuisse tragoediarum scriptores, dum vigeret tragoedia, egregios in theatris populi doctores. Sed cum illae in museis delitescere et plane obliterari coepissent, bene actum esse de multitudine, quod pantomimorum saltatio in locum illorum successerit διδαχὴ τοῖς πλήθεσι παλαιῶν ῥάξεων. Atque cum his amice conspirant, quae de orbe universo fabularum et historiarum a pantomimis expressarum copiose tradidit Lucianus a cosmogeniis initio ducto usque ad Cleopatram, de Saltat. c. 37. T. II. p. 290. Quid mirum igitur, scenam tragicam fere contemtam iacuisse et spretam a Romanis, quod pulchre observavit *Wielandus* in Observationibus ad versionem theoticam Epistolarum Horatii T. II. p. 119. seq. nec praetermisit *Badenius de causis neglectae apud Romanos tragoediae* p. 45. seq. Hinc, qui tragoediam scripsissent, ipsi ἐπιδείξεις faciebant conductis et exornatis ad hanc rem amplissimis aedibus. Plin. Ep. VII, 17. Dialog. de Clar. Orat. c. 9. et 11.

***) Sic cum ad haec parum attenderet *Octav. Ferrarius* in doctissima dissertatione de mimis et pantomimis et seorsim edita, et Thesauris Salengriano Polenianoque inserta, multa temere miscuit, nec a *Burettio* in Commentariis Academiae Inscriptionum Parisinae, qui pleraque sumsit a Ferrario, satis accurate distincta. Subtilius haec accuratiusque distinxit *du Bos* in observationibus saepius iam laudatis T. III. p. 262—292. Sed iterum haec sub examen revocavit et omnium diligentiam superavit doctissimus Hispanus, Vincentius *Requenno*, qui dissertatione anno superiore Parmae edita: *Scoperta della Chironomia osia dell' arte di gestire con le mani*, multa de pantomimis ingeniose disputavit, quos triplices fuisse putat, vel ubi plures mimi fabulam tragicam aut comicam desaltarent, vel ubi unus tantum totam exhiberet fabulam, vel ubi secundas faceret gesticulatione cantori fabulam canenti. Bene haec, et secundum fidem veterum. Sed nec ipse sibi cavit a permiscendis iis, quae temporibus diligenter secernenda fuissent.

meris consummatissima perfectissimaque relinqueretur. Nam qui primi illius doctores perhibentur, Pylades in tragicis, Bathyllus in comicis et libidinosis gestibus (Plut. Symp. VII, 8. p. 566. a. *Basil.* Athen. I, 18. p. 20. D, E. cum comment. Salmasii ad utrumque locum) uno eodemque actu totam soli saltarunt fabulam, ab una persona ad alteram effingendam mira arte transeuntes (ὄρχησις πολυπρόσωπος). Stupendum hoc agilitatis et versatilitatis opus cum pauci vel e *domo*, ut Seneca appellat (Quaest. Nat. VII, 32.), et disciplina illorum (reliquerant enim scriptos ea de re commentarios) artificum profecti attingerent, varia, quibus supplerent tanto operi, mimorum commenti sunt certamina et portentosa scenae ludibria. Sic, postquam *archimimus* absolverat saltationem, prodierunt plures, qui *secundas* illi *facientes* in eodem argumento ingeniose elaborarent (nam Laureolum, cuius meminit Sueton. Calig. 57. ad pantomimum, non ad mimum, quod vulgo faciunt, v. c. *Ziegler de mimis* p. 74. retulerim). Sic bestias secundas facere archimimo docuerunt, et quae sunt alia id genus prodigia. Sed illud inprimis iam secundo seculo invaluisse videtur, ut cui negotio unus olim suffecerat, id partibus inter plures pantomimos et *pantomimas* *) divisis toto grege peragerent. Nobilissimus est locus de Paridis iudicio apud Apuleium Met. X. p. 253. *Elmenh.* Pantomimi ipsi in exhibendis deorum heroumque incestis amoribus et sibi et adulteriis et spectatoribus turpissime indulgentes mature summa flagrare coeperunt infamia, cinaedorum moechorumque nequissimi appellati **). Hinc in *pompa illa diaboli*, qua patres et

*) Has Constantinopoli inprimis impense amatas fuisse et laudatas, docent epigrammata in Analect. T. III. p. 104. s. clamant homiliae Chrysostomi, in quibus illud portentosum, quod natasse etiam in Euripis, et publice cum pantomimis concubuisse traduntur. Plura de his nobis narrabit *Mullerus*, Hafniensis, Vir doctissimus, cui pulchre iam succesit opera in scriptoribus illius aetatis sacris excutiendis.

**) Hinc Aristides, quem refutare conatur Libanius in oratione pro saltatoribus, dixerat ἅπαντας ὀρχηστὰς ἠναιρῆκέναι p. 361, 6. et sic saepe in illa oratione παράνομος ἀφροδίτη illorum commemoratur. Hinc pretium sceleris paciscitur aliquis συγκοίμησιν ὀρχηστοῦ T. I. p. 69, 5. *Reisk.* Sed pleni sunt Luciani, pleni Tertulliani, Libanii aliorumque libri his foedissimis flagitiis. Hinc passim *enervati*, *effeminati* audiunt pantomimi, quod ridicule de vera castratione accepit *de Bos Reflexions* T. III. p. 270. seq.

scriptores ecclesiastici omne spectaculorum genus designant *), agmen ducunt turpissimae pantomimorum saltationes, quibus Christiani etiam saepe sermones sacros postposuerunt (v. Chrysost. Hom. I. in Matth. p. 12. A. Prolog. in Evang. Iohannis p. 8.) atque adeo, quod vix fidem inveniat, ad mortem martyrum in tumulis eorum mimice exprimendam (Augustin. Serm. CCCXI. *in natal. div. Cypriani*) ridicule abusi sunt. Caeterum tria praecipue animadvertenda, quae a viris doctis parum perspecta multum caliginis et erroris offuderunt interpretibus. *Primum:* totam modorum et instrumentorum in scena concinentium rationem istis pantomimorum saltationibus prorsus immutatam esse. Nam cum antea simplices tibiae accinerent theatris, ingens iam intonuit instrumentorum, cymbalorum, sambucarum et tibiarum e multis calamis compositarum (συρίγγων) concentus (ὑπ' αὐλοῖς καὶ κυμβάλοις Lucian. de Salt. 72. T. II. p. 307.) addito cantico **) (ᾄσμασι, saepissime obvio in Chrysostomo et Libanii oratione pro saltationibus, v. c. p. 381. 27. τῆς ὀρχήσεως εὕρεμα τὰ ᾄσματα εὕρηται. cf. p. 382. 11.), unde spectatores fabulae desaltandae argu-
21 menta intelligerent. Ad eiusmodi choros regundos mesochoro opus fuit scabillis illis ingentibus, quae commemorat et excusat Libanius T. III. p. 385. *Reisk.*; vid., quae docte de ποδοκτυπίαις disputat Calliachius in Thesauro T. II. p. 759. seqq. *Deinde:* saltasse pantomimos ut plurimum palla indutos tenuissima, pellucida, in mimis gravioris argumenti, et quae ad Olympum spectarent; nec impeditos eos esse veste sinuosa et diffluente, cum omnia chironomiae dexteritate constarent. Qui picturas saltatricum Herculanensium viderit, in his non haesitabit amplius nec dubitabit, vel in hoc muliebrium pallarum habitu (vide Libanium l. l. p. 376. seq.) effeminatam cerni mollitiem, qua male audierunt pantomimi. Atqui fuerunt haud dubie saltationes petulantiores

*) Vide loca patrum a *Millesio* diligenter collecta ad Cyrilli Hierosolym. Cateches. Mystag. I, 4. p. 280. ed. Oxon.

**) Ortum hoc canticum ex ὑποχήμασι antiquiorum saltationum. Locus classicus est apud Athen. XIV, 6. p. 628. D. In his multa argutatus est *du Bos* in Observationibus suis. Saniora iam dederat doctissimus Candiota, *Calliachius de ludis scenicis* c. 15. Thes. *Salleng.* T. II. p. 763. seqq.

et hilariores, in quibus ad praestigiatorum in rotandis fluctuantium membrorum gyris θαύματα propius accederent. In his vestimentis arctius adstrictis illos usos plane nullum est dubium. *Denique* multum a vero aberrasse, qui nimis anxie inhaerentes formulis quibusdam de *digitis loquacibus*, *articulis vocalibus*, et id genus aliis (*tot linguae, quot membra viro* in epigrammate totam fere pantomimorum artem adumbrante, ubi vide, quos laudat *Burmannus* in *Anthol. Lat.* T. I. p. 622.) fuisse peculiarem aliquam digitorum loquelam, signis artificiosis constitutam, temere iudicarent *). Subobscura, quae restat, quaestio, quando haec pantomimorum ludicra et reliqua, si qua superessent, spectacula scenica plane cessaverint, nondum expedita et ad liquidum deducta est. Attigit eam literator Francogallus (*du Bos Reflexions* T. III. p. 294.), qui usque ad direptionem urbis a Totila factam (p. Chr. n. 546.) ea pertinuisse censet. Sed in Byzantinorum historiis inferiore etiamnum aetate multa eius rei passim inveniuntur vestigia.

Atque haec quidem in parva quasi tabella delineata lectorum oculis subiecisse sufficiat. Quod si quatuor aetatibus, quarum primas tantum duximus lineas, unam aliquam notam insigniorem imprimere collubuerit, prima choro caruit alternis iambis intexto, altera et chorum habuit et diverbia seu τὰ ἰαμβίζοντα apte inter se connexa et copulata, tertia choro passim neglecto canticis mimica arte exprimendis magis magisque delectari coepit, quarta et choro et canticorum *recitatione* valere iussis, omnia ad gestum et saltationem retulit. 22

*) Eiusmodi signis non ex natura ductis, sed arte et disciplina constitutis nimium tribuit, quem supra laudavi, *Requenno* in dissertatione de chironomia veterum Italice scripta, recte refutatus a doctissimo *Millino* in libello menstruo, bonae frugis pleno, *Magazin Encyclopédique* 3me An. T. III. p. 338. Nimirum et illum praeter alia loca de digitis loquentibus (χεροὶ παμφώνοις in Antipatri epigrammate de Pylade Analect. T. II. p. 116. XXVII.) in primis in fraudem induxit locus saepe laudatus Augustini de Doctrina Christiana II, 25. ubi saltante pantomimo praeconem pronuntiasse refert Carthaginiensibus, quid saltator vellet innuere. Sed scite iam monuit *Engelius* noster *Ideen zu einer Mimik* T. II. p. 33. interpretatum esse praeconem tantum singula saltationis argumenta, non signa uniuscuiusque σχηματισμοῦ ab ignaris illius artis non intelligenda.

XXI.

DEUS EX MACHINA

IN RE SCENICA VETERUM ILLUSTRATUS *).

HORAT. A. P. 191.

Nec deus intersit, nisi dignus vindice nodus
Inciderit —

Tempus adest, quo in publica gratulatione verbis rite conceptis prosequendi sunt adolescentuli aliquot, scholae Vimariensis alumni et ex umbraculis nostris in Academiae, quo confirmatis iam ingenii viribus provolare cupiunt, lucem et pulverem dimittendi. Gaudebamus sane novam hac re nobis oblatam esse occasionem scribendi aliquid et commentandi de literulis nostris, quae circumstrepentibus undique novae sapientiae, e coelo scilicet delapsae et post hominum memoriam unicae, praeceptis obsolescere paulatim et sordere incipiunt hominibus ad saeculi ingenium et si dicere fas est, socordiam otiose sese accommodantibus. Sed parum prospere successit illud gaudium. Pertractaveramus nuper in scholis nostris Graecis Aeschyli Eumenidas, et forte, ut fit, in enarrando scriptore, in quo omnia ad liquidum haud facile perduxeris, incideramus in eum sermonem, ut quo habitu et ornatu (σκευὴν Graeci vocabant) Furias suas, portentosa scilicet phasmata et ad terrorem incutiendum nata factaque, in scenam produxerit pater Tragoediae et choragii apte instruendi mirus artifex, diligentius anquireremus. Hic cum aquam mihi haerere, nec facile veram istius ornatus notionem concipi posse in animo intelligerem, discipulis amplius me hac de re cogitaturum et quando commodum sese offerret occasio prolusionis scholasticae conscribendae, hunc potissimum locum rei scenicae apud veteres, quem accuratius excuterem, me sumturum esse promisi. Ego vero iam circumspicere praesidia,

*) Prodiit haec prolusio Vimariae a. 1800.

loca, quae huc facere viderentur, undique conquirere, monumenta antiquae artis, quae ad illustrandam dearum illarum figuram adhiberi posse noveram, inspicere et quae bonum interpretem decent, diligenter facere omnia. Inveni plura, quam ab initio credideram. Quid multa? crescit opus; prolusionem scribere inceperam. Exit liber. 4 Enimvero magno iam infortunio me mactatum esse intelligebam. Disputatio prolixa et extra oleas, quod aiunt, multum evagata non cadebat in angustias libelli scholastici. Tempus vero rationis de integro ineundae et novae exarandae non suppetebat. Hic statim mecum: deo ex machina tibi opus est, qui subito interventu te ex difficultatibus istis expediat. Nec mora. Adfuit deus, non ille quidem secundum prpverbium illud, sed, quod mireris, ex ipso proverbio. Opportune enim haec pupugit animum cogitatio: quid, si proverbium pervulgatum et omnium ore tritum: *deus ex machina*, e ratione rei scenicae apud veteres paucis, sed quantum eius fieri potest, dilucidius, quam adhuc factum est, illustrandum tibi sumas? Dictum, factum. Tradidi uberiorem disputationem de ornamentis Furiarum tragicis. librario, qui operam suam benigne pollicebatur, sumptibus eius excudendam et his ipsis nundinis Lipsiensibus, ni typographus obstiterit, evulgandam *). Animum deinde ad machinam illam scenicam eo lubentius adverti, quod in enarrando Aeschylo nuper mentionem eius a me iniectam et de vero eius usu aliquid disputatum esse, probe meminēram **). Haec igitur pensitare iterum et ad examen revo-

*) Libello, qui theotisca lingua exarandus fuit, quod Latina emtorem dictum an lectorem vix inveniunt, hunc titulum praefigendum esse putavi: *Die Furienmaske, im Trauerspiele und auf den Bildwerken der alten Griechen.* Weimar, Hofmann. 1800. Ut omnia, oculis subiecta, melius apparerent, additae sunt figurae tabellis aereis exscriptae.

**) Quaerebamus in loco insigni Eumenid. 400. seqq. (395. Herm.) quonam machinamento Minerva, e promontorio Sigeo in aroem Athenarum advecta, in scenam producta fuerit. Monendos ibi esse putavi tirones, capiendo esse haec verba de machina, qua dii apparuerint. Caeterum notatu dignissimus est iste locus et emendatione, ni fallor, iuvandus. Praedicat Minerva summae celeritatis impetum, qua advolaverit *πτερῶν ἄτᾳ ῥοιβδοῦσα κόλπον αἰγίδος*. Non satis intelligo, quid sibi velit illud, *ῥοιβδεῖν κόλπον αἰγίδος*. Hoc apparet, et monuerunt iam scholia graeca, Minervam umbone aegidos expanso pro velo usam esse, cum aërem tranaret. Sed quid est *ῥοιβδεῖν κόλπον*? *Vossius*, qui hoc loco scite usus est ad sententiam suam de diis absque alarum ope volantibus

care nec a consilio, quo haec a me scribi solent, valde alienum, nec a Didascalico meo, quem iam dudum paro, longe remotum esse arbitratus sum.

Qui ludos scenicos frequentant nostra aetate actitatos, hodie adhuc poetas ad deorum et geniorum, coelitus repente sese demittentium et inextricabiles fabularum ambages adventu suo expedientium, mirificam plane praesentiam confugere non ignorant. Hinc in nostro quoque scenarum apparatu machinamentis eiusmodi et fabricis, quibus descendant dii ex machina, opus esse facile intelligitur. At, dii boni, quantum claudicamus plerumque in earum constructione et usu? Non de scena aliqua sermo est in obsoleto quodam et putrescenti tuguriolo a circumforaneo scurrarum et Ambubaiarum grege per vicos et compita exstructis. Delicias eiusmodi ad Hogarthi picturas, propter scurrilem hominum ibi adumbratorum deformitatem effuso totius Europae risu exceptas, amandamus *). Verum enimvero in illis quoque theatris, quae primaria censentur opulentissimarum civitatium studiis sustentata, dici non potest,

---

constabiliendam in *Epistolis mythолog.* T. II. p. 166. vertit: *Windlaut erscholl der Aegis Schoos.* Sed ϕοιβδοῦσα referendum est ad Minervam, ut ϕοιβδεῖν κόλπον significet: cum vasto impetu et stridore quodam movere clypeum. Dura profecto et inusitata loquendi ratio. Legi apud Lycophronem 247. κρηναῖον ϕοιβδεῖν γάνος. Sed multum discrepat a nostro loco. In Aldina fuit ϕοιδοῦσα. Legendum esse puto πτερῶν ἄτερ τ' οἰδοῦσα κόλπον αἰγίδος, *tumore inflans sinum aegidis.* Non me fugit, οἰδεῖν fere semper neutrali significatione gaudere. Sed non dubito ab Aeschylo antiquiorum formarum studiosissimo activa etiam forma adhiberi potuisse, qua derivatum eius οἰδάνειν usurpari vel ex vulgaribus Lexicis constat. Et permutantur οἰδέειν et οἰδάνειν. v. *Valcken.* ad Herod. III. p. 261, 63. Spectat huc glossa Hesychii: οἰδοῦντες, ὀγκοῦντες. Caeterum ita placuit haec Minervae bigis in aëre vectae et aegidis opera velificante priscae aetatis artificibus, ut gemmis affabre insculperent. Exstat antiquum ectypon gemmae e vitro conflatum in collectione nobilissima Townleyana Londini. v. *Tassie's Catalogue* n. 1755. Equos posterioris aetatis artifices expulerunt noctuis, cuiusmodi gemmam in thesauro Stoschiano laudavit Winckelmannus *Cab. de St.* p. 66. n. 216. in aere expressit *Tassius* Pl. XXVI. 1756.

*) In ore et manibus est picturae eiusmodi, in qua hominum istius farinae illuvies et esuritio lepide depingitur, et apparatus scenicus in tugurio rustico magnifice explicatus salse perstringitur, effigies aere expressa. Eminet ibi inter alia currus scenicus, Medeae haud dubie volatui accommodandus, in superiore contignatione una cum draconibus iubatis misere delitescens et funibus crassioribus, ne avolet scilicet, colligatus. Fertur notissimo titulo apud Anglobritannos: *Strolling actresses dressing in a barn.*

quanta in his machinis, *curruum per nubes tractorum* nomine vulgo veniunt, et conglutinandis et praecipitandis versetur hominum incuria, quanta illiberalitas et turpis insecitia*). Suaviter sane risuri essent et caput non sine indigna- 6
tiuncula quadam quassaturi Graeci homines et Romani, si repente ab inferis revocati fabulae eiusmodi per deorum miracula et crebras itiones raptatae, quibus pullulat iam scena nostra, spectatores assiderent. Quam enim mentem illis putamus futuram esse, si histriones aut mimas quatuor funibus, quovis rudente pinguioribus, in aëre libratas et funicalis, ne praecipites ruant et cerebellum dispergant miserae, anxie inhaerentes magna cum pompa et instrumentorum musicorum concentu tinnulo ad scenam detrudi videant? Num ergo aliter haec res administrata fuit apud antiquos Graeciae et, quotquot Graecorum vestigia presserunt, populos? Sic puto interrogaturos esse nonnullos, qui haec legant. Sic est profecto, o boni! Nec dubito, me facile vos adducturum esse in sententiam meam, si hoc unum cogitaveritis, non potuisse ab alto demitti haec in theatris antiquae Graeciae et Italiae. Sub divo erant sedes spectatorum, rupibus ut plurimum et montibus in hemicyclii for-

*) Ne quis putet, me in his ineptiis deridendis esse nimium et dicacem, testem locupletissimum producendum esse putavi Rousseauvium, qui nugas scenicorum in celeberrimis oppidis, Lutetiam Parisiorum puta vel Lugdunum, multo sale defricans haec habet de machinis hisce caelestibus. Lubet ipsum audire sermone vernaculo: „Les chars des Dieux et des Déesses sont composés de quatre solives encadrées et suspendues à une grosse corde en forme d'escarpolette; entre ces solives est une planche en travers, sur laquelle le Dieu s'asseye et sur le devant pend un morceau de grosse toile barbouillée qui sert de nuage à ce magnifique char. On voit vers le bas de la machine l'illumination de deux ou trois chandelles puantes et mal mouchées qui tandis que le personnage se demène en branlant dans son escarpolette, l'enfument tout à son aise. Encens digne de la divinité!" *La nouvelle Héloise* P. II. *Lettre* XXII. p. 491. ed. Lausan. Gemina germana tradidit de his deliramentis in apparatu scenico saepissime obviis *Schützius* Altonaviensis, vir in hac palaestra probe versatus, in libello, qui nuper prodiit, theotisce scripto: *Hand- und Taschenwörterbuch für Theaterfreunde.* (Hamburg 1800.) s. v. *Wolkenwagen* p. 181. quamquam monet ibi, Francogallos hodie subtilius haec architectatos esse, nec indigere amplius funibus ductoriis. Nimirum hoc satis apparet, nos turpiter delirare in his machinationibus. Subit hic animum recordatio illorum, quae *Malonius* memoriae prodidit in opere nuper edito: *Historical account of the Rise and Progress of the English stage* (edit. Bas.) p. 12. et 93. ubi refert e vetustis chartis praeceptum histrionibus inculcatum, qui fabulam diluvii Noachitici exhiberent: „In aliquo superiore loco, sive in nubibus, *si fieri poterit*, loquatur deus."

nam excisae, sub divo pulpita et scenarum structurae, in quibus actorum et scenicorum hominum versari poterat industria. Sero demum cum solem et aestum pati nequirent magnanimi Romulidae, velaria inventa esse accepimus et ingentia theatrorum umbracula *). Quae cum ita sint, satis liquido apparet, in scena, cui tectum non imponeretur, funium istorum demissionibus et deductionibus locum
7 plane nullum relictum fuisse. Nam hic quoque valet pulcherrimus iste versus Lucretianus, quem ab alia disputatione in usum nostrum convertere nobis liceat (II. 1154. ex edit. *Eichstad.*).

> Haud, ut opinor, enim mortalia saecla superne
> Aurea de coelo demisit funis in arva **).

Aliter igitur instruenda fuit tota ista machinatio, ut in sublimi apparerent, quos vel curribus vectos, ut Minervam in Eumenidibus nostris, vel alio modo praesentiam suam manifestantes inducerent poetae, dii ac heroes. Id quod duplici fere ratione machinatores, quibus ad haec ministeria uterentur poetae fabulam docentes, consequi potuerunt. Nam vel eas architectari poterant machinas, quae, ut Senecae verbis utar (ep. 88. p. 387. edit. Paris. 1607) pog-

*) De velariis veterum res nota vel e *Lipsio* de Amphith. c. 17. 18. p. 1056. seqq. Opp. et exstat peculiaris ea de re dissertatio *Lanzonii*, viri docti Ferrariensis. Non solum in amphitheatris, sed etiam in theatris, ubi scenici ludi ederentur, vela ad defendendos spectatores adversus solem expansa fuisse vel ex Ovidio et Propertio abunde patet. Videantur VV. DD. ad Propert. III, 16. 13. At scenam ipsam, in qua ageretur fabula, velis istiusmodi semper caruisse persuasum habeo, quamvis disertis auctorum locis rem firmare nequeam. Imo magnus ad spectatores fructus ex hac scenae clara luce perfusae apertura propterea redundare debuit, quod ipsi in umbra desidentes acutius omnia discernerent. Sed haec ad aliam disputationem pertinent. Vide interim, qui refragari videtur, sed pro nobis militat, Iuven. IV, 123.

**) Locum hunc luculentissimum e catena Homerica (Il. VII, 18.) illustrandum esse, viderunt forsitan iam alii. Nam commentarios consulere iam non vacat. Sed observandum est, a Graeculis, qui omnia in risum iocumque verterent, hanc quoque Homericam imaginem in usum iocumque detortam fuisse. Ut Platonem taceam, pleni sunt dialogi Lucianei facetiis in catenam istam auream dicteriis v. c. in Iove Confut. c. 4. T. II. p. 623. seq. et Quomod. Hist. consc. c. 8. T. II. p. 10. Picturis totam rem expressam fuisse, quis dubitet? Proposuerat pictor aliquis Iovem in nubibus sedentem, quem, quotquot sunt mortalium in terra, detrahere frustra conarentur. Detorsit hoc alius in picturam magis ridiculam, et facete inde extudit ortum generis humani, a Iove desuper terris immissi, καθ' ὑμᾶς graeca voce appellare liceat.

mata exhiberent *per se surgentia et tabulata lucida in sublime crescentia.* Sed haec ratio sero demum valuit in scena Romanorum ea tempestate, qua omnis voluptas spectaculorum ab auribus ad oculos migraverat, *omnia, etiam quae natura negavisset, per artem tentantium* (Tacit. Ann. XIV, 42.). Ignorarunt hanc insaniam Graeci antiquiorum temporum *). Una igitur reliqua fuit via, qua, quod in sublimi gereretur, ob oculos ponere poterant spectatoribus. Quod in inferiore scenarum contignatione apte excogitatum fuerat, ut scenae essent versatiles et ductiles,

*) Non occurrit haec significatione πῆγμα apud Pollucem, ubi de theatris disputat doctissimus grammaticus, sed usurpavit de fabrica iam Hero in vett. Mathem. Sub imperatoribus et res et vocabulum *pegma* vulgari coepit. De pegmatibus multi multa post *Lipsium* de Amphith. c. XXII. quae in compendium redegit *Gesnerus* in Thesauro s. v. Sed quibus initiis orta in theatra tandem processerint, nemo, quantum equidem explorare potui, hactenus declaravit. Origines pegmatum e Pollorcetis, veterum repetendae. In obsidionibus turres plurium tabulatorum admotas esse moenibus, in vulgus notum. Atqui constat istas turres et machinis tanta solertia constructas fuisse, ut in terrorem oppidanorum subito e, quae admodum exigua in plura tabulata excrescerent, plicatiles scilicet, et cochlearum ope celeriter erigendae, πύργοι ἐκτυγμένοι ἀνέστησαν, Appian. Civil. IV, 72. T. II. p. 624. *Schweigh.*; plura Lipsius collegit in Poliorceticis. Quam quidem machinamentorum solertiam in triumphis quoque urbanae multitudini venditarunt victores, ut novo spectaculo percellerentur hiantis plebeculae animi. Luculentus est locus Iosephi de Bell. Iud. VII, 17. πήγματα τροώροφα καὶ τετρώροφα in triumpho Iudaica ducta esse perhibentis. Et adhuc in gazis antiquariis servantur nummi, in quibus haec fercula triumphalia luculenter figurata oculis usurpare licet, qualem exhibuit *Buonarotius Osservazioni sopra alcuni medaglioni* T. IX, 1. ubi docte de his ferculis disputavit p. 157. seq. Ratae deinde in pompas sacras, Circenses cet. translata (vid. Plin. XXXIII, 3. s. 16.) in theatris etiam usurpari coepit diversimode. Pulcherrimus in hanc rem locus est Apuleii Metam. X. p. 232, 31. seq. ed. *Pricaei*. Imponebantur istis pegmatibus dii personati, heroes et, cum pantomimis iam mense delectarentur Romani, citharoedi etiam et tibicines, mimorum ablationibus accinentes, quod manifesto apparet e lepidissima fabella Phaedri V, 7. Summum artificium, quod e Senecae loco supra laudato liquido patet, in eo ponebatur, ut plicatiles hae et confixiles machinae, quae sensim tantum paulatimque in tantum fastigium excreverant, incredibili celeritate dissolverentur et dehiscerent, in alias subinde formas transeuntes. Hoc *raptare pegma* appellabant. Cautum haud dubie fuit in tam repentina ruina iis, qui in fastigio collocati essent, ut salvi evaderent, quod tamen secus cecidit in Principe illo tibicine. Alias qui ad mortem damnati essent latrones, gladiatores (exemplo est latro Silurus apud Strabonem VI. p. 419. B.), in haec pegmata conlocabantur sine ullis praesidiis, ut ruina ista contriti et comminuti oblectamento essent spectatoribus. Cautum falso advocant Iuvenalis locum IV, 122. ubi *pegma* neutiquam confundi debet cum *pueris ad celaria raptis*. Hoc enim alia ac diversa admodum machinatione (γίγανον appellarat Graeci, Poll. IV, 130.) effectum esse accepimus.

id est, ut machinis quibusdam circumactae vel reductae dehiscerent, et quae in postsceniis fuerant, spectatorum oculis subito exponerent *), idem in superiore parte earundem

*) Mira hic varietas pro variis temporum rationibus et amplioribus mechanices incrementis, quae nisi temporibus suis rite distinguas, in enucleandis veterum hac de re locis frustra aestuabis. Antiquissima haud dubie ratio fuit, ut patentibus repente valvis aedium, vel reductis omnino tabulis, in quibus aedificiorum externa facies depicta erat, ea, quae spectatorum oculis ex adytis templorum, vel aedium penetralibus subiicienda essent, provolverentur. Res exemplo facilius declarabitur. In initio Eumenidum Aeschyli Pythia prodit in aditu templi Delphici collocata. Ait se intraturam et precibus matutinis Apollinem reliquosque deos propitiaturam esse. Prorepit deinde quadrupes et externata pavore, quod dirissimum Furiarum spectaculum *intus* dormientium ferre non posset. Postquam abiit, nova repente scena nobis stupentibus offertur. Conspicimus adytum ipsum et Apollinem cum Oreste et Mercurio colloquentem, prorumpit spectrum Clytaemnestrae, evigilant Furiae. Iure igitur quaeri potest, qui factum sit, ut quae clausa antea essent et post scenam abscondita, iam subito in lucem protracta manifestarentur? Facilis esset solutio, si diceremus aulaeum, seu quod in mimis Romanorum valuit, *siparium* sublatum fuisse, quo diducto, patuisse adytum. Sed aulaea ista plane exularunt tunc temporis a theatris Graecorum. Alia igitur tentanda est via. Nec est, quod multum laboremus in ea exploranda. Factum est ea machinatione, quam ἐκκύκλημα appellarunt artifices scenici. Id Pollux IV, 128. diserte explicat: ἐπὶ ξύλων ὑψηλὸν βαθρὸν, ᾧ ἐπίκειται θρόνος, et addit reliqua etiam ἀπόῤῥητα, i. e. *quae intus geruntur*, huius machinae ope provolvi, quod ἐκκυκλεῖν, et revolvi iterum, quod εἰσκυκλεῖν appellaverint. Nam certissima est emendatio *Brunckii* ad Aristoph. T. I. p. 90. verba Pollucis, quae mire torserunt interpretes, ita refingentis ὅτε δὲ εἰσάγεται τὸ ἐκκύκλημα, εἰσκυκλεῖν ὀνομάζεται. Rotulis (μηχάνημα ὑπότροχον appellat Eustath. ad Iliad. p. 964, 9. τρόχους ἔχον Suidas T. I. p. 673.) imponebatur totum tabulatum, cui tripus Apollinis una cum deo, et Orestes et Furiae insistebant, idque tabulatum machinatione rotatili provolvebatur. Haec est vera verbi ἐκκυκλεῖν et cognatorum significatio multum turbata ab ipso *Kustero* ad Thesmoph. Aristophanis, quo, tanquam ad oraculum, provocare solent recentiores interpretes. Obtrusit is nobis tertium vocabulum ἐγκυκλεῖν, quod ubique refingendum in ἐκκυκλεῖν, ut fecit iam *Potterus* ad Clem. Alexandr. p. 4. praeeunte *Casaubono* ad Athen. VIII, 13. p. 628. nec debuisset *hac significatione* illius mentionem facere *Schneiderus* V. Cl. in Lexico s. v. ἐγκυκλεῖν. Tota vero actio cum quasi episodium haberetur maioris dramatis, appellabatur etiam παρεκκύκλημα, quae vox reddenda Heliodoro in Aethiopicis VII, 7. p. 363. *Lips.* Si rotularum loco sublicis teretibus vel palangis (cylindros vulgo appellant) uterentur in protrudendis rebus interioribus, ἐξώστρας nomen invenit, quam nihil differre ab ἐκκυκλήματι affirmat Pollux IV, 129. Scilicet ambulatoriae hae machinae in eo tantum differunt, quod ἐξώστρα est trusatilis, altera rotatilis. Reddidit hoc vocabulum e Codd. Ciceroni de Provinc. Cons. c. 6. *Turnebus*, bis in fortuna, quae ineptias hominum et vecordiam in scenam producit, usus est Polybius. Vid. *Ind. Schweigh.* Procedente tempore cum intelligerent machinatores scenici, se scenarum ductilium et versatilium (v. Serv. ad Virg. III. Georg. 24.) circumactionibus (περιάκτους habet iam Pollux IV, 126.) haec omnia facilius et nullo fere negotio consequi posse, quae machinamentis illis operosioribus moliti erant, valere iusserunt totum illum apparatum, quo lubentissime carerent. Hinc nulla illius mentio in nobilis-

tabularum, quibus scenae compositae fuerunt, fieri debuit. 9
Scenae facies in unoquovis theatro triplex fuit, quam per triplex ostium Pollucis (IV, 124. s.), per valvas Vitruvii (V, 7. p. 112. ed. *Rod.*) declarari in aperto est *). Una facies, in fronte exadversum spectatoribus sita, primariam semper 10
aedem, ut in Tragoedia regiam, exhibuit. Claudebatur utrinque aliis aedificiis, seu potius tabularum picturis, quibus aedificia significarentur (*versuras procurrentes* appellat Vitruvius l. l.). Atque hae scenae ad aedificiorum similitudinem compositae fastigiis haud dubie et tectis altioribus exornatae fuerunt. Quandocunque igitur in sublimi aliquid ostendendum esset, tabulata, quibus superior illa scenarum contignatio (*das obere Stockwerk*) coagmentata erat, subito diducta ea, quae intus iam parata fuerant, spectatorum oculis ex inopinato subiiciebant. Iam vero facile apparet, in postscenlis machinam asseribus et tignis constratam apparari potuisse, qua firmiter niterentur histriones, seu dii personati, ut spectatoribus in aëre suspensi et mirabili quodam libramento sustineri viderentur sine ullo alarum praesidio. Amice cum his conspirant et pulcherrime congruunt, quae Pollux et Suidas de machina, in qua dii heroesque apparuerunt, referunt **). Pollux fuisse il-

simo Vitruvii loco V, 7. p. 112. edit. *Rodii*, ubi nil non refert ad versatiles illas machinas, *περιάκτους* dictas. Et notatu dignissimum, *Houelium* pictorem Francogallum in Tauromenitani theatri ruderibus aperta in muris, ubi scenae fuerunt, horum *περιάκτων* reperisse vestigia, *Voyage pittoresque de Sicile* T. II. p. 38. 41. Adeundus omnino, quem consuluisse non pigebit, *Rodius* V. Cl. in versione Vitruviana T. I. p. 244.

*) Scilicet illud in primis tenendum, fabulas Tragicorum et Comicorum semper in area libera, in platea, seu vestibulo aedium scenam suam habuisse. Plerumque igitur aedificia in fronte, et utrinque a latere scenarum picturis repraesentabantur. Cuilibet aedificio et illi, quod in fronte visebatur, et quae procurrebant in latus, peculiaris porta assignata fuit, *ἡ μέση*, *ἡ δεξιά*, *ἡ ἀριστερά* dicta. Mansit portae appellatio etiam tum, cum ornamenta alia ostenderentur, portus, tentoria, speluncae et sic porro. Graeci tamen portae loco *πάροδον* etiam dixerunt. Haec nisi observes, altam Polluci caliginem offusam reperies. Sic in explicatione *ἐκκυκλήματος* IV, 128. observat, obtinuisse hanc machinam *καθ' ἑκάστην θύραν*, *οἱονεὶ καθ' ἑκάστην οἰκίαν*.

**) Polluci et Suidae sua debet *I. C. Scaliger*, qui in Poetic. I, 21. p. 80. primus haec illustrare conatus est. Scaligerum, ut fere in omnibus, exscripsit *Bulengerus* de Theatr. I. 21. p. 875. *Thes. Graev.* T. IX. (ne emendato quidem errore, qui vulgares Scaligeranae poetices editiones obsidet, Tlepolelemum nescio quem Neoptolemi loco nobis obtrudentes). Ex eodem fonte areolas suas irrigavit *Rambachius* ad *Potteri Archaeol.*

lam in sinistro latere et in superiore scenae parte eminuisse narrat *), et adsentientem sibi habet Suidam, interpretatione tamen in loco subobscuro iuvandum **).

11 Multa tamen in machinae istius structura et libramento occurrere debuerunt, quae rationem nostram, quamvis omnem intendamus ingenii aciem, plane fugiunt, et in quibus expediendis diu multumque, sed frustra desudes. Nimirum hic quoque valet Senecae illud: licet multa nescire. Hoc certe unicuique patebit, qui quidem Tragicos veteres penitius inspexerit, varium et multiplicem fuisse machinae istius usum, nec poetis tantum inserviisse eo in loco, ubi (Ciceronis verba sunt de Nat. D. I, 20.) *cum argumenti exitum explicare non possunt, confugiunt ad deum.* Non in fine tantum, sed ab initio etiam deos ex machina arcessere non dubitavit Aeschylus. Idem usu venire videmus in Euripide (v. c. in Hercule Fur. 815. seqq. ubi *Λύσσα* cum Iride curru advehitur). Atque in his adventitiis personis multifarium machinae istius usum agnoscamus oportet. Scilicet cum Minervae curru advectae in Eumenidibus nostris, aut Oceanitidum curru pennigero per aerem in Prometheo Vincto (vid. *Schutz.* V. Cl. in comment. T. I. p. 13.) adventantium imaginem nobis in animo informamus, non substitisse illas, ubi primo obtutu collocatae esse videban-

---

T. I. p. 96. *vers. vernac.* Novam in nonnullis viam ingressus est, sed parum extricavit *Kölerus* in dissertatione de re scenica vett. quam Anthologiae dramaticae praefixit, p. 526. seq.

*) Pollux IV, 128. diserte monet: *κεῖται κατὰ τὴν ἀριστερὰν πάροδον, ὑπὲρ τὴν σκηνὴν πρὸς ὕψος.* Sic enim, non *τὸ ὕψος* postrema verba legenda esse, miror nulli interpretum in mentem venisse.

**) Suidas s. v. *ἀπὸ μηχανῆς* T. I. p. 286. refert deos inductos esse *ἐξ ὕψους ἀπό τινος μηχανῆς, ἣν ἔβλεπον μὲν πρότερον οἱ θεαταὶ, κατ' ἐκείνην δὲ τὴν ἡμέραν στρεφομένη ἐδείκνυε τὸ τοῦ θεοῦ.* Quo pacto hanc machinam, quae tum subito conversa deum ostenderet, spectatores iam antea videre potuerint, nemo satis exputabit, nisi statuerit, Lexicographum tantum de contignatione seu tabulis loqui in superioribus scenae partibus, quarum diductione machina prodiret. E Suida emendanda esse scholia graeca ad Lucianum pro Merced. Cond. c. 1. T. I. p. 652. nec Solanum nec Reizium ibi vidisse, mirum. Plura tamen, quam in Suida nunc reperiuntur, tradunt scholia ad eundem Lucianum Philops. c. 23. T. III. p. 55. Verba corruptelis scatent. Hoc tamen apparet, non tantum in sinistra, sed etiam in dextra versura, seu scenae latere, eiusmodi machinam conspectam fuisse. Notandum in primis illud in scholiis dici *ἀνεφύγεσαν* de istis machinis. Ergo per hiantis scenae aperturam primum in conspectum venere.

tur, plane intelligimus. Descendisse Minervam et Oceanitidas, chorum scilicet in illa fabula saltaturas, a machina illa in planum sive proscenium quis dubitet? Et facile hoc effici potuit funibus per cochleas tractis. Deorsum enim feruntur ista corpora. Nec est, quod miremur, remeare iterum et in sublime tolli potuisse currum iisdem funibus, sed inverso motu, retractum. Sic Euripidis Medea ad finem cognominis fabulae draconum alatorum currum conscendit (1321. seqq.), qua re alterum machinae a tragicis adhibitae ministerium cerni statuit *Daniel Heinsius* eo in loco *); ubi subtiliter disputat de illius in re scenica veterum usu. Nec dubitari **) potest, formulas illas veteribus 12
frequentatas ἕλκειν, αἴρειν θεούς, ubi de repentino adventu vel fuga, praesentaneo scilicet malorum remedio, sermo est, hac ratione, qua deum in machina illa primum manifestatum, deinde in pulpitum sive planitiem scenae demissum, iterumque, si vestigia illi relegenda essent, sublatum fuisse diximus, facile declarari posse et illustrari. Sed non solum e machina illa in planum descendendum illis fuit, ve-

*) *De tragoediae constitutione* c. 12. p. 96—102. Duplex illius machinae ministerium fuisse statuit vel cum deo, vel sine eo. Machinam cum deo solutionem attulisse nodo, quem aliter poeta extricare non posset. *Sine illo* effugium praebuisse illis, quibus aliae viae elabendi plane interclusae essent, ut in Medea Euripidis.

**) Locus nobilissimus est Platonis in Cratylo (c. 56. p. 73. *Fisch.* T. III. p. 316. Bipont.), ubi Hermogenes primordia linguae ad numen refert, Theologis quibusdam Christianis idem affirmantibus, cum patrum memoria iis de eadem re ferventibus utrinque animorum studiis agitaretur, haud dissimilis. Cui iocose respondet Socrates, imitari illum τραγῳδοποιούς· ἐπειδάν τι ἀπορῶσιν, ἐπὶ τὰς μηχανὰς καταφεύγουσι, θεοὺς αἴροντες. Ciceronem hunc locum expressisse observat iam *Lambinus* ad Horat. T. II. p. 442. et nuperrime amicissimus Kindervaterus in notis ad Ciceronem de N. D. Passim imitati sunt scriptores Graeci. Unum laudasse sufficiat Plutarchum in vita Themistoclis c. 10. T. I. p. 289. *Hutt.* ubi narrat Themistoclem mira vafritie ostentis et praesagiis usum esse ad impellendos Atheniensium animos, ὥσπερ ἐν τραγῳδίᾳ μηχανὴν ἄρας, σημεῖα δαιμόνια καὶ χρησμοὺς ἐπῆγεν αὐτοῖς. At haec scite etiam alteri generi huius machinationis, de qua mox, accommodari poterant. Satius est huc referre locum Aristotelis, de quo praeclare nuper meritus est *Carus*, Vir Clarissimus et indagandis veterum philosophorum somniis dicam an placitis sagacissimus, Metaphys. I, 4. p. 1231. Opp. ubi more suo vellicans magnum philosophum Stagirita illum *intellectu* suo usum esse affirmat tanquam machina, μηχανῇ χρῆται τῷ νῷ καὶ ὅταν ἀποφήσῃ — τόνε ἕλκει αὐτόν. Nec multum abludit Demosthenis illud, in oratione ad Boeotum p. 1026, 29. ubi de Timocratis testimonio μόνος, ὥσπερ ἀπὸ μηχανῆς, μαρτυρεῖ.

rum etiam evolandum et in altiorem aëris regionem ascendendum. Id quod aperte significat Pollux, monens, ostendi hac machina etiam heroas in aëre pendentes (Ἥρωας τοὺς ἐν ἀέρι), exempli gratia Bellerophontas et Perseos. Utrumque, si Euripidis fabulam Bellerophontem, eiusdemque poetae et Sophoclis Andromedam e fragmentis, quae adhuc supersunt, aestimemus, volantem in aëre diutiusque ibi commorantem exhibuerunt tragoediae. Hic vero si recordatio subit, rem geri in scena nullis tectis clausa et sub divo, inexplicabilibus fere irretiti tenemur laqueis, unde vix aliter nos expediemus, quam si scenam in eiusmodi fabulis ita instructam fuisse statuamus, ut a tergo altiora quaedam vel moenium pinnacula et fastigia, vel, quod in Bellerophonte et Perseo res ipsa postulasse videtur, rupium saxorumve promontoria utrobique eminerent *). Ab his funes utrinque aptos copulatosque esse arbitror, quibus iter illud aërium sustentaretur allevareturque. Nec deest coniecturae firmamentum satis idoneum, si quae de κράδῃ tradiderunt veteres Grammatici, recte perpendamus **) et

*) Scilicet non tantum pictis tabellis, quae καταβλήματα nuncupata esse discimus e Polluce, varii montium et marium situs proponebantur, verum etiam turres et speculae et superiores contignationes, διατειχίσματα (unde Budaeus iam olim Francogallorum estagia, etages derivavit) ibidem exhibebantur, teste eodem Polluce IV, 129. seqq.

**) Pollux IV, 129. in comoedia κράδην dici observat, quae in tragoedia μηχανή appelletur. Addit ex nomine apparere, fuisse in ea machina imitationem quandam ficus, quae Atticis κράδη dicta sit. Laudabo, qui hanc similitudinem vel fidiculis expresserit. Putavi aliquando ad vetustissimam theatri Atheniensis speciem referendam esse, cum ficneis tabulis (ἰκρίοις) constructis, scena prope populum arborem figeretur, unde Αἰγίλιον θεά appellata fuit. v. ad Hesych. T. I. c. 1364, 15. et quae observavi in prolusione *de IV aetatibus rei scenicae* p. 7. Poterat ibi ficus etiam adhiberi ministerium. Sed frigida et longe arcessita ista explicatio. Hoc tantum ex Appendice Proverb. Vatican. Cent. II, 20. s. v. Κράδης ἐκγείσης teneamus, κράδην proprie dictam esse ansulam, qua suspensi tenebantur histriones, qui in tragoediis deorum adventum imitantes in aëre volare viderentur. Verba Graeca notatu dignissima: κράδη — ἡ ἄγκυρα (refingendum haud dubie ex Hesychio T. II. c. 336, 23. ἀγγυρὶς seu ἀγκυρὶς, quod patet e Zenobii loco, quem laudavit H. Stephanus) ἀφ' ἧς οἱ ὑποκριταὶ ἐν ταῖς τραγικαῖς μηχαναῖς ἐξαρτῶνται θεοῦ μιμούμενοι ἐπιφάνειαν ζωστῆρσι καὶ ταινίαις κατειλημμένην. Ultimum vocabulum scribendum esse κατειλημμένοι non est, quod moneamus. Ἐπιφάνεια fascils et redimiculis colligata esse nequit. Sed optime hoc cadit in histriones, qui fasciis taeniisque muniendi erant, ne fibularum ansularumque (ἀγκυρίδων) morsus corpus vulnerarent. Caeterum hoc ex Hesychio et Polluce liquido apparet, κράδην, quam ad comoediam tantum retulit Pollux, ad tragoe-

cum illustri loco in festivissima Aristophanis fabula, Pace, 13
comparemus *). Quin dubio caret, quae de pensilibus funiculis (αἰώραις) paucis versibus interiectis tradidit Pollux, de eodem machinamento intelligenda esse **).

Primas lineas duxisse sufficiat in re ludicra, fateor, et 14
a superciliosis magistris nullius forsitan momenti habenda, at cognitu tamen iucunda et ad fabrilis peritiae, mechanicen vulgo appellant, qua prisca gens mortalium polluit, incrementa recte ponderanda haud inutilis. Singula accuratius exquirere nunc nec vacat, nec operae est. Repetamus alio tempore pensum, quod nunc temporis et scriptionis angustiis praeclusi absolvere non possumus. Ad multa

---

dorum etiam machinationes pertinuisse. *Κράδην* simpliciter *μηχανήν* fuisse perhibent Scholia ad Aristoph. Pac. 626. ubi vid. *Florent. Christianum* p. 172. ed. *Kust.*

*) Trygaeus ad Iovem evolaturus, et Pacem, quam vinculis constrictam tenet Polemos in Olympo, in libertatem vindicaturus, scarabaeo, i. e. machina in scarabaei similitudinem composita, conscenso in sublime rapitur. Euripidis Bellerophontem, Pegaso coelum petentem, pupugisse ioculari hoc volatu Comicum, non est, quod multis demonstremus, et aperte significat ipse poeta V. 134. Sed multa ex hoc ridiculo argumento colligi possunt ad illustrandam Tragicorum machinam apprime facientia. E postsceniis evolat Trygaeus. Nam per ostium stolidissimum eius conatum observare finguntur servi V. 78. s. Mox scarabaeo suo invectus ingreditur aërem, spectatoribus iam conspiciendus. Dein pulsat fores Olympi, altercatur cum Mercurio et tandem, advocatis in auxilium sodalibus, vectibus et funibus fores speluncae effringit, in qua Belli deus Pacem conclusam tenet. Quae quidem omnia spectatorum oculis subiicere non potuisset poeta, nisi in remotissima scenae parte montis praealti aliquod exstitisset simulacrum, unde funes, quibus novus ille sessor levaretur, aptari poterant et praeligari.

**) Diserte tradit Pollux (IV, 131.) *αἰώρας* (*oscilla* dixeris Latino vocabulo) vocari funes, qui ad sustinendos heroas in aëre ingredientes ab alto dependent, *κατήρτηνται ἐξ ὕψους*. Scilicet *μηχανή* est vox generalior, varias machinationum species et pegmata, ut, quas h. l. *αἰώρας* appellat doctissimus Lexicographus, et *Θεολογεῖον* Aeschyli et gruem s. *γέρανον*, complexa. Totum apparatum, quo machinatores veteres per trochleas, rechamos et funes ductorios maioris molis res in altum tollebant, cognoscere est e Vitruvio X, p. 250. ubi quos *rechamos* vocat Vitruvius, a Graecis *μάγγανον* dici observavit peritissimus harum antiquitatum arbiter Bernardinus *Baldus* in scholiis ad Heronis Belopoeeca (Vindob. 1616. 4.) p. 52. seq. *Μάγγανα* de machinis tractoriis in theatris dicta esse docuerat iam *Bulenger. de Theatro* I, 22. p. 878. Adde, quae de hac voce Du Cangius disputat in Glossario Lingu. Graec. med. aev. Inferorum etiam supplicia interdum in machinis eiusmodi spectatorum oculis obiecta esse, patet ex Diodori narratione de suppliciis, quibus Dionysius Phytonem affecit XIV, 112. p. 726. *ἔδησε πρὸς τὰς ὑψηλοτάτας μηχανὰς οἱονεὶ τραγικήν τινα τιμωρίαν λαμβάνων*. Nec mirabitur, qui marmora anaglypha, inferorum poenas exhibentia (v. c. *Mus. Pio-Clement.* T. V. tab. 19.), contemplatus fuerit.

tamen, quae in legendis Tragicis Comicisque Graecorum quaeri possunt et disceptari, vel ex iis, quae carptim tantum et leviter perstricta sunt, responderi posse existimo. Sic quaerimus, verbi causa, quomodo vel Oceanus gryphibus vectus in Aeschyli Prometheo Vincto, vel Hercules in fine Philoctetae apud Sophoclem in aëre librati confabulari potuerint cum iis, qui infra collocati erant. In promptu est responsio, factum hoc esse machinamento quodam, funibus utrinque sustentato. In utraque fabula postica scenae pars montium iuga et praefractas rupes exhibuerit necesse est. Monti enim affixus Prometheus, exesis rupium cavernis assidet Philoctetes. At nulla montium utrinque imminentium acclivitas in Ione Euripidis, ubi in porticibus et atrio templi Delphici omnia geruntur et ad postremum Minerva apparet, dea ex machina? Audio, sed non defuerunt templorum pinnacula et fastigiata tecta, unde emicare dicitur dea *οἴκων θεοδότων ὑπερτελής* (Ion. 1548.). Hinc pendere potuit et pependit haud dubie libramentum illius machinae. Longe vero clarior his omnibus affundetur lux, si res ad comoediam veterem translata fuerit. Ridemus Agathonem in Thesmophoriazusis, Euripidem in Acharnensibus foras provolutum ex interioribus aedium cubiculis. *Ἐκκυκλήματι* igitur hoc factum esse novimus, in quo proprie solium rotatili seu trusatili machina promovebatur (teste Polluce IV, 128.). Atqui solio insidentes conspicimus adhuc poetas dramaticos in artis antiquae monumentis *), quae aetatem tulerunt. In corbe pensili (*κρεμάθρα*, *τάλῳ*) Socratem suspensum miratur Strepsiades in Nubibus. Scilicet una fidelia duos, quod aiunt, parietes dealbat et dum Socratem sale defricat, mordacissimo, Tragicorum quoque machinationes salse ridet et *παρατραγῳδεῖ* Comicorum urbanissimus. E machina loqui-

*) Qui tabulam vidit, Apotheosin Homeri nobis offerentem, principem poetarum tali solio insidere recordabitur. Nec consuluisse pigebit Winckelmanni opus *Monumenti Inedit.* n. 168. ubi Euripidis marmoreum signum, in villa Albana olim visum, plane figuram refert poetae carmina sua in solio recitantis. Adde, si lubet, Menandri et Posidippi statuas in Museo Pio-Clementino T. III. t. 15. 16. ubi *Visconti*us alia monumenta ad eandem speciem conformata laudavit p. 18. in hemicyclii tamen forma, quae plures cepit iuxta assidentes (v. *I. Fr. Gronov.* ad Sueton. de Grammat. 17. p. 380. ed. Burm.), a vero aberrans.

tur *) magnus iste nugator et sophista, personatus Socrates. Mox nubes praesto sunt magistro et ipsae, Oceanitidum instar, e quibus Aeschylus chorum concinnaverat, ex aëre demittendae et, quod necessario sequitur, machinis provolvendae. Atqui diserte ostendit Socrates Strepsiadi deas istas e Parnethe, Atticae monte, descendentes (Nubb. 322.). Proinde facili coniectura assequi possumus, post aediculas Socratis et Strepsiadis in anteriore scena depictas, altiores prominuisse fabricas ad similitudinem quandam montium deformatas, unde funium, quarum ope sublevatae Nubeculae prodeambularent, suspensura et continuatio. Quid de ea comoedia dicam, quae Avês inscribitur, in qua ab initio ad exitum fabula in superiore aëris tractu peragitur, *Θεολογεῖον* scilicet, Aeschyli inventum (de quo alibi fusius) tacite pungens et spectatoribus ridendum propinans?

Caeterum illud quoque extra omnem controversiam positum esse videtur, auctores veteres ab ea apparatus scenici parte, quae oculos vel inprimis feriret visumque lacesseret spectatorum, machinas puto deorum *ἐπιφάνειαν* ostendentes, crebras duxisse metaphoras, imagines, et loquendi formulas, ad quarum sensum interiorem explorandum explicandumque curiosiore machinae istius investigatione tibi opus sit **). Nec ullum mihi est dubium, in 16

*) In schollis omnium edd. (istius etiam, quam nuperrime edidit *Heimannus* V. Cl. p. 300.) observatur esse hoc *παρεγκύκλημα*. Ex iis, quae superius disputata sunt, patet, legendum esse *παρεκκύκλημα*. Mirum sane in eo loco, ubi de machina tantum superius inducta sermo est, illius machinationis mentionem iniici, qua inferiora tantum aedium penetralia spectatoribus patefacta esse docuimus. Sed salva res est. Si diligentius examines locum, videbis, interiora cubicula etiam *φροντιστηρίον*, in quibus cum discipulis suis magno conatu nugas ageret magister, in scenam provoluta esse. Iure igitur hoc nominis machinationi isti imponi potuit.

**) Homerum et tragicos, ubi intemperantem deorum extrinsecus advenientium usum reprehendit, Aristoteles de Poetic. c. 16. p. 235. T. V. opp. ed. *Buhle*, iam in hac re composuit. Didicerunt Tragici ab Homero deorum ministeria interponere fabulis suis. Nec dubitandum tamen, posterioris aevi poetas Epicos pauca vicissim petiisse a tragicis in adornanda deorum, ubicunque collubuisset, praesentia. Et potuisset ex hoc fonte multa derivare, si hoc egisset, *Heynius* V. Ill. in duobus Excursibus, exquisitioris doctrinae plenissimis, de interventu deorum ad libr. I. et IX. Aeneidos. Sed in singulis quoque poetarum locis crebro huc respici, cuivis patebit, animum ad haec diligentius intendenti. Sic, ut panca seligam e multis, in Pindari aliquot locis, nisi facem illis praeluleris ex hoc cele-

elegantissimis quibusque priscae artis monumentis, quae ad nostram aetatem pervenerunt, haud pauca reperiri, quae si machinae illius vim et rationem penitus imbiberis, ad speciem illius exigenda tibi esse videantur *).

---

berrimo theatrorum more, multum tibi peribit leporis. Pyth. VIII, 45. hymni dicuntur evolare ἁμᾶ ποτανοὶ ἀμφὶ μαχανᾷ. Explicant simpliciter de arte eius et ingenii impetu. Et sic acceperant iam vetera scholia. At si metaphoram ductam esse dicas de machina illa theatrorum, qua sublimes ferebantur dii et heroes, felix hymnorum argumentum, imaginem certes lyrico poeta dignissimam. Firmat hanc explicationem locus alter Nem. VII, 32. ubi ποτανὰν μαχανὰν tribuit Homero, quod durisculum sane foret, de ignea ingenii eius alacritate tantum interpretari. Et bene ibi scholia: ὑψοῖ καὶ μετεωρίζει τὰς ἀρετὰς τῶν ὑμνουμένων. Fingamus nobis animo machinam heroas ad coelum ferentem, et vividiore colore totam rem depictam esse, inficias ire vix poterimus. Et commodum hic succurrit δίφρος Μουσᾶν, quo Pindarus laudibus poetarum elatos volitare ait per ora virum Olymp. IX, 120. ubi *Heynius* laudavit similia poetae loca. In deliciis enim habet hanc imaginem. Dura profecto et frigidiuscula metaphora, Musas, *sentatrices* deas, curru aspertare, quos diligant. At si cogites, a scenico apparatu hoc repetendum esse, ratio metaphorae probe constabit. Et occurrit nobis Musa in dramate, quod Euripideis accensent, Rheso 886. seqq. in machina adventans et filium currui suo imponens. Sic ποτανὸς fertur, quicunque laudibus multum celebratur, ut Arcesilaus Pyth. V, 152. Ac referenda huc etiam ἅρματα χαρίτων, de quibus *T. Hemsterhus.* ad Lucian. Somn. c. 15. T. I. p. 20. Unum addere liceat ex alio genere. Pulcherrimum est praeceptum Demetrii de Elocutione c. 232. p. 92. *Schneid.* non esse densandas sententias in epistola familiarem sermonem magis referente. Qui secus faciat, illum similem esse οὐ δι' ἐπιστολῆς ἔτι λαλοῦντι ἀλλὰ μηχανῆς. Id *Ernestius* V. Cl. in Lexico technologico Rhet. Gr. (libro bonae frugis pleno) p. 219. simpliciter exponit de artificio et παρασκευῇ. Verum obversabatur Demetrio, politissimo scriptori, machina scenica, unde in fine praecipue fabularum saepenumero gravissimas sententias expromunt et γνωμολογοῦσι dii deaeque. Magna auctoritas huic interpretationi accedit e loco nobilissimo Platonis in Clitophonte T. XI. p. 277. Bipont. ubi Socrates obiurgare dicitur homines ὥσπερ ἐπὶ μηχανῆς τραγικῆς θεός, quem cum imitaretur etiam Iulianus in Encom. Constant. p. 4. A. ansam praebuit *Wyttenbachio* copiose agendi de hac formula passim e Platone ab aliis scriptoribus ducta, in *Biblioth. Crit.* Vol. III. P. I. p. 42. Cum haec scripsissem, vidi *Ruhnkenium* ad Tim. s. v. τραγικὴ σκηνὴ p. 260. ed. nov. comparasse etiam locum Demetrii ibique ἀπὸ μηχανῆς fingendum esse, monuisse. Hoc certe apparet, metaphorae huius in communi vita usum latissime patuisse.

*) Consulant, quibus otium est, disputationem de sella curuli, qua Neoptolemum vectum conspicimus in picturis vasculorum Graecorum, in Commentariis ad illas picturas: *Griechische Vasengemälde* P. II. p. 220. seqq. Quae illic ad mysteria Cereris relata sunt, ad scenicam rationem spectant omnia.

XXII.

DE MEDEA EURIPIDEA

CUM PRISCAE ARTIS OPERIBUS COMPARATA

PROLUSIO PRIMA *).

Maximo cum voluptatis fructu perlegimus nuper in scholis Graecis Medeam, nobilissimam Euripidis tragoediam, omnium, quae quidem aetatem tulerunt in Euripideis, si spiritum vere tragicum sensuumque, in quibus excitandis regnat tragoedia, gravitatem spectes, facile principem. Multa passim in excutiendis pensitandisque locis singulis occurrerunt nobis notatu digna et ab aliis interpretibus, quorum in emaculandis locis corruptis haud exigua, in extricandis difficilioribus locis et illustrandis totius dramatis et singularum partium virtutibus, levis admodum et negligens cernitur opera, temere praetermissa. Sic ut pauca carptim perstringamus, uberiorem disquisitionem alii tempori, si res et occasio feret, relinquentes, lectorem, in veterum scena tragica bene versatum, statim ferient partes, quas chori in hac fabula demandavit, satis motoriae, quas si quis accuratius expendat et ad notiones, quas de chori tragici vi et natura secundum veterum recentiorumque grammaticorum sententias animis nostris informavimus, diligentius excutiat, operae pretium illum facturum esse existimem **). Porro autem in moribus Medeae pingendis

*) Prodiit Vimariae a. 1802.

**) Tralatitia est et recentissimorum inprimis, quorum vilis admodum nostra aetate est annona, Aristarchorum opprobriis decantata castigatio Aristotelis, choros Euripidis *μὴ συναγωνίζεσθαι*, Poetic. c. 19. p. 245. ed. *Buhl.* Opp. Et laborat omnino in hac parte operis Euripides, in canticis chori fingendis suavitatem tantum et tenerioris sensus mollitiem captans, quam apte connexa et copulata ista haereant argumento, parum pensi habens; id quod, ut alios omittam, scite monstravit inter Anglos *Wartonus Essay on the Genius and Writings of Pope* T. I. p. 71—73. inter nostrates elegantissimus harum formarum spectator *Jacobsius Beiträge zum Sulzer* T. V. P. II. p. 516. Sed apposite iam monuit *Prevostus* in nova Brumoei editione, operosiores chori in Medea nostra esse partes, quam in reliquis fabulis (si ab Ione discesseris). Quo magis mira videri potuit chori in propulsando scelere, quod aperte meditatur Medea,

qua arte, quibus coloribus usus sit tragicus, ut irarum furiis incensum animum ad tantum scelus protruderet, eoque insaniae illam progredi potuisse, probaret spectatoribus, subtiliori disputatione exquirendum, iterumque atque iterum sub examen revocandum esse videtur *). Multa praeterea haud protrita et ad retundendam Zoilorum quorundam Tragico nostro obtrectantium dicam an oblatrantium temeritatem apprime idonea disputari possent de mira, quae in sermonibus nonnullis exsplendescit, δεινότητι et vi vere tragica poetae ab ipso Aristotele τραγικωτάτου nomine appellati **). Multa, si per partes nobis eundum esset, afferri

segnities et incredibilis patientia, *Petro Cornelio* iam in Examine Medeae, *Dacierio* in notis ad artem Horatii, *Hardioni* in Commentariis Acad. Inscript. T. VIII. p. 248. et nuperrime *Jacobsio* etiam l. l. notata. Sed, si rem recte exputes, non est, quod reprehendas mulieres insignem contumeliam Medeae illatam muliebriter (V. 821. cf. 581. ed. Brunck.) exosas et, quod choro diserte praecipit Horatius A. P. 200. *commissa tegentes*. Hactenus bene iam patrocinatus est Euripidi *Hurdius* ad Epist. Horat. T. I. p. 145 ad 149. ed. *Eschenb.* Sed restant alia ab exordio statim fabulae, ubi Medea calamitatum fluctibus mersa miseratione pervellit mulieres, aptius repetenda; restat *Heathii* nota ad v. 1255. accurate ponderanda.

*) Cui non clamatus hic Hylas? merito hic quoque dici poterit. Ambitiosius iam hoc in argumento elaborarunt Francogalli, quorum sententias in compendium redegere Brumoeus in Theatro Graecorum nuperique eius editores. Otium in laudandis aliis nobis fecit *Blumnerus* V. Cl. qui in dissertatione theotisce scripta: *Ueber die Medea des Euripides* Lips. 1790. diligentissime, quae huc facerent, collegit omnia. Primum illud cogitandum. Medeam veneficam praeripuerant iam Aeschylus et Sophocles. Restabat τεκνοκτόνος, quam novam plane personam princeps formasse videtur Euripides (Clearchum, qui Calliam grammaticum, obscurum terrae filium, hoc argumentum prius tractasse tradiderat, Athen. VII, 1. p. 276. A. vanos rumusculos sectatum esse, quis non videt? Et locus ipse Athenaei emendatione eget. Vid. *Casaub.* ad Athen. p. 763.), quippe qui mercedem a Corinthiis accepisse, ut culpam trucidatorum ab ipsis infantum in Medeam derivaret, aliter vix dici potuisset. Vide Scholia ad V. 9. et quae post Barnesium et Perizonium disputavit *Baylius*. Deinde tenendus est χαρακτηρισμός Horatii: *Medea ferox invictaque*, quibus duobus vocabulis ingenium mulieris tale, quale expresserat Euripides, quasi in brevissima tabella descriptum callide ob oculos posuit Horatius. *Ferox* enim ad barbaram, *Colchidem saevam* (Iuven. VI, 643.) referendum mores indicant Graecae humanitatis plane expertes, quos acerbissime illi exprobrat Iason 1330. sq. addens, tale facinus a Graeca muliere (nisi forte in furorem adacta 1284.) perpetrari non potuisse. Erravit igitur in hoc uno, qui tersissimam artis poeticae versionem nuper dedit interpres summus *Vossius*, quod ferocem vernacula voce *frech* reddidit. Imo est efferata, ἀπάνθρωπος. Ex hoc igitur fonte multa fluxerunt in eam, quam Euripides adumbravit, Medeae imaginem. Alterum est *invicta*, i. e. pervicax. Ipsa animo suo imperare non potest, ipsa ἀνθαδίαν suam vituperat 1028. cf. 621. Primis hisce lineis reliqua facile appingentur.

**) Sibi ipsi odiose obstrepunt et gladio suo se iugulant novelli magistri, qui Euripidi maledicunt. Nam qui theatra nostra vernacula nunc

possent de sententiis ubique fere cum in reliquis poetae nostri tragoediis, tum in hac quoque fabula obviis, quibus vel inscitiam nequitiamque aequalium suorum, vel rhetorum sophistarumque argutias tortuosasque captiunculas oblique pungit et vellicat *). Multa denique, quae diligentiam fugerunt priorum interpretum, ex interiore antiquitatum notitia et doctissimorum virorum, qui nuperrime in his operam suam posuerunt, commentariis explanari et clariori luce perfundi posse arbitror **).

---

recoquere et ad pristinum Graecorum sensum severioremque disciplinam revocare cupiunt, numquam efficient, ut Aeschyli vel Sophoclis fabula in scenis nostris recto talo stare queat. Uni Euripidi nobiscum convenit. Hinc mirum in modum arrisit iam olim Francogallis. Hinc multa renascentur ab eo profecta, quae iam cecidere. Ultra Euripidem qui progredi ausit, is excitare nescit palatum nostrum, pastoritia fistula et furcillis eiiciendus e Pimplaeo culmine. Iam comparet aliquis Athenaea et Cynosargas, sic enim appellant *χελιδόνων μουσεῖα*, in quibus alto supercilio magnas nugas nunc agunt homines et suo et aliorum otio abutentes, comparet sales, quibus ibi defricatur misellus Euripides, et doleat vices ab imberbis iuvenibus vapulantis (v. c. *Aber Euripides schwatzt ein sophistischer Rhetor am Markte.* Musenalmanach für 1802. p. 26.). Atqui si omnes vires suas in unum contulerint superciliosi isti Critici, et integrum triennium assidue desudent in extundendo aliquo ingenii duri foetu, nunquam architectabuntur locum ad sublimitatem et admirabilem vim, quae inest verbis Medeae acerrimis amoris materni et irarum aculeis exagitatae v. 1021—1080. propius accedentem, nunquam perficient narrationem, quam Suada ipsa dictasse videtur, inde a v. 1136. Profecto, qui his perlectis nugatorem appellet Euripidem, illi media in fronte vena pertundenda aut meraci hellebori amphora mens defaecanda est.

*) Vetus est observatio, Euripidis fabulas plenas esse laudationum reprehensionumque saeculi sui, prout res ferebat. Multus est in laudibus Athenarum, imo nimius, si aetatis nostrae in hac re iudicium sequamur, vid. *Jacobsii* notata ad Sulzerum P. V. T. II. p. 409. Enimvero mos gerendus fuit populo spectatori, qui hisce illecebris delinitus aequius ferret censuras morum, ubique interpositas. Et quis neget, Athenas Atticas felicissimam fuisse magnificarum laudum materiam? Sed alieno loco haec obtrusisse poetam dictitant. In nostra certe fabula elegantissimus locus de Harmonia, Musis et Venere in Attica commorantibus, et incolarum ingenia amore suavissimo beantibus 824. seqq. (*τοὺς σοφίᾳ παρέδρους ἔρωτας* ad puerorum amores referendos esse, qui Euripidis ingenium noverit, vix dubitaverit; ad totum locum illustrandum faciet fragmentum Eubuli apud Athen. II, 27. p. 179. *Schweigh.*), scite coit cum antecedentibus sequentibusque. Ad Sophistarum vituperationes referendus est locus 1225. (ubi *μεριμνηταὶ λόγων* manifeste indicant aretalogos illos et Sophistas, non poetas, quos intellexerunt scholia Graeca), a *Valckenaerio* diligentissimo eiusmodi locorum apud poetam nostrum indagatore in *diatribe de fragmentt. Eurip.* c. XXIII. p. 250. praetermissus.

**) Sic et in hac fabula et in reliquis, quae quidem leguntur, omnibus magna saepe interpreti diligentiori difficultas oritur ex aedium Graecarum descriptione et cubiculorum distinctione non satis intellecta. Atqui reperti sunt nuper, qui hanc quoque antiquitatis Grae-

6 **Sed cum angustiae libelli nostri haec iam non capiant, praestat copiolas nostras in uno, quod cum tragoedia nostra**

---

cae partem novis curis perpolirent, magnamque ab eruditis, quibus saepissime aqua hic haerebat, inirent gratiam. Extant in Medea nostra loca aliquot, quibus istorum disputationibus lucem affundere queas. Chorus mulierum statim ab initio clamorem Medeae ad aures suas accidisse refert: ἐπ' ἀμφιπύλου ἔσω μελάθρου βοὰν ἕλινον 134. Varia hic comminiscuntur interpretes. Scholia antiqua ad *ὀρσοθύρην* Homericam Odyss. XXII, 126. confugiunt. *Musgravius μέσαυλον* ex Alcest. 560. huc advocat. Si semel adspexeris picturam linearem, cuiusmodi post Galianum ad Vitruvium et Mariettium ad Anacharsidos Itinerarium nuper admodum aereis tabulis expressam dederunt *Rodius* in *Formis ad explicandos Vitruvii libros*, *tab.* XVI. *form.* X. et *Stieglitzius* in *Archaeologia architecturae veteris* T. II. P. II. fig. 34. uno obtutu res tota satis patebit. Duplex fuit ianua in aedibus Graecorum, ad quas scenas etiam in theatris compositas fuisse constat. Una anterior *αὔλειος* seu *αὐλιος* (v. *D'Orville* ad Charit. I, 2. p. 32.) dicta, universum aedium ambitum claudens, unde exitus in plateam. Hanc qui intraverat, aula, seu vestibulo subdivali superato ad cubicula, coenacula et peristylia perveniebat, quae communi vocabulo *ἀνδρῶνας* seu andronitin appellare licet. Dehinc altera ianua, qua in interiorem partem aedium, gynaeconitin, aditus pateret, *μέσαυλος* dicta Atticis. v. *Schneider* in *Epimetro* ad novissimam Xenophontis Memorab. editionem (Lips. 1801.) p. 279. Iam Medeae in thalamo seu gynaeceo versanti priusquam ad chorum in area extra aedes, sive in platea, praestolantem pervenire poterat, duplex superanda fuit ianua. Versatur enim in remotissima aedium parte. Hoc igitur significare voluit poeta: ingentes clamores sublatos esse a Medea, qui per duplices fores exaudiri possent. Egregie rem totam illustrat fragmentum Menandri apud Stobaeum, quod miror fugisse Schneideri diligentiam, a magno *Valesio* ad Harpocrationem p. 27. et ad Eusebium in vita Const. IV, 7. p. 240. scite expositum. Docet ibi Menander, virgini non ultra *μέσαυλον* (gynaecei scilicet claustrum, v. Lys. Oratt. p. 20. Achill. Tat. II, 91. p. 162.), matronae non extra *αὔλειον* prodeambulare licere. Hinc, ut hoc obiter moneam, lux etiam affulget orationi, qua chorum ab initio statim v. 214. salutat Medea, causas exponens, quibus inducta prodierit ex aedibus in publicum, deposito omni *οἰκουρίας* pudore (v. Philonem de specialibus legibus II, p. 620. a Valesio iam laudatum). Sed restat aliud monendum. Si oculos conieceris in tabellas istas a Rodio et Stieglitzio nuper publicatas, nunquam te expedies ex altero loco Medeae nostrae v. 1137. ubi pueros Medeae feralia munera ferentes per *νυμφικοὺς δόμους* (i. e. *ἀνδρῶνας*, triclinia, illepide in h. l. nugantur scholia) transilisse ad thalamum Creusae, sponsae, mirā sedulitate refert famulus. Nam in tabellis istis ad Vitruvii mentem delineatis virilia et muliebria cubicula ita inter se sunt distincta, ut aditus a platea ad utraque diversus pateat. Scilicet, quod docte monuit *Schneiderus* l. l. p. 267. nimium confisi sunt hactenus viri docti, qui domorum Graecarum fabricam illustrarunt delineaverunt, Vitruvio, cuius quidem doctrina ad Graeciae antiquioris cultum, quem in Atticis scriptoribus spectare debemus, minime pertinet. Ante Alexandri Magni aetatem in Graecorum aedibus omnia ad antiquiorem illam rationem referenda sunt, qua andronitin anticam, gynaeconitin posticam aedium oblongarum partem occupasse, sexcentis antiquorum scriptorum locis manifesto declarari potest. Nimirum omnia hic quoque pendent ab antiquissima Homericarum aedium forma, qua probe perspecta, quae huic formae paulatim addiderint demserintve, facilius intelligitur. Mansere enim usque ad florentissima Graeciae tempora vetustae illius simplicitatis vestigia, *μεγάρῳ* tantum in peristylia et triclinia separata mu-

arctissimis vinculis copulatum nexumque esse nemo negabit, argumento explicare et de priscae artis operibus, quibus atrocissimum Medeae facinus, caedes liberorum, expressa 7
fuit et deformata, pauca disserere. Sic fidem auditoribus nostris, cum legeremus ista, obstrictam optime liberabimus. Polliciti enim eramus, colligere et monstrare, quae quidem ex antiquae artis monumentis adhuc superstitibus cum fabula nostra comparari et reperiri possent omnia. Nec deerunt alii forsitan, qui liberalissimo hoc humanitatis pabulo, quod ex eiusmodi monumentorum curiosa contemplatione percipi potest, recreari oblectarique cupiant. Nam aut egregie fallimur, aut, ut nunc est captus hominum, ad antiquorum artificum monumenta exploranda exponendaque (Archaeologiam vulgo appellant, quicquid hisce investigandis impenditur studii) antiquorum scriptorum, qui classici censentur, lectio indies magis convertatur deflectaturque, necesse est.

Ut ratione et via procedamus in his monumentis colligendis explicandisque, primum inclyta antiquae artis opera dispiciamus oportet, quae florentissimis Graeciae Latiique veteris temporibus fama celebrata labentis aevi malignitas nobis invidit. De his in hac priore dissertatione sermo erit. Sed ex ingenti naufragio tabulae nonnullae servatae sunt. Has non Neptuno, sed Musis in altera dissertatione, cui scribendae mox alia sese nobis offeret occasio, suspendemus. Quod igitur ad illa priora attinet, in hac universa disputatione illud in principio tenendum, Medeam nefandae liberorum neci sese accingentem vel, caede patrata, anfugientem artificis Graeci manu ante Euripidis tempora fingi exsculpive vix potuisse propterea, quod Tragicus noster argumentum obscuris antea Corinthiorum rumoribus et sermonibus multum inter se discrepantibus iactatum fabula, quam 8

---

tato. Insigne nuper praesidium ad hanc rem attulit *Vossius*, de omni antiquitate meritissimus, domus Ulysseae pictura lineari ultimo versionis suae vernaculae volumini adiecta. Divine hic omnia in parva tabella exsequutus est sagacissimus antiquitatis Homericae indagator. Mihi certe omnes, qui me diu male habuerunt, scrupulos exemit ista delineatio, si a tholi positione discessero. Haec vero propter obscuritatem carminis vix unquam ad liquidum perduci poterit.

hac de re his docuit *), primus nobilitavit etiam splendidissima scenae Atticae luce collocatam artificibus quoque, tali spectaculo avide inhiantibus, primus commendavit **). Non

*) Vel certe altera ἐκδόσεις multum immutavit. Nam si quis fragmenta prioris a *Manutio* iam ad Cic. ad Divers. VII, 6. p. 436—50. Lips. diligenter excussa comparaverit cum ea fabula, quam nunc terimus, multa in illa priore secus se habuisse, quam nunc leguntur, facile intelliget, nec cum *Brunckio* in notis ad postrema verba fabulae, quo fragmenta eiusmodi referenda sint, anxie laborabit. Sic in priore Iasonis aliquas in fine partes fuisse putaverim, quam ibi deum ex machina apparuisse vel ex ipsis Aristotelis verbis, ubi machinae in Medea Euripidea usum reprehendit, Poetic. c. 16. p. 235. elici posse arbitror. Hoc certe apparet, φῆσιν totam Medeae, qua in ea, quae adhuc legitur, fabula sepulturam filiorum in templo Iunonis et sacra in illorum honorem instituenda praedicat 1379—83., melius quadrare in Iunonem, quam in Dianam, fugam quam celerrime capessentem. Nec minus offendunt, quae statim sequuntur, de morte Iasonis, fragmentis Argus navis capiti dormientis illisis, olim impendente. Veneficam Medeam norunt ii quotquot, qui nondum aere lavantur. Sed quis unquam fando accepit, vaticinatam esse Medeam et fatidicam mulierem futura praedixisse. Ponamus, Iunonem haec profari. Pulcherrime cohaerent omnia. Aperte hic suturae insecantis et male coeuntis sunt vestigia; fragmentum est e priore ἐκδόσει in hanc posteriorem non satis apte translatum. Et sensit hoc iam pro ea, qua polluit, sagacitate *Musgravius*. Utinam magnus *Hemsterhusius* suspiciones, quas sibi natas esse de hac fabula obiter indicavit in epistola ad *Albertium* (ad Hesych. T. I. c. 421, 8.) apertius declarasset. Ad hunc dum perducta iam forent omnia.

**) Medeae historia tot fabularum involucris tecta latet et obscurata, ut quamvis omnem aciem ingenii ad somnia haec et aenigmata solvenda intenderis, ad postremum tamen Davum te esse, non Oedipum, ingenue fatearis oporteat. Tres equidem fabularum quasi orbes et anfractus in Medeae Graeciam ingressae historia discerni posse arbitror. Primus continet fabulas Thessalicas, Peliae necem, Medeae balnea. Alter exulem iam Medeam cum Iasone Corinthum deducit, et quae nova ibi scelera perpetraverit, exponit. Tertius, quem totum acceptum referimus scenae Atticae, Medeam Athenas fugientem et Theseo venena miscentem, monstrat. Prioris, qui difficillimos habet explicatus, probabiliter enarrandi periculum fecimus in commentariis ad picturas in vasculis, *Vasengemälde* T. II. p. 169. Alterius summam continet Euripidis fabula. Hic prima quaestio statim sese nobis oggerit, qui factum sit, ut extorres isti Ephyram potissimum, seu Corinthum sese contulerint. Respondent genealogi, quos designavit Pausanias II, 3., in promtu est insigne Eumeli, veteris poetae, fragmentum in Scholiis ad Pindar. Olymp. XIII. 74. unde antiquissimum stirpis Aeeteae domicilium Corinthum habitam fuisse, patet. Sed alia subest causa amplioris indaginis. Antiquissimae, quam Graecia fecit, mercaturae vestigia in Argonautarum expeditione deprehendi nemo hodie dubitat. Extant doctae fratrum Venetorum, *Carli*, hac de re disputationes. Atque devertisse apud Corinthios et domicilium apud eos fixisse fertur Hercules redux ab expeditione Argonautica, v. Diod. IV, 54. Eodem auctore Iason Argo navem in Isthmo consecravit, et sacrificio in Neptuni honorem instituto, ius civitatis Corinthi adeptus est. Ecquis dubitet ad mercaturam haec omnia referenda esse, et bimaris Corinthi opportunitatem iam tunc probe intellexisse nautas, Ionii et Aegaei maris oram facillime hinc explorari posse, callide perspicientes. Eodem tempore ludi Isthmici et Olympici instituti; ut transmarinas merces popu-

est igitur, quod miremur, nec apud Pausaniam nec apud Plinium aliumve scriptorem ullum huius facinoris ab artificibus Euripide antiquioribus depicti deformative exstare vestigium. Sed cum semel nobilissimus Tragicus hanc fabulam in amplissimum Graeciae theatrum induxisset; ad illud

---

ius illuc confluens cupidius emeret. Plura in angustias brevissimae notulae non cadunt. Sed in proclivi foret, haec incunabula mercaturae Graecae, quae pauci agnovere, ex omni antiquitate eruta ostendere. Nec deerit haec latius exsequendi occasio in mythologicis, quos diu iam paramus, commentariis. Plures annos ibi commorati esse feruntur Iason et Medea, stabili et certo matrimonio. Decennium ponunt Apollod. I, 8, 28. Diod. IV, 54. Deinde incidunt turbae et inimicitiae, quarum causas et exitus varie narrarunt historici et mythologi Euripide antiquiores. Fecit illius fabula, ut, obliteratis illis antiquioribus narrationibus, quam scenae inserviens amplexus erat opinionem de Creusae exitio et liberorum, quos Medea ex Iasone genuerat, caede, apud recentiores sola fere fidem reperiret, unde τραγῳδῶν τεράτειαν in hac fabula interpolanda notavit iam Diodorus IV, 56. Fundum omnis illius τερατείας mihi reperisse videor in monumento aliquo sepulcrali, tumulo vel cippo in arce Corinthi antiquitus consecrato, et anniversariis exsequiis ad illum tumulum ductis. Medeae liberos hic sepultos esse, constans fama ferebat. Commemorat μνῆμα una cum luctu Corinthiorum, qui pluscula in hanc rem servavit, Pausanias II, 3. p. 189. Sed post excidium Corinthi haec omnia intercepta vel loco suo exturbata fuere. Vetustissima fama ferebat, regnasse Medeam Corinthi et sacra instituisse Iunoni in arce, hinc ἀκραίας cognomine dictae, v. *Kust.* ad Suid. s. v. αἴξ, et VV. DD. ad Hesych. T. I. c. 202, 16. Scholia, quae excerpsit Apostolius I. 82. p. 15. diserte tradunt Ἥραν ἀκραίαν (sic enim ibi legendum) ἱδρῦσαι Μήδειαν, nec consumisse pigebit docta scholia ad Pind. Olymp. XIII, 74. Illic igitur, qui immatura morte interciderant Medeae liberi, sepulti et matronae Corinthiae cum liberis pulla veste amictis quotannis ad sepulcrum adesse iussae. Nam cum nil adhuc scriberetur, valuerunt eiusmodi instituta ad memoriam ad posteros propagandam. Facti ratio paulatim, ut fit, oblivione deleta evanuit. Mansit mos ab antiquis traditus, ad quem explicandum mira portenta confinxere aeditui et monstratores. Inprimis placuit illud, ultos esse Corinthios Medeae scelera, prole eius lapidibus obruta. Quam fabulam si quis ex eo ortam esse dicat, quod vetustissima sepeliendi ratio lapidum congeriem in tumulis exstrueret, aggeremque pararet (v. *Dulzel* ad *Chevalier descript. Troiae* p. 134. vers. theotisc.), is a vero non multum abludet. Praeterea autem percrebuerat rumor alius, perantiquus, de Creusae nuptiis, incendio arcis a Medea inflammatae et mirifica ignis, qui extingui non posset, vi, de qua infra dicendi locus erit. Arripuit haec omnia Euripides et popularium rumorum fundamento superstruxit nobilissimam fabulam, in qua Medeam τεκνοκτόνον tragici ingenio deberi ipse docet Aristoteles c. 15. p. 231. Atrocissimum facinus impune affingere licuit mulieri *barbarae* (v. 1339. seqq.) tantamque illi conflare invidiam, ut ab illo tempore κακὴ Μήδεια in proverbium abiret, vid. Eubuli fragmentum apud Athen. XIII. p. 519. cum nota *Toupii* ad Suid. p. 403. Lips. Facere tamen non potuit poeta, quin sepulcrum illud liberorum et τελετὰς in honorem illorum institutas, primordia scilicet totius τερατείας, in fine fabulae significaret. Hoc satis apparet, monumentum illud multorum sermonibus iactari et Medeam mortuos illuc deferentem ostendi potuisse; sed qui caedem ipsam a Medea factam argumentum sibi eligeret, artificem reperiri vix potuisse.

fingendum pingendumque, tanquam ad palmam in medio propositam, certatim confluxisse artifices ex iis, quae scriptores veteres super hac re tradiderunt, manifesto appa-
9 ret. Atqui nec Tragicorum nec artificum ingenia in ea fabulae tractatione, quam Euripides amplexus fuerat, sibi acquiescendum esse putavere. Nam quae semper fuit eritque humani ingenii labes atque perversitas, ut bene inventis maiorum dexteriora et elegantiora addere gestiens, hoc ipso studio optima quaeque amplificandi exaggerandique nativum aureae simplicitatis nitorem offuscet et, quod in
10 proverbio ridetur, nubem inanem pro Iunone amplectatur, hic quoque accidisse vero perquam affine videtur. Omnes, ut ita dicam, lecythos et arculas artis tragicae in pingendis Medeae affectibus exhauserat iam Euripides. Sed quod acutissimum poetam decebat, modum nunquam excesserat; popello portenta et nubes captanti nil praeter licitum indulserat*); quae intus geri digna essent, foras expromere et

*) Non me praeterit, fuisse, qui poetae nostro gravem inscitiae culpam impingerent, quod monstroso draconum alatorum curru, quo avolat Medea in fine fabulae, portenta populo hianti, praestigiatoris instar, obiecerit. Et traxerunt huc reprehensionem Aristotelis Poetic. c. 16. machinam in hac fabula diserte culpantis. Sed longe aliam fuisse causam, cur haec in reprehensionem Aristotelis incurrerent, supra iam monitum fuit. Alatos draconum currus Sophocles iam in Triptolemo spectatoribus ostenderat, vid. Lexicon Sophocleum s. v. ἀμφιπλίξ T. IV. p. 765. ed. *Brunck.* Nec abhorret a vero, Medeam ipsam iam ab eodem Sophocle in Ῥιζοτόμοις curru draconum deserta loca ad herbas venenatas legendas pervagantem inductam fuisse, praesertim si Ovidium Metam. VII, 220. comparet. Nam totam illam scenam apud Ovidium ad fabulam Sophoclis expressam esse, alii iam suspicati sunt. Nimirum, quod de Aeschylo, ex Eleusiniis mysteriis plurima choragii ornamenta derivante, alibi iam observatum fuit (v. *Die Furienmaske im Trauerspiele und auf den Bildwerken* p. 28.); in universum pertinet ad scenam tragicam Atticorum. Cererem et Triptolemum in ἐπιφανείαις Eleusiniorum et pompis ibi ductis alatorum draconum curribus sublevatos apparuisse, dubitari vix potest. Atque hinc ompem istam draconum pinnigerorum machinationem ad scenicum apparatum conversum esse, coniectura satis probabili ducti affirmare possumus. Restat aliud, quod quaeramus, scilicet quo iure currum eiusmodi draconibus innetum Medeae admoveat vetus tragoedia. A Sole se hoc vehiculum (*rhedam* appellat Varro in Marciporis fragmento apud Nonium. v. Varronis fragmm. p. 288. ed. Bipont.) accepisse ipsa gloriatur in fabula nostra 1321. Comparat *Vossius*, qui acute de his disputavit in *Epistolis mythologicis* T. II. p. 126., currum Solis, quo una cum Circe se terras longinquas lustrasse perhibet Medea apud Apollon. Rhod. III, 308. ideoque draconum currum a Sole acceptum conscendisse illam existimat, quod draconum magna in auguriis et vaticiniis esset reverentia. Sed venefica fuit, non vates futuri praescia Medea, nec quomodo istud animal ad Solis ministeria et famulitium pertineat, satis apparet.

in scena traducere religioni sibi duxerat. Audimus clamo- 11
res liberorum, impendentem matris gladium expavescentium. Caedis ipsius spectaculum procul a nobis esse voluit poeta in sensibus, qui miseratione continentur, excitandis mirus artifex. Timore suspendere, miseratione complere studuit spectatorum animos. Aurium igitur, non oculorum sensu id sese adsequi posse probe intellexit is, qui in hac quidem fabula nil molitur inepte, poeta. Mox tamen, ut fit, secuti sunt Carcini, Neophrones et id genus poetae alii, qui Euripidea novis lenociniis interpolare, et quos ipse diligenter caverat, errores admittere non erubuerunt *).

Nimirum alligeri quoque dracones cum sexcentis aliis monstris ex antiquissimis Orientalium picturis et vestibus stragulis, quibus intexti fuerunt, maritimis commerciis mature penetrarunt ad Graecos. Hinc cognata Soli animalia. Hinc centauri, chimaerae, gryphes, nuper a *Veltheusio* nimis contorte explicati. Plenus fuit talium draconum cristatorum, alligerorum Oriens. Documento est, quod eruditissimus et de omni penu antiquaria meritissimus *A. L. Millinus* cum maxime publicavit, monumentum vetus Persepolitanum in *Monumens antiques inédits*, T. I. tab. VIII. et IX. Et abundare putabantur omnes regiones Soli orienti subiectae draconibus, v. Philostratum in V. A. T. II, 6. p. 98. et quae in Hierozoico undique congessit *Bochartus*. Caeterum mille incantamentis et veneficiis cum omne pateret serpentum genus, hanc quoque ob causam dracones Medeae famuli appellari potuerunt. Et habuerunt Anguitiam suam ex Aeetae familia Marsi, praestigiis eiusmodi nobilitati, v. Intt. ad Silium VIII, 500. Denique notissima est historia serpentium detracta cuticula, quam γῆρας, *senectam* appellarunt veteres, quotannis iuvenescentium, v. *Reimari* notas ad Dionem LXI, 2. p. 980. Hoc munere a Medea accepto gavisos esse serpentes et ministeria eius libenter obiisse, vetus fuit anicularum fabula.

*) Operae pretium sane faeturus esset, qui Tragicorum Euripide recentiorum fragmenta et argumenta fabularum, quantum nunc coniectura assequi possemus, eo consilio perpenderet, ut quomodo fabulas, ab antecedentibus iam tractatas, ad palatum seculi sui recoquerent, planius intelligeretur. Multa in hanc rem suppeditabunt Rhetorica Aristotelis, bonae frugis plenissima, sed nunc, quod dolendum sane, penitus neglecta. Hoc apparet, multa, quorum tituli adhuc laudantur, fuisse tantum διασευάς et interpolationes antiquiorum dramatum, in quibus componendis antiquiores illi nec ipsi sibi caverant a plagiis. Vide doctissimo *Schweighaeuserо* laudata ad Athen. I, 30. p. 143. In universum autem recentiores fumum ex igne, antiquiores ignem e fumo dedisse censendi sunt. Sed haec iam non sunt huius loci. Nunc illud tantum teneamus, omnem movisse lapidem posteriores Tragicos, ut Euripide meliora commiscerentur in hac Medeae fabula adornanda. De Carcini tragici (probe distinguendi ab antiquiore illo, quem ridet Aristophanes, quicum confudit tamen ipse *Bentleius* in Dissert. ad Phalarid. p. 278. Lips. et qui illi obtemperavit, *Schweigh.* ad Athen. T. I. p. 178.), qui vixit sub Alexandri M. temporibus (v. *Mongitor* Biblioth. Sic. T. I. p. 122.), Medea locus insignis est in Aristotelis Rhetoricis II, 44. p. 286. b. ed. *Sturm.* unde apparet, rem in concionem populi deduxisse poetam, in qua Medea, parricidii in liberos accusata, doceret populum, se amandasse liberos, non interfecisse. Sci-

12 Agmen clausere Romani, hic quoque ut in plerisque aliis *seri studiorum* appellandi, qui cum in omnibus fortiora et vehementiora avide consectarentur, in hac quoque fabula scenam ipsam caede puerorum cruentari, quam intra terminos tragicae verecundiae consistere maluerunt *). Idem

---

licet amarunt posteriores poetae, quod aliquoties observavit etiam *Valckenaerius* in eruditissima diatribe ad Eurip. Fragmm. fabulam tragicam ad *ἀγῶνας* et certamina forensia, quibus impense laetabatur populus, revocare, quibus praeluserat iam saepenumero Euripides crebris personarum, ius fasque deposcentium, altercationibus. Aliam viam ingressus est Neophron, amicus Callisthenis et supplicio una cum illo affectus ab Alexandro M. qui vestigia Euripidis tam arcte ubique pressit, ut novam tantum *διασκευὴν* illius Medeae edidisse videretur, unde rumor, quem indicat Suidas, Medeam Euripidis Neophroni tribuendam esse, exlit. Sed ut, curae eius posteriores quantum gratiae et splendoris conciliarent fabulae iam ad nauseam usque decantatae, ostenderet, multa in scenis singulis novavit, in quibus fuerunt haud dubie nonnulla satis subtiliter excogitata, veluti cum Aegeum induceret, de industria Corinthum petentem, ut Medeam consuleret (vid. Schol. ad v. 666.), cum in Euripidea fabula vix appareat ratio, ibique Aegeus plane de coelo delapsus causam non afferat, cur ab oraculo Delphico reversus Corinthum adeat. Idem mutaverat, quae in fine fabulae de mortis genere, quo Iason periturus sit, praedicit Medea v. 1387. ubi vid. Schol. Nec hoc insulse, cum risum vix teneamus audito mortis genere, quo animam efflaturus sit olim heros fortissimus. Atqui in ipsa caede infantum idem Neophron in eo turpiter se dedisse videtur, quod in apertam scenam, quae intus gerenda essent et gesta esse fingebantur ab Euripide, depromeret. Colligimus hoc e fragmento, quod servavit Stobaeus in Sermon. XX. p. 378. ed. *Schow.* (in Grotii florileg. p. 107.) et vidit hoc iam Nic. Loensis Epiphyll. IV, 17. (T. V. p. 428. Fac. Crit.), quamvis abutatur loco ad Callistrati ecphrasin falso illuc detorquendam.

*) Post Ennium, qui totus pendebat ab Euripide, ab Ovidio primum hoc argumentum retractatum esse novimus. Magnam sane hac fabula amissa lacturam nos fecisse, clamant diserta Quinctiliani et auctoris de clar. orat. testimonia. Vix unum alterumve eius extat fragmentum, unde quam viam in illa adornanda ingressus sit, divinare iam non possumus. Nec consuluisse pigebit *Burmanni Secundi* notam ad Antholog. Latinam T. I. p. 149. sq. Sed aetatem tulit Senecae Medea, qua quid ineptius insulsiusve cogitari possit vix reperias. Pudet pigetque rhetoris, pigmenta fucumque puerilem ex arculis suis ubique allinentis. Hausit haud dubie in quoque plura e penu Graecorum recentioris aetatis. Notissima est post ea, quae Francogalli elegantiarum magistri et *Hurdius* in Commentario ad Artem Horatianam T. I. p. 128. aliique bene multi, quibus testimonium iam denunciavit *Blumnerus*, disputarunt, vituperatio caedis a Medea Romana in tecto superiore (illuc enim ascendendum illi fuit, ut coram populo haec fierent) in conspectu omnium peractae. Sed acute monuit *Badenius*, cui mox Senecam tragicum novis curis nitide expolitum debebimus, in libello *de causis neglectae a Romanis tragoediae* p. 65. vix aliter sibi constare potuisse putidum, qui haec portenta comminisceretur, poetam, quippe qui in antecedentibus iam ad furorem Medeae pingendum omnes lecythos consumsisset. Hoc unum igitur restabat, ut caedis ipsius spectaculo satiarentur diri spectatorum animi. Tales enim sibi finxerit oportet, qui hunc ingenii sui foetum tragoediam appellari voluit. Denique qui Medeae fabulam centonibus Virgilianis consarcinatam,

plane usu venit artificibus scenam illam aere et lapide exprimentibus. Meditantem scelus vel in divorsum tractam Medeam effinxerant priores, caedem ipsam exhibere nec artis nec verecundiae suae esse rati. Mox reperti sunt, qui ca- 13
stigatam istorum modestiam susque deque habentes, abominandam matris crudelitatem in ipso sceleris articulo proponerent, quo portentosiora essent, quae comminiscerentur, eo maiorem apud imperitos gloriam se consequuturos esse certo confisi. Non alienum igitur erit ab re nostra, primum ea commemorare, in quibus artifices Euripidis vestigiis pressius inhaerentes omne intelligentium punctum tulisse putandi sunt. Primum in his, nisi fallimur, locum obtinuit statua Medeae, quam inter praeclarissima artis statuariae monumenta recenset Callistratus (c. XIII. p. 905.), cuius ἐκφράσεις Philostratorum iconibus adiectas legimus. Dolendum sane, nullum artificis, cuius sollertia hoc opus perfecerit, nomen ab enarratore, in fucanda comendaque oratione unice occupato, commemoratum fuisse. Forsan nec artificem noverat, nec statuam viderat bonus ille vir, argumento, quo ad ἐπίδειξιν suam uteretur, unde libet petito. Sed celeberrimam fuisse hominumque sermonibus multum iactatam istam imaginem, vocabulum πολυθρύλλητος, quo ab initio statim illam salutat et extollit, manifesto declarat *). Eadem an revera fuerit archetypon an ad praecla- 14
rissimum tantum exemplar posterioris artificis manu expressa, nostra iam parum refert. Hoc tantum tenendum est, exstare adhuc et legi descriptionem simulacri a praestantissimo aliquo antiquioris aetatis artifice, florente adhuc Graecia, confecti, in quo tanquam in perfectissimo opere imitando passim elaborarint posteriorum aetatum caelatores et pictores. Constat enim in omnibus fere id genus perso-

---

ridendam scilicet non lugendam nobis propinavit Grammaticus in Anthologia Latina libr. I. 179. (T. I. p. 149—186.), caedem etiam in scena miserabiliter induxit.

*) Non me fugit, *Heynium*, Virum Summum, in *illustratione Callistrati statuarum* (Goetting. 1801.) p. IX. iis calculum suum addidisse, qui elogium illud ad ipsam Medeam, non ad imaginem referrent. Sed si tredecim statuas, quas verborum luminibus floride depinxit Sophista, ordine percenseas, omnes fama nobilitatas et inter praeclarissima artis opera, quae quidem Romanorum rapinae antiquis Graeciae sedibus nondum emoverant, relatas reperies.

iis mythicis fuisse unum aliquod, idque omnibus numeris absolutum opus artificis veteris, unde, qui arte statuaria, caelatura, scalptura et pictura eandem historiam tractarent, similitudinem ducerent et prima operis lineamenta *). In certamen descendit cum arte statuarii ars Sophistae, cuius fucatam orationem et mellitos verborum globulos iam sigillatim expendere nihil attinet **). Hoc apparet, obversatam esse artificis animo, cum huic operi manus admoveret, Euripideae Medeae aestum et *ψυχομαχίαν* in nostro dramate inde a v. 1085. mirifice depictam. Duplicem igitur vultus et totius figurae habitus prae se ferre debuisset affectum, exasperati irarum stimulis animi et teneerrimi in liberos amoris. Sed iudicent artis periti, an haec duo valde inter se discrepantia et tantum non adversis frontibus pugnantia eodem vultu et gestu exprimi potuerint. Ingentes animi exaestuantis fluctus et diram ferocitatem ostendi potuisse a statuario, nullus dubito. Sed distorquendum illi fuisset os, exasperanda facies, incitandus totius figurae habitus. Noluit hoc, qui artis pulcherrimae fines probe perspectos haberet et exploratos, limati iudicii artifex ***). Intumeseen-

*) Hoc inprimis nunc spectandum esse puto iis, qui antiquariam supellectilem adhuc scrutantur, archaeologi vulgo cluent, ut varia imaginum priscarum exempla ad unum, unde reliqua fere profluxerunt, archetypon revocent. Hoc enim reperto, faciliores tota res habet explicatus. Egregia huius indagationis specimina dederunt *Viscontius* et *Heynius*. Sed multa restant, in quibus investigandis magna sagacitate, infinita lectione opus est. Et haud scio, an operae pretium facturus sit, qui Callistrati statuas hoc consilio diligentius consideraverit.

**) In emendando hoc capite pro mira, qua pollet, sagacitate ingenium exercuit *Iacobsius* in *Specimine Emendatt.* in Epigram. Gr. p. 44. et quae ibi proposuerat, novis curis retractavit in *Exercitt. Crit.* T. II. p. 60. Nonnihil praesidii eidem attulit elegantissimus *Huschkius* in *Analect. Crit.* ad Anthol. Gr. p. 84. Denuo recensuit et locis nonnullis conclamatis medicinam fecit Ill. *Heynius* in *Prolusione ad Callistrati statuas* p. IX. Sed nec quoque nondum omnes exemtos tibi esse sentiet scrupulos. Offenderunt Iacobsium et Heynium verba in fine capitis *παιδικῶν λόγων μετὰ τὴν σφαγὴν ἅπτεται*. Nec ullis fidiculis sensum bonum ex his verbis extorqueas. Incidit mihi suspicio, refingendum esse *παιδικῶν χοῶν*; de inferiis cogitat, quas pueris quotannis ferrent matronae Corinthiorum. Sic enim diserte Medea in fine fabulae v. 1381. se filiis solemnia ministeria (*τέλη*, *officia*, *ministeria*, nil amplius, v. *Musgrav.* ad Suppl. 1143.) constituturam esse, praedicat, *σεμνὴν ἑορτὴν καὶ τέλη προσάψουσι*. Haec si cum Callistrati verbis compares, ad Euripidis verba illum respexisse, vix dubitabis, quorum cum parum memiuissent librarii, mutarunt *χοῶν* in notius vocabulum *λόγων*.

***) Tralatitia iam sunt et nocerinae, quae nuperrime iterum recruduit, lite multum agitata, quae post Lessingii Laocoontem de officio ar-

tem igitur diverso affectu, non lymphaticam et irarum furiis planissime iam exagitatam effecit Medeam. Hoc cum non intelligeret satis rhetor, finxit nescio quid tranquillitatis et consilii subesse, quod cum duabus aliis animi commotionibus conflictaretur. Inepta profecto, ne dicam stulta ratio Sophistae! Sed nonne gemina germana hisce quotidie effutiunt et deblaterant, qui intelligentiam haud vulgarem tritumque et subactum in artis operibus venditant iudicium? Tenebat statua manu gladium, coma erat incomta, amictu lugubri. Nondum arripuit gladium in scena Euripidis, quae ob oculos versabatur statuario. Sed instigat se ad corripiendum gladium in scena posteriore v. 1246. quae in unum colligere facile licuit artifici. Addendus enim illi fuit necessario gladius, ut quo tenderet ille tumor animi, significaretur et mansit hoc in omnibus Medeae imaginibus, ut gladium prae se ferret, atrocissimae, cui sese accingeret, caedis insigne et documentum *). Multi haud dubie statuam illam a primario artifice divine excogitatam variis dein operibus expresserunt. Argumento sunt epigrammata in Anthologia Graeca, in statuas eiusmodi composita **). Sed om- 16

---

tificis affectuum vehementiorum turpitudinem castigandi mitigandique passim disputata sunt. Patrocinatus est affectuum vehementiae in signis et picturis amicissimus *Hirtius*, qui multa subtiliter monuit de vero figurarum χαρακτηρισμῷ. Sed placent adhuc, quae monuit *Heynius* in *Antiquar. Aufsätzen* T. II. p. 22. seqq. et valent hic quoque illa Horatiana: quae mihi sic ostendis, incredulus odi.

*) Gladio, quo dextram minitabundae armaverat tragoedia, semper designata fuit Medea. Hinc in pictura vasculari, quae continetur opere Tischbeiniano T. I. tab. 7. ubi Medea caedem Peliae suadens filiabus eius sistitur, gladio tamen eam defraudare noluit pictor, qui adumbraret ista in vasculis. Vide Commentarium in istam tabellam in libello theotiste scripto: *Vasengemälde* T. II. p. 168. Sed quod nondum observaveram, cum illa scriberem, gladius, parazonium vulgo dicunt, quo veteres iam artifices Musam tragicam, Melpomenen vulgari traditione appellatam (nam multum a tralatitia opinione discrepant antiquiores ministeriorum, quae Musis tribuuntur, designatores) exornant (v. *Winckelmann*, *Mönum. Ined.* n. 45. et qui docte gladium hunc Musae Vaticanae vindicat, *Visconti* ad Museum Pio-Clement. T. I. p. 40.), ex hoc ipso Medeae, nobilissimae scilicet in omni tragoedia vetere mulieris, ornamento transiit ad communem Musae tragicae significationem. Sic clava, qua pariter insignitam eam reperimus in monumentis veteribus, ab uno Hercule ad totum genus fabulae heroicae (*Heldenspiel*, sic enim pulchre hoc dramatis genus appellandum esse censuit idoneus, si quis alius, harum rerum arbiter, *Herderus* in *Adrastea* P. IV. p. 286.) migravit una cum reliquo choragio.

**) In Analectis T. III. Ἀδεσπ. p. 215. CCCI—CCCIII. cum emendationibus *Iacobsii* in Exercitt. Crit. T. II. p. 60. Furorem et misericor-

nea statuarios fama antecelluit et artis felicitate (*oculos* enim pingere potuit) et ingenii divite vena summus pingendi artifex Timomachus Byzantius, qui „*Caesarie dictatoris aetate* (verba sunt Plinii XXXV, 11, s. 30.) *Aiacem ei pinxit et Medeam ab eo in Veneris Genetricis aede positas, octoginta talentis* (120,000 thaleris, nostrae monetae) *venumdatas.*" Et habuit hoc Medea Timomachi, ut quamvis imperfectam illam reliquisset artifex, operi isti immortuus, auctore eodem Plinio, l. l. s. 40., tamen inter miracula artis referretur *). Callide has duas tabulas, Aiacem puta et Medeam, inter se composuit, auctoritatem facturus praestantissimae pingendi arti apud populum Romanum, eumque, quibus limitibus illa quidlibet audendi potestas in pictoribus circumscribenda sit, docturus, intelligentissimus harum quoque deliciarum dictator Romanus. Fuit enim in utroque argumento, quo Timomachi ars prae caeteris exsplenduisse fertur, magna rerum et affectuum similitudo **). Nam quod ad prius illud attinet, non irruens in imbellem ovium gregem furor et oestro percita, freme-

17

diam in statua ista pariter conspectam fuisse, uno ore tradunt ibi poetae. Sed haec non ad unguem resecanda sunt in carminibus poetarum, in sententiis vibrandis contorquendisque mire sese iactitantium. Tristitia in cultu et habitu figurae ad misericordiam in vultu, quae tamen nulla fuit, translata est. Multum iuvabit legisse *Engelio*, acutissimo naturae humanae interpreti, observata de affectionibus ad ea, quae extra nos posita sunt, nos abripientibus et de motibus interioribus in se ipsum quasi descendentibus, *Mimik* T. I. p. 162. seqq. Ira ad exteriora, misericordia et amor liberorum ad interiora pertinet. Quo pacto haec uno eodemque temporis articulo pariter exprimi possint, vellem equidem mihi demonstrari vel histrionia arte vel statuaria.

*) Loca veterum diligenter collecta habes in *Iunii* Catalogo p. 215. seqq.

**) Par tabularum nobilissimarum iam ab ipso artifice eo consilio elaboratum esse videtur, ut iuxta se positae magis elucescerent et invicem comparatae divinum probarent in simili argumento adumbrando pictoris ingenium. Memorat utrumque, arctissimo scilicet vinculo coniunctum, in eodem disticho Ovidius Trist. II, 525.

„— — sedet vultu fassas Telamonius iram,
Inque oculis facinus barbara mater habet."

Et subit mirari, qui nostris temporibus de his tabulis exposuerunt, non animadvertisse, quod in duplici opere inprimis spectavit priscus artifex, truculentissimae irae significationem, vel ante facinus vel post illud, in eodem quasi gradu collocari et utrobique eadem vi spectatorum animos percelli potuisse. Intumescens Medeae ira eandem plane vultui truculentiam imprimere debuit, quam praetulit defervescens iam paulatim Aiacis vesania.

bundaque insania Aiacis; sed, paulatim detumescente iam irae aestu, doloris in lacrymas prorumpentis cruciatus et desperabundus ac in mortem voluntariam propensus animus eminebant in pictura Aiacis*). Ecquis dubitat, magnam moderationem et severissimum iudicium in his monstrandis adhibitum esse a peritissimo artifice? Atqui in eundem gyrum artem suam redigendam esse viderat in pictura Medeae, profundissima irae et misericordiae consilia animo volventis, sed ad extremam sceleris immanitatem nondum efferatae **). Scilicet didicerat hoc ab Euripide, abominandam Medeae truculentiam callide temperanti et quae offendere potuissent, ab oculis removenti. Utcunque digna profecto fuit eximia prudentissimi castigatissimique pictoris sapientia, quae tot laudum praeconiis cum in antiquitate, tum recentioribus temporibus passim in illam collatis, depraedicaretur ***). Nec dubitandum, multos ad illud exemplar, in splendidissimo Romae templo propositum, in eodem argumento pingendo sese composuisse †). Sed

*) Aiacem Timomachi pudibundum desedisse et illacrymasse contumeliosissimo facinori novimus e Philostrato V. A. T. II, 21. p. 76. et Analect. III. p. 213. CCXCV., cf. *Winckelmann Storia delle Arti* T. I. p. 338. ed. *Fea.*

**) Notissimi sunt versus Ausonii, e Graeco fonte ducti Antiphili Analect. T. II. p. 174. XX. Epigr. 122. „Ira subest lacrymis: miseratio non caret ira, Alterutrum videas ut sit in alterutro."

***) Decantatissima pictura epigrammatibus in Anthologia Graeca Antiphili T. II. p. 174. XX. Philippi T. II. p. 223. XLII. Iuliani Aegyptii T. II. p. 499. XXIX. et in ἀδεσπότοις T. III. p. 214. CCXCIX. CCC. In ultimo diserte laudatur modestia pictoris, ne sanguine polluueretur manus Medeae, diligenter caventis. In recentioribus nemo nostratium, qui quidem haec sacraria non a limine tantum salutaverit, ignorabit elegantissimas de artificio, quo, ut Plinius ait de Timanthe XXXV. 18. s. 36. 6. *plus semper intelligitur, quam pingitur*, animadversiones *Lessingii* in Laocoonte T. IX. Opp. p. 45. et, qui ipso Lessingio oculatior haec pulcherrime diiudicavit, *Herderi* in Epistolis ad humanitatis sensus excitandos alendosque scriptis (*Briefe zur Beförderung der Humanität*) Sylloge VI. p. 114. ubi hanc diversam affectuum pugnam triumphum appellat, causis, cur ita statuat, gravissimis adiectis.

†) Scilicet, quod in epigrammatibus supra laudatis cernere est, e laudatiore unius poetae sententia prodiisse et propullulasse uberrimam imitatorum segetem, in artis quoque operibus ubique observare licet. Sic. Timomachi artem haud dubie suo more reddiderat is, cuius picturam in pariete aedis elegantissimae commemorat Lucianus de Domo c. 31. T. III. p. 102. Attamen noluit in omnibus magistri premere vestigia, sibi ipsi quoque audendum esse aliquid, ratus. E Lucilii Aetna v. 590. (in Poet. Min. T. IV. p. 203. ed. *Wernsd.*) apparet, lusitantes et exultantes

18 quod in poetis supra deprehendimus studium invita Minerva susceptum exaggerandi, quae priores severe et sobrie excogitaverant, in pictoribus quoque compesci non potuit. Reperti enim sunt, qui ab Euripide et Timomacho discedendum sibi esse rati nefarium scelus in ipsam scenam protraherent *). Miras argutias pictoris eiusmodi servavit nobis poeta incertus in Anthologia Latina, I, 28. (T. I. p. 96. *Burm.*) cuius epigramma sic se habet:

Opprimit insontes infidi causa parentis
Iasonis et nati crimina morte luunt.
Sed quamvis mater, vivo viduata marito,
Coniugis in poenam pignora cara metat:
Sacra tamen pietas insanae mitigat ausus,
Hunc furiata premit, hunc miserata levat.

Picturam poetae haec scribenti ob oculos versatam esse, nemo in epigrammatibus istis iconicis probe versatus in controversiam vocabit. Mirari igitur satis non possumus ineptias artificis, qui ut caedis spectaculo pasceret contemplantium animos, nec laudatissima tamen diversorum affectuum pugna careret, eo processit vecordiae, ut matrem,

---

puerili gaudio filiolos pinxisse Timomachum. Hoc enim significant *sub truce nunc parvi ludentes Colchide nati*, apud poetam illum nobilissimas quasdam, quae Romae visebantur, Graecorum tabellas percensentem. At novum arti suae deverticulum quaesivit in liberis istis pingendis artifex argutiarum studiosior; *τὸ ἀθλίω παῖδε καθῆστον γελῶντε* ait Lucianus. Ergo tranquille assidentes et matri arridentes (ex Euripide ductum acumen v. 1040.) effecerat pictor noster, ut secura parvulorum tranquillitas cum Medeae minis composita fortius feriret spectatores. Callidum profecto commentum et vitulo, ut cum pastore Virgiliano loquamur, dignissimum!

*) Huc, si Lessingium audire velimus in Laocoonte l. l., referendus esset etiam pictor, in cuius imaginem Philippus Thessalonicensis Analect. II. p. 223. XLII. carmen concinnavit ab Ausonio etiam conversum et uno disticho, quo facile careremus (v. *Huschke* Analect. in Antholog. Gr. p. 83.), collocupletatum. Arbitratur Lessingius, aciem huius carminis stringi in ineptum pictorem, qui Medeam liberos suos coram trucidantem induxerat. Sed saepius relegenti et ponderanti hoc epigramma nondum persuaderi mihi potuit, de alia ac Timomachi imagine hic sermonem esse. Nam quo magis vituperat Medeam, eo maiorem fuisse artem pictoris, tali indignatione animum spectatoris implentem, consentaneum est. Hoc igitur voluit poeta opprobriis istis in Medeam conjectis. Nec aliter explicari possunt verba postremi distichi, dummodo sincera sint, nec veteri vitio incrustata (v. *Iacobsii* Animadvers. V. II. P. II. p. 176.) *εἰς ἃ θέλεις*, quae de parata caede sed nondum perfecta intelligenda sunt.

caeso iam infante altero, alteri parcentem et blanditias admoventem depingeret. Dignus profecto poeta tali artifice, dignae hisce labris lactucae!

XXIII.

DE MEDEA EURIPIDEA
CUM PRISCAE ARTIS OPERIBUS COMPARATA
PROLUSIO SECUNDA *).

Disputavimus superiore anno de Medea Euripidea cum priscae artis monumentis illustrioribus comparanda. Quam quidem disputationem, cum universam non caperent libellorum, quibus haec solemnia scholastica indicari solent, angustiae, placuit ita dispescere et describere in partes, ut in priore dissertatione, quae commemorantur ab auctoribus antiquis artis opera ad Medeam nostram spectantia, diligentius perscrutaremur; in posteriore si qua ad nostram aetatem pervenerint artis antiquae monumenta eiusdem argumenti, anquireremus et sub examen revocaremus. Pertexendae igitur telae nuper orsae animum adiiciamus iterum, reliqua opportuniori tempori servantes. Extant imagines in artis antiquae operibus matrem truculentissimam caedemque liberorum ab ea perpetratam pulcherrime depingentes, quae adhuc visuntur vel visebantur certe, cum colligerentur ista ab assiduis harum rerum indagatoribus, aeneisque tabulis expressa in lucem emitterentur. Has igitur iam propius intueri et si qua sint, quae vel ad ipsam Medeae fabulam declarandam vel ad communes antiquae artis notiones illustrandam faciant, accuratius dispicere in animo est. Nec timeo superciliosos quosdam et tetricos magistros, qui huiusmodi argumentum ab hoc scriptionum genere alienum esse cavillentur. Quidni deversari liceat aliquantisper et recreare animum assidua contentione et catenatis laboribus

*) Prodiit Vimariae a. 1803.

fessum in honestissimo hoc antiquae artis pabulo dicam an spectaculo? Feriae iam indictae sunt, quotquot Musarum in his terris sacra colunt, omnibus. Discurrant alii ad equisonum studia, alii ad histriones et funambulos, alii ad symphoniacos; flosculos alii decerpant, quos adblandientibus Favoniis vernans parturit terra et in sinum puellarum lepidissimarum congerant! Trahit sua quemque voluptas. Nobis oblectamento et in deliciis sunt praestantissima ingenii humani monumenta, caelaturae, gemmae affabre exsculptae, signa, statuae, numi. In eorum contemplatione pascamus reficiamusque animum, ad eorum intelligentiam iuniorum quoque ingenia gnaviter exacuamus perpoliamusque. Perpetuo enim coecutiunt in his elegantiis diiudican-
4 dis, et si iudicium suum de his interponere audent, fossores esse videntur et caprimulgi, nisi mature his contemplandis pensitandisque emolliverint ingenium. Tuno enim sunt oculatiores. *Διπλοῦν ὁρῶσιν οἱ μαθόντες γράμματα.*

Atque ut ab illo exordiar, quod posui in dissertatione priore, fuisse insignem aliquam Medeae caedem liberorum meditantis statuam in Graecia vetere, cuius ob os omnes ora obverterent sua, commodum sese nobis offert in praestantissimo gemmarum thesauro, qui a Stoschio collectus, a Winckelmanno illustratus, Berolini iam in regalibus tabulariis servatur, sarda (vulgo carniolam appellant) scite inscalpta, quae Medeam ad scelus ingens cum gladio provolantem eodem fere habitu et vultu referre videtur, quem in celebratissima Medeae statua admiratur multisque verborum lenociniis exornat Callistratus (c. XIII. p. 905.). Furiam in imagine sibi deprehendere vivi sunt, qui lucem afferre conarentur istis gemmarum picturis; refragante, qui vix unquam verba sibi dari passus est in his expendendis, acutissimo Lessingio *). Imo Medeam hic nobis ob

*) Figuram gemmae nitidissime in tabula aenea expressam (sed recentioris artificis fuco nimis interpolatam) exhibuit ex ectypis Stoschianis *Schlichtegrollius* in pulcherrimo opere, sed emtorum incordia paulum nunc refrigerato *Principales figures de la Mythologie d'après les pierres gravées du Baron de Stosch* P. IV. n. XLVI. Brevitatis studiosi hic recognoscere nolumus, quae in dissertatione *de personis Furiarum in tragoedia* (*die Furienmaske der alten Griechen.* Weimar 1801.) p. 67. s. de hac gemma copiosius exposita sunt. Nec poenituit nos coniecturae in libello menstruo (*neuer teutscher Merkur* 1801.) propositae de gladio Melpome-

oculos poni, nefandae caedi iam accinctam, talem denique, qualem in pulcherrima statua depraedicat Callistratus, qui scriptorem cum imagine gemmae diligentius contendere haud gravetur, dubitare non poterit. Conveniunt in multis, gladius in manu, capillus sparsus et neglectus, vultus torvus et caedem spirans immanem. Verum tamen quam in gemma cernimus figuram Medeae, ductam esse e statua Callistrati affirmare nolim. Hoc apparet, fuisse archetypon, in quod uterque artifex intueri potuerit. Sed statuarius, quod se in statua fingenda dignum esset, haud oblitus, deliberantem adhuc, imminentem sceleri, sed compositam tamen, necdum citato gradu sese proruentem effinxit. Plus licere sibi putavit gemmarum scalptor. Ruit ad caedem furibunda et irarum oestro percita Medea, ventis agitatur coma quassa, volat vestis, motu lymphatico concutiuntur omnia. Vehementissimis hisce motibus impense delectatos esse gemmarum scalptores clamant sexcenta Maenadum simulacra, in quibus variandis et novandis dici non potest, quantum luxuriaverint exultaverintque scalptorum veterum ingenia. Enimvero discrepent licet et discordent inter se statuae imago et gemmae ectypon, hoc tamen satis ad liquidum mihi perductum esse videtur, superesse nobis in gemma antiqua statuae, qua Medea liberorum interfectrix nobilitata fuit, haud obscura vestigia.

Singularem praeterea figuram Medeae τεκνοκτόνου nec in gemmis nec in aliis priscae artis monumentis observare nobis, vel maxime id agentibus, licuit. Si quis me felicior repererit, impertiat, quaeso, et commune ἕρμαιον esse existimet *). Sed bonum factum! Quod in aere antiquo et gemmis delevit obliteravitque temporum iniuria,

nes seu Musae tragicae signis addi solito, quem ex hac Medeae ensiferae imagine ad Musae tragicae significationem transiisse monuimus.

*) Sed magna cautio est, ne figuras ab argumento nostro plane alienas, obtorto collo ad id, quod nobis propositum est, abripiamus vel ab errantibus nobis obtrudi patiamur. Sic tota via erravit Raspius in commentario ad Tassii gemmas (*Tassie's Catalogue* n. 8644. p. 509.), nobilissimum illud Salutis apud Romanos augurium, feminae, quae serpenti pateram ministrat, imagine expressam, de qua ipsi olim uberius disputavimus (*Sprengels Beiträge zur Geschichte der Medizin* II., 163. seqq.) ad Medeam nostram referendam esse, hariolatus.

tectum sartumque mansit in marmoribus antiquis, in anaglyphis et operibus caelatis. Habemus in his totam fabulam Medeae infelicissimas nuptias infandis sceleribus ultae. Nec dubitare licet sarcophagis has caelaturas et aroulis cineratiis inserviisse. Constat enim, artifices, qui figuras et historias exculperent in sarcophagis marmoreis, fabularum, quae tristissimo eventu fortunae vicissitudines et rerum florentium conversiones monstrarent, argumenta studiosissime consectatos esse, harum indicatione quasi parentari mortuis, medicinam afferri ac solatia animis lugentium, haud inepte inducentes in animum *). Itaque nobilissima Euripidis fabula, ad quam illustrandam haec disputamus, nata factaque esse videbatur ad imbuendos animos ea doctrina, quam in omni casu mortalium infixam insculptamque esse voluerunt poetae tragici. Quid mirum igitur, eandem saepius occurrere in anaglyphorum, quae aetatem tulerunt, commemoratione? Tria nobis curiose haec investigantibus observare licuit exempla huius tragoediae mar-
6 moribus expressae, quae cum in plurimis apte congruant, in nonnullis discrepent, ita inter se conciliari poterunt, ut omnia ex uno aliquo praeclaro exemplari derivata, sed pro vario imitatorum ingenio deflexa et immutata esse statuamus **).

*) Erudite et acute post Winckelmannum aliosque bene multos hoc monuit *Visconti*us, antiquariorum, qui nostram aetatem illustrant, facile princeps, in Commentario ad anaglypha Musei Pio-Clementini. Sed omnium diligentiam in his argumentis percensendis et ad genera sua revocandis superavit nuper sagacissimus harum rerum indagator *Millin*us in praeclaro opere *Monumens antiques inédits* P. II. p. 111—117.

**) Antiquissimum esse puto marmor a *Winckelmanno* delineatum descriptumque *Monumenti inediti* n. 90. 91. e Lancelottorum aedibus Romae depromtum. Inde emanasse videtur alterum in aedibus Borgesiorum, misere truncatum mutilatumque, primum a *Bellorio* editum in *Admirandis* n. 55. deinde a *Montefalconio* T. I. pl. 40. recoctum, et ad raptum Proserpinae satis inepte detortum. Tertium a *Begero* e picturis Pighianis, quae adhuc servantur in bibliotheca regia Berolinensi, in *Spicilegio antiquitatum* p. 123—30. evulgatum, ab aliis quoque, qui luculentis auctorum veterum editionibus adscititia figurarum aere expressarum ornamenta quaererent, v. c. ab Henninio ad editionem Iuvenalis ab eo editi, repetitum. Satis expressa artificis, antiquius aliquod exemplar suo more amplificantis, vestigia in hoc postremo deprehendere mihi visus sum. Sed cum in schedis Pighianis fragmenta tantum praeclari operis servata sint, quae vetusta sint, quae recentiora, satis tuto iam exputare non possumus. Caeterum ut longiores verborum ambages lucrifaciamus, signare in-

Quae quidem monumenta in marmoribus caelata si quis diligentius consideraverit, facile intelliget, non id tantum egisse artifices, ut singulis figuris forma sua et congruentia cum reliquis apte venusteque composita constent, sed in primis elaborasse etiam in eo, ut concinnum aliquem totius fabulae orbem, singulis fabulae partibus probe inter se connexis copulatisque, inde efficerent. Atque in his apte disponendis concinnandisque vel inprimis cerni limatum tersumque excellentioris artificis iudicium, quis est, qui neget? Agitantur cum maxime ferventque lites de orbibus et anfractibus (*Cyclos* vulgo appellant) artificum, quibus universam aliquam fabulam vel seriem rerum gestarum pluribus figuris mutuo sese excipientibus comprehensam explicare debeant generosioris spiritus et ultra vulgum sapientis ingenii artifices *). Non iniucundum igitur nec

bet notarum compendiis tria marmora, ut Winckelmannianum prima elementorum litera signetur, et sic deinceps reliqua.

*) Signum ad haec penitius exploranda sustulit spectator harum formarum elegantissimus, qui in Sylloge *Propylaeorum* nomine evulgari coepta (Part. I. p. 21. seqq.) paucis praeclara hac de re praecepta sparsit. Omnia huc redeunt, nil pingendum fingendumque esse, nisi quod suopte ingenio pelluceat quasi et pateat omnibus. Quod cum singularibus figuris raro admodum perficiatur, praestare argumenta historica, per seriem aliquam in ordinem et gyrum ita redigenda, ut unum alterius ope elucescat magis et aperiatur. Multum haud dubie ad haec perspicienda invabitur, qui praestantiora priscae artis anaglypha diligenter excusserit, in quibus fabulae plurium actuum divino fere ingenio pertractantur. Transiit haec res nuper admodum ad artem dramaticam, in qua infortunia et calamitates totius alicuius familiae per plures fabulas deduci posse et expediri, τριλογίᾳ una omnium nobilissima (Orestia scilicet, v. Schol. ad Aristoph. Ran. 1155.) monstraverat iam Aeschylus Graecae tragoediae conditor et parens, mox sequuti sunt alii (v. *Hermann.* ad *Aristot. Poetic.* p. 175). Tentavit idem, sed ambiguo successu, *Schillerus* in Wallensteniade sua, quam cum integro volumine illustraret cl. *Suvern*, hac quoque de re nonnulla haud protrita in medium attulit. Alia via rem nuperrime aggressus est poeta alter eximius, de quo, causa nondum perorata, iudicare nefas. Nimirum perpetuitas ista argumenti tribus fabulis, mutuo inter se connexis, continuati, haud dubie maximam vim habitura esset in spectatorum animos, si εἰς μίαν ἐκρόασιν, ut cum Aristotele loquamur, res tota perageretur. Tum vero non tres fabulas haberemus, sed unam tantum per quindecim actuum ambages circumductam, quod cogitare ridiculum (nec Atheniensibus olim in mentem venit, quod pulchre meo quidem iudicio monstravit *Twiningius Notes on Aristotle* p. 475. seqq.). Restat igitur alterum, ut argumentum eiusmodi per duas treave fabulas expeditum non, nisi temporis aliquo intervallo interposito, prorsus finiri queat. Iure igitur a poeta, qui tripartitam eiusmodi docet fabulam, hoc postulare possumus, ut unaquaeque fabula iustam totius contineat mensuram, nec rationes suas ab altera suspensas habeat. Intercidit Prometheus Aeschyli Ignifer et Liberatus, uno, qui inter utrumque medius

7 inutile fore existimamus, si leculento exémplo, ex antiquitatis nostrae penu depromto, doceamus, quam viam in his ordinandis effingendisque inierint artifices antiquiores. Aut egregie fallimur, aut quinque actibus *) commode describi poterit saevissima Medeae vindicta, secundum Euripideam fabulam in marmoribus nostris expressa **). Age, singulos curiosius iam investigabimus!

8 I. *Nuptiae Iasonis et Creusae.* Ab hoc exordio incipit artifex suam narrare fabulam. Hoc fonte omnis derivata clades. Hae igitur in fronte operis ponuntur, hae primo statim obtutui obiiciuntur. In monumento Lancellottorum apud Winckelmannum, quod litera A signare placuit, nuptiarum ritus quatuor peraguntur personis. Creusa solemni sponsarum more velata (*νύμφη*, v. *Villoison* in Prolegg. ad Hom. p. XI.) in manum convenit Iasoni, quem bellatorem esse et rebus gestis clarum chlamys significat et gladius in sinistra (parazonium appellant). Media inter utrumque adstat matrona *pronuba* (Iunonem interpretatur 9 Winckelmannus) ***). Latus Iasonis claudit satelles eius et

---

intercessit, superstite. Verum enimvero diligenter sibi cavit poeta nobilissimus, ne quid inesset fabulae, quod sine ope et adminiculo vel antecedentis vel sequentis ab auditoribus satis liquido perspici non posset. Absolutissima per se est fabula Promethei Vincti. Vel hinc apparet, illum quoque per extentum, ut cum Horatio loquamur, ambulare funem, qui argumentum perpetuum et per plures fabulas fusum rite explicare ausit. Accedit, quod veteres tragici ad fatorum vim declarandam argumentis per plures fabulas tractis apte usi sint (adi sis *Herderum*, Virum Summum, acutissime hac de re disserentem in *Adrastea* P. IV. p. 294. s.) in quo imitando a nonnullis turpiter titubatum esse hodie, non est quod multis demonstremus.

*) Hoc non ideo factum est, quod Euripidis fabula quinque actibus constaret. Iam dudum enim explosa est sententia eorum, qui tragoediam Graecorum veterem, *cum chorus nondum obticuisset*, in actus, quorum nec vola nec vestigium ibi apparet, describere non dubitarent. Monstrabo alias descriptionem fabulae in actus e nova Graecorum comoedia ad Romanos transiisse, antiquioribus Graecis nondum cognitam. Attigit post alios *Twiningius* ad Poeticen Aristotelis p. 297.

**) Mirum sane in proponendis praemiis, quibus studia pictorum de palma quotannis inter se certantium excitantur, neminem incidisse in tragoediam aliquam Graecam, quae adhuc legitur, eo consilio, ut statuarii et pictores inde argumentum petant operis per plures actus deducendi. Laetissima sane diviti ingenio hic efflorescerent seges, quae argumenti exilitate, ut nunc sunt tempora, saepe in herba intercipitur. Longe aliam in Aeschyleis fabulis pictura lineari adumbrandis viam institit *Flaxmannus* artificum, quos Britannia inaurat, facile princeps.

***) Scilicet disertis id declarari potest veterum Grammaticorum locis, matronae *unisvirae*, qui venerandum *pronubae* nomen inditum, primas

ὑπασπιστής (v. *Perizon.* ad Aelian. V. H. XI, 9.). Acute artifex famulum capite finxit declinato et a nuptiis averso. Abominabatur enim totum Iasonis famulitium nuptiarum male conciliatarum impietatem, dominique periuria, quod

---

fuisse partes in nuptiarum solemnibus. Loca vel e Gesneri Thesauro peti possunt. Sed merito quaeri potest, an in ipso ritu, quo fide data et accepta in manum conveniret puella sponso, matrona pronuba inter utrumque adstans carmine aliquo vel formula conceptis verbis pronuntianda foedus coniugale pepigerit. Nam qui ab auspice vel alio sacrificulo hoc administratum esse affirmant, egregie fallantur. Fuerunt auspicis quoque et flaminis non postremae partes in nuptiis, in monumentis veteribus pulchre adumbratae, sed ab hac quaestione plane alienae. Qui de nuptiarum ritibus spissa volumina compilavere, Brissonii, Hotomanni, aliique bene multi, quos in Thesauris Gronoviano, Graevianoque volvunt antiquitatum studiosi, locis promiscue congestis parum iuvant. Curiosius haec investigaverunt qui de *benedictione*, quam vocant, *sacerdotali* in rebus Christianorum disquisiverunt, Reinhardi, Pfanneri, aliique, quos diligenter laudavit *Fabric.* in *Bibliogr. Antiqu.* p. 895. seq. Sed hi quoque, quantum ex accurata illorum inspectione intelligere potuimus, nihil extricarunt. Ego vero persuasissimum habeo, nullum fuisse pronubae aut sacerdotis ministerium in ipso ritu, quo dextra porrecta puellam sibi iungebat sponsus. Nam quod marmora antiqua, ut hoc quoque loco, pronubam inter utrumque adstantem ostendunt, insulsum foret, inde colligere velle, rem revera ita esse administratam (quo in errore versatus est etiam auctor dissertationis ad marmor Romanum nuptiale scriptae in libro bonae frugis pleno: *Explication de divers monumens qui ont rapport à la religion des peuples anciens* (Paris 1739. 4.) p. 344. Ex ingenio suo eiusmodi figuras addiderunt artifices, ut hac nota nuptiale sacrum ab aliis secernerent et segregarent. Sed dici non potest, quot errores propullulaverint ex hoc perverso antiquariorum studio ea, quae artificum ingenio debentur (*symbolica* appellare liceat), pro veris et genuinis rerum in actu positarum imaginibus habendi. Sic pronuba quoque in tot Romanorum monumentis nuptialibus obvia ad Iunonis *Pronubae* praesentiam significandam adiecta fuit a sculptoribus. Atqui haec Iunonis praesentia, absque qua legitimum matrimonium iniri non potuit, ex ultima antiquitate repetenda est. Nam vetustissimus ille γάμος ἱερός Iovis cum Iunone in omnibus deinceps nuptiis ceu τέλος ac mysterium celebrabatur eiusque repraesentatione mystica ritus ille miris paulatim superstitionibus infuscatus perficiebatur. A Cretensibus una cum Iovis et Olympiorum deorum cultu haec nuptiarum *arcana sacra* (verba Taciti sunt *de mor. Germ.* c. 18. parum hactenus intellecta) in universam Graeciam penetrarunt. Locus classicus est apud Diodorum V, 72. cum not. *Wessel.* Ab Etruscis eaedem ceremoniae ad Romanos pervenere. A Graecis haec arcana τέλη appellata esse, vel e doctissima Ruhnkenii ad Tim. s. v. προτέλεια animadversione in vulgus notum. Sed postulat tota res, cui *sacramenti* notio apud Pontificios innititur, peculiarem dissertationem, quam in doctissimo nationis Francogallicae sodalitio (*Institut national*) nuper a *Larcherio*, sene candidissimo, habitam cupide exspectamus. Iunonem igitur τελείαν significat matronae imago, quotiescunque sponso sponsaeque mediam adstantem conspicimus. Et adiecere subinde artifices notam, qua Iunonem ipsam a matrona mortali distinguerent. Diadema enim, Iunonis reginae insigne in nobilissimis statuis (v. *Viscontium* ad Museum Pio-Clement. T. I. p. 3.), in fronte imaginum istarum plerumque eminere videmus. Ubi deest, aut socordia chalcographorum obliteratum, aut temporum lapsu in ipsis statuis detruncatum admutilatumque est.

constat ex Euripide (σοῖς ἐκάμνομεν κακοῖς v. 1138). Aversō igitur satellitis vultu callide effecit artifex, ut illo conspecto infaustos nuptiarum exitus animo iam praecīperemus. — In pictura, quam schedae Pighianae exhibent (lit. C.), sacrificium nuptiale additum reperimus. Igni, quem e foculo adstante promicantem cernimus, vinum e patera invergit sponsus. Ministrat arae Camillus poma et flores in calathisco offerens. Abhorrent haec puerorum patrimorum matrimorumque ministeria a ritibus Graecorum *), sed praeter *collocationem* sponsae in toro nuptiali maxime frequentata fuerunt Romanis **), in quorum monumentis vix ullum sine Camillis reperitur sacrificium ***). Caeterum omnes nuptiarum ritus, quos oculis nostris subiiciunt haec marmora, Romanorum ceremonias

*) Nolim praefracte negare, pueros ἀμφιθαλεῖς (v. ad Hesych. s. v.) in nuptiis quoque ministeria obiisse. Sed fuerunt πάροχοι, in curru assidentes sponsae, ut patet e luculento Aristophanis loco in Avibus 1736. quem si cum altero in *Pace* eiusdem comici compares et cum Platone de Legg. VI. p. 619. A. plus inde sapies, quam ex rudi indigestaque farragine in Potteri Archaeologia aliisque id genus rivulis turbidioribus tibi oblata.

**) Facilius hoc assequetur, qui migrationem rituum antiquissimorum diligentius exploraverit. Ab ὀργιασμοῖς μεγάλων θεῶν, i. e. Cabirorum in insula Samothrace, Camillorum ministeria ad Etruscos, ab Etruscis ad Romanos propagata fuisse, diserte docetur in loco nobilissimo apud Dionysium Halicarn. II, 22. p. 280. Reisk., qui non latuit *Heynium* in Excurss. ad Virg. et in disputatione de religionum Graecarum ab Etrusca arte frequentatarum causis in *Novis Commentariis* Societ. Gotting. T. IV. p. 51. Scilicet quem Cadmum Thebanum ferunt Graeciae origines, Mercurius est Phoenicum mercatura primo in Samothraciam cum Solis et Vestae cultu (diis magnis) illatus, ibique Cadmus, Cadmilus, Casmilus appellatus (adi sis vel Plutarchum in Numa c. 7.), unde parva vocabuli inflexione foecundissima apud Etruscos et Romanos Camillorum gens orta est. Atqui Casmilus ille Samothracius semper pueruli instar, qui diis magnis praesto esset (Telesphorum posterior aetas appellavit), in antiquissimis ritibus manifestatus fuit. Hinc pueri seligebantur statura exigua, qui sacris ministrarent, Camilli ob similitudinem et ipsi appellati. Mira narro, sed quae omnibus, qui nasum habent, facile probaverim. Pueri, qui in Protestantium quoque templis, quando coena sacra peragitur, ad altaria ministrant, cum haud dubie a Camillis istis in sacrificiis Romanorum cum sexcentis aliis superstitionibus in Christianorum sacra irrepserint, recta via a Samothracils Phoenicum mysteriis profecti sunt. Longum hercle stemma, sed quo vix illum aliud veracius!

***) Non est igitur, quod reprehendamus Raphaelem Urbinatem, picterum deum, qui in nobilissima sacrificii Lystrensis pictura (monogramma illius habes in *Falkii* nostri libello acutissime scripto *kleine Abhandlungen die Poesie und Kunst betreffend.* p. 306.) Camillum apposuit ipse in sacrificio Graeco. Sed paruit tum Aula Romanis. Romana ritu haec quoque delineanda fuerunt.

redolent, et argumento sunt, a sequioris aevi artificibus seculo secundo aerae Christianae haec caelata et ad Graeci archetypi normam ita composita esse, ut Romanis rebus interpolarentur *). Nam placere voluerunt emtoribus artifices, opera sua vendibiliora fore rati, si ingenio aequa- 11
lium suorum in levioribus eiusmodi additamentis obsecundarent et morigerarentur. — Verum enimvero miras nobis turbas ciet in scheda Pighiana a Begero evulgata praeter sponsam Creusam et Iunonem pronubam tertia femina, cum gladio irruens, vultu averso et ad liberos, qui prensare videntur pallam matris, retorto. Fatetur ipse Begerus (p. 123.) figurarum cohaerentiam, in Pighii manuscripto codice coniunctam, eo consilio a se distractam esse et separatam, ut modulus operi constaret. Consulenda igitur est pictura in codice Berolinensi, quo inspecto tota

*) Magna sollertia et sagacitate opus esse in hac quoque parte antiquiorum anaglyphorum, quae ad nuptias spectant, ad tempora sua revocanda usu doctus didici. Nam primum si quaeras, quaenam ex iis Graecam venustatem, nulla posterioris aetatis labe contaminatam, referant, vix tria vel quatuor exstare putaverim, quo pertinent haud dubie nuptiae Pelei in anaglypho villae Albanae apud Montefalconium et *Winckelmannum* no. 111. pulcherrimum opus, et summi artificis nota signatum. Atque in his illud observari posse puto, quod Iovis et Iunonis *συνθρόνων* exemplo assident sponsus et sponsa in pulvinari magnifice strato. Et sedentes sponsos semper exhibent picturae Herculanenses. In hunc censum referendum est etiam eximiae pulchritudinis marmor e Bartoli Admirandis a Montefalconio exhibitum T. III. tab. 130. n. 2. dummodo illud teneas, sponsum esse et sponsam in extremo marmore utrobique collocatam, figuram in medio marmore sedentem esse Musarum unam. Hinc lux affulget laudatissimae picturae, quas Aldobrandinas nuptias appellare solent. Graeci artificis ingenium, sed rem mirifice variantis in illis quoque deprehendas. *Sedent* ibi quoque sponsus et sponsa, sed diversis sedilibus, diversis cupiditatibus affecti. E contrario illud quoque nobis arrogare possumus, ut ubicunque stantes et dextram porrigentes vel porrecturi occurrunt figurae primariae, Romani vel Itali artificis opus esse censeamus. Eminet in his et seu copiam spectes seu ornatum, praecellit reliquis marmor sarcophagi in aede Romana Sancti Laurentii servatum, a *Piccronio* iam *Vestigi di Roma* p. 115. illustratum, a Scoto antiquario, *Lumisdenio Remarks on the Antiquities of Rome* (Lond. 1797. 4.) duabus tabellis aeneis delineatum p. 430. seq. Nec spernendum, quod *Guattanius* publicavit *Monumenti inediti per l'anno* 1785. *Agosto*, tab. II. p. LXI. Quae post Bartoli Admiranda Montefalconius recoxit P. III. tab. 130—133. in angustum gemmae inscalptae modulum saepe redacta esse videas; vide, si tanti est, *Gorii Museum Florentinum* T. I. tab. C. n. 6—9. Fucum tamen emtoribus cupidioribus eiusmodi gemmis, recenti manu adulteratis, saepe factum esse et adhuc fieri, vel Raspii exemplo apparet, qui notissimam imaginem nuptiarum (in Montefalconio T. III. tab. 33. 2.) pro egregio invento scalptoris antiqui nobis venditavit, *Tassie's Catalogue* pl. XLII. n. 7231.

fraus facile patebit *). Necdum enim mihi persuaderi patiar, Medeae figuram (nam Medeam esse, indicat gla-
12 dius) nuptiali huic sacrificio impune obtrudi potuisse ab artifice, digno sane, si tale facimus admisisset, qui furcillis eiiceretur ex officina sua. Sed merito indignamur, tantam in Begero fuisse oscitantiam, ut quod inspecto codice statim deprehendere potuisset et communicare cum lectoribus, vanis hariolationibus mallet expendere et divinare.

Caeterum illud ipsum quaeri adhuc et in controversiam vocari potest, num artifex Euripidis fabulam in marmore caelaturus bene rem gesserit, quod nuptiarum ritum oculis nostris statim ab initio subiiciendum esse existimaret? Euripides nuptias nondum plane confectas, sed sacra tamen coniugialia (*τὰ προτέλεια*) in aedibus Creontis patris iam peracta esse ponit **). Nuptiae ipsae (*ὁ γάμος*), id est convivium, hymenaeus, collocatio sponsae in lectam genialem, in aedibus Iasonis erant obeundae. Itaque hic quoque valet illud Terentianum in fine Andriae: *Iuste, transacta omnia. Intus fiunt nuptiae.* Sed quod Graecus Tragicus ineunte fabula in aedibus soceri iam celebratum esse statuit sacrificium, artifici expromendum et in soc-

*) Optandum sane, quod aliquoties iam enixis precibus contendi a viris doctis Berolinatibus, ut schedae istae Pighianae, quas memini me cum maxima voluptate inspicere, cum Berolinensium thesauros peregrinus duos perlustrarem, in lucem protraherentur. Multa enim in illis delitescunt artis antiquae fragmenta, quae postea delevit dies, ut obsoletos angulos demersit casus aut emtor Britannus. Utinam hanc provinciam imponi sibi pateretur amicissimus *Uhdenius*, in patriam ab oris Italis redux. Valet ingenio, pollet doctrina, admovet iudicium diuturno usu et contemplatione pulcherrimarum rerum plane subactum. Nec cessare profecto debuissent *Levezowius* et *Langius*, viri harum elegantiarum apprime studiosi et pereruditi.

**) Scilicet sacrificium solemne (*προτέλεια*, *γάμους θύειν* appellarunt Graeci, v. *Cuper.* Obs. III. 13.) iam oblatum esse debuit in aedibus Creontis, priusquam fabula Euripidis incipit. Hinc maritus et uxor iam appellantur novi coniuges, *ὁ ἀοτίως πόσις* 1178. *θάπτε ἄλοχον* 1394 cf. 995. Sed iam arcessenda fuisset recens nupta in domum sponsi, curru vehenda scilicet et solemni pompa deducenda. Hoc vero fieri non potuit obstante Medea, priore uxore, cui nova nupta superinduci non poterat. Hinc abigenda illa et cum liberis ex Iasone susceptis eiicienda. Itaque ultro Medeam adit Creon, minis illam expulsurus, et aegre se exorare patitur, ut unam illi addat dieculam. Praeter morem ergo evenit, ut talamus recens nuptae in aedibus soceri instruatur. Longe aliter res administratur in Senecae Medea, ubi chorum Epithalamium canentem praecipitis induxit poeta insulsus v. 56. seqq.

nam constituendum fuisse, satis apparet. Scilicet diversam rationem sequi debuit poeta, in mediam rem, non secus ac ad notam, abripiens spectatores secundum tritissimum Horatii praeceptum (A. P. 148.), et artifex singulatim omnia, ut ab initio gesta sunt, ordine expositurus. A nuptiis igitur exordium illi rite petendum, hoc spectatoribus quoque statim in fronte operis sui monstrandum fuit. Aliter enim qui scire potuissemus, puellam, cui in secundo quasi actu funestissima afferuntur munera, sponsam esse, sponsae hanc imminere pestem?

At videte, quaeso, alius artificis in eodem argumento desudantis miram sollertiam! Omisit hic aliquanto ingeniosior reliquis molestum illud et importunum nuptiarum male conciliatarum choragium. Aliud callide architectatus est, 13
quo, puella conspecta, confestim intelligeremus, sponsam nobis offerri, nuptialia huic parari munera. Nam cum sculptori in anaglypho Borghesiano (quod secundo loco nominatum litera B. notare placuit) in breviorem gyrum redigenda esset tota fabula pro modulo sarcophagi scilicet, cui haec pararentur, puellam statim ostendit solio insidentem et mundo muliebri a pueris oblato oculos furtim adiicientem. Pomum manu dextra tenet virgo. Quo malo conspecto quilibet, qui non plane hebeti est et obtuso ingenio, coniectura assequitur, sponsam obversari oculis nostris. Quis enim nescit nequiorem mali punici in veterum nuptiis significationem *), et quam lepide hoc mali

*) Iuno Polycleti in Heraeo prope Mycenas dextra malum punicum tenet, sinistra sceptro innititur. Pausanias hoc narrans religione se praepediri affirmat, quo minus causam afferat mali punici in manibus Iunonis, ἀποῤῥητότερος γὰρ ὁ λόγος II, 17. p. 239. Atqui porrexerat olim eiusmodi malum Iupiter iuvenculus adhuc Iunoni amatae, qua specie expresserat Iovem malum punicum porrigentem artifex in templo Iovis Casii apud Achillem Tatium II, 6. p. 250. qui λόγον μυστικόν subesse declarat. Hinc Milo Iunonis apud Crotoniatas sacerdos malum punicum, Iunoni sacrum, manu tenet apud Philostratum in V. A. T. IV, 28. p. 168. Apparet igitur, percrebuisse sermonem mysticum, mali punici illecebris captam Iunonem morigeram se praebuisse Iovi. Huius sensum abstrusiorem palam facere cum non possent, vel nefas ducerent poetae, qui ἱερὸν γάμον Iovis cum Iunone carminibus celebrarent, multa de malis aureis, quae Tellus Iunoni nubenti submiserit donaveritque, commenti sunt, quod ex Asclepiadis Aegyptiacis refert Athenaeus III, 28. p. 356. *Schweigh.* e Pherecyde Eratosthenes Catast. c. 3. et Scholia Apollonii IV, 1396. Plura si desideras, dabit *Heynius* ad Apollod. p. 410. seq. Enimvero hanc fabulam adventitiam esse et serius excogitatam, non est quod multis de-

amatorii usu rei turpiculae et quam pudor appellare prohibet, involucrum quaesiverint veteres?

---

monstremus. Ratum fixumque manet illud, arcanam aliquam significationem haesisse in malo punico. Quid multa? symbolum fuit foecunditatis, quia tot granis seu acinis exuberat malum illud, ut specimen innumerae multitudinis semper habitum sit apud Orientales (quod patet e decantatissimo regis Persarum apophthegmate, sibi tot Megabazos vel Zopyros in votis esse, quod cocci insint malo punico, v. *Valcken.* ad Herod. p. 278.). Vetustissimum igitur copiosissimae prolis et foecunditatis symbolum apud Orientales populos fuisse videtur malum punicum. Quin coitum ipsum illo fructu designatum fuisse, manifesto declaratur arcanis fabulis, quas nunquam didicissemus, nisi patres et apologetae religionis Christianae profanis quoque aditum ad haec opertanea sacra et adyta patefecissent. In Thesmophoriis, Clemente Alexandrino auctore in Protrept. p. 12. C. abstinebant mulieres, quae in casto essent, ab esu acinorum in malis punicis, quod putarent e guttis Bacchi occisi progerminasse granata. Nec composuisse cum hac narratione pigebit orationem quintam Iuliani et Arnobium V. p. 172. mythum antiquissimum orientalem de Athine seu Atti castrato (Agditis ibi audit) referentem, cui cum Liber in somno amputasset virilia, e fluore isto in terram natum est malum Punicum. Iam intelliges, prono alveo facile hinc derivari posse reliqua. Cistae mysticae et vanno in orgiis Bacchi circumferri solitae *ῥοιάν* quoque seu malum punicum inditum fuisse constat ex eodem Clemente Alexandrino p. 14. B. Atqui omnia illa crepundia cistarum mysticarum, *quae frustra cupiunt audire profani*, Phallica fuisse, quem hodie fugit? Evolvas certe, si dubites, picturas Herculanenses T. IV. tab. 14. Hinc antrum Bacchicum in arca Cypseli adumbratum punicis quoque pubescit malis apud Pausan. V, 19. p. 84. Nec mirandum sane, mala in universum consecrata fuisse Bacchi, v. Schol. et Intt. ad Theocrit. II, 120. Nam quod de uno tantum, eoque praecipuo malorum genere, de granato mysteria traderent, de omnibus, ut fit, mox praedicari coeptum. Praestabit tamen in locis, in quibus de malis Baccho sacris simpliciter sermo est, nulla specialiore nota addita, semper interpretari Punica. Et habuit hoc malum punicum, ut propter excellentiam simpliciter diceretur *malum*, quod vel ex numis Meli insulae cernere est, qui ad nominis etymon indicandum mali punici signo percussi reperiuntur, v. *Eckhel Doctrin. Num. Vett.* II. 331. Et qui *μηλοφόροι* appellantur in aulae Persicae satellitio (v. *Brisson. de Regn. Pers.* lib. I. p. 128.), granata sceptris infixa gestavere. Atque hanc rationem in explicanda pomorum cultura, a Baccho propagata, potiorem esse arbitror illa, quam dedit *Sicklerus* in libro lectionis copia et acumine commendabili *Geschichte der Obstcultur* p. 39. seqq. Porro autem, cum Eleusinia initia ab Orpheo (sic appellare licebit mystagogos antiquissimos) opposita fuerint orgiis Bacchicis (ut uno verbo dicam, cultui Lingamico aut phallico), facilis foret coniectura, malum punicum gustare nefas fuisse in Eleusiniis, si vel omnibus scriptorum veterum auctoritatibus destitueremur. Sed adsunt sexcentae. Hinc primum recluditur fabula de gustatis a Proserpina apud inferos granis mali punici (loca post Meursium in Eleusiniis c. 25. dedit *Heyn.* Apollod. p. 65.), quo mytho quid castius excogitari possit, quid verecundius, nondum reperi. Concubitum significari, quo anima, Proserpinae nomine denotata, tenebris corporis immergitur, nemo, quamvis abhorreat alioquin a vanis *τῶν ἀλληγοριζόντων* somniis, facile negaverit. Huc accedunt etiam diserta Porphyrii et Clementis testimonia, initiatis cavendum fuisse ab omni malorum punicorum contagio. Loca laudavit *Spanhemius* ad Callim. H. in Cer. 11. et *St. Croix* de mysteriis veterum. Nec praetermittendus locus Pausaniae de punicis fano

τῆς Δεσποίνης nunquam illatis VIII, 37. p. 467. In omnibus his quo tendat mali punici verecunda imago, vel lippus viderit. Nec Apollinis tripus iam salutandus nobis erit, ut quid sibi velit dicterium illud in vetere poeta Comico apud Athenaeum III, 27. p. 330. *Schweigh.*, unam tantum arborem, malum Punicam, consitam esse in Cypro insula a Venere, nobis aperiat (arridet in illo loco, ut hoc obiter moneam, Dalecampii coniectura, βραβεῖα πολυτίμητα refingentis, quamvis explosa sit a Casaubono et nuperrimo editore. Suavissimam enim amoris mercedem pomis illis amatoriis persolutam esse quis nescit?). Nimirum eadem illi inest nequitia, quam vetus aereorum sigillorum artifex innuere voluit protome Bacchica in *Bronzi d'Ercolano* T. I. *tab.* 6. ingens malum punicum cum risu salacissimo ostentanti. Ingeniosa est allegoria, Venerem sine Baccho frigere lepide declarans. Nec dubitandum est, latissime patuisse et per omnem antiquitatem fusam esse Veneream hanc mali porrecti, coniecti, adesi denique significationem. Nam cum iam dudum exolevisset arcana illa notatio mali, quo pellecta fuerat Iuno, ut clam cum Iove consuesceret (vide doctam notam Heynii ad Iliad. ζ, 296. T. VI. p. 588.), pervulgatissimus tamen apud Graecos mos mansit, pomis missitandis, iaculandisque ludendi ludum amatorium, manetque hodie in Sicilia regionibusque Europae meridionalibus, ubi malum adhuc appellatur *il pomo di ditto*. Non latuit tamen lepidissimos nugatores arcana mali a puella accepti significatio, quod patebit consulenti epigramma in Anthologia Latina VI, 75. ubi frustra aestuat Burmannus Secundus T. II. p. 545. nec reprehendere debuisset idem ad Propertium p. 38. Isaaci Vossii sagacitatem in suavissima comparatione Catulliana (LXV, 19. seqq.), locum in ambiguitate quadam quaesitum esse, subodorantis. Sed in monumentis quoque vetustae artis allegoricum mali amatorii sensum saepe fugisse aciem archaeologorum, multis, si hoc ageremus, exemplis docere in promptu foret. Sic apertam satis allegoriam feminae conspectum pomorum in terram prolapsorum fugientis detrectantisque in pulcherrimo opere figulino parum cepit Winckelmannus *Monumenti inediti* n. 26. Sed sufficiant haec primis tantum, quod aiunt, labris degustata. Hoc fonte indicato filum iam repertum esse, quo ex perplexis tortuosisque complurium fabularum ambagibus facillime nos expedire queamus, res ipsa clamat. Nam quis dubitabit de malo, quo Atalantae *zonam solvit diu ligatam*, quis de pestifero pomo Eridis, quod concupivere tres deae in Ida monte, quis in Hesperidum hortis draconem tantum Paradiso obsepiendum esse autumabit? Nam ulterius progredi fas est. In paradiso quoque narrationis Mosaicae haec habitat fabula, in orientalium populorum incunabilis mature procreata, unde cognatio eius intelligitur cum Libero patre, ex oriente in Graeciam invecta. Non invideo, qui frugibus repertis glandibus vesci velint. Sed miror profecto, hanc partem allegoriae illius pulcherrimae (cui cum maxime acumen suum admovit *Tellerus*, annis meritisque venerabilis) tam diu neglectam iacuisse, quod ad Beverlandi aliorumque verissimas coniecturas duobus abhinc seculis prolatas plerique toto corpore cohorrescerent.

XXIV.

DE MEDEA EURIPIDEA CUM PRISCAE ARTIS OPERIBUS COMPARATA PROLUSIONIS TERTIAE PRIMAE LINEAE DESIGNATAE *).

IMAGINES PRISCAE ARTIS MEDEAM *TEKNOKTONON* EXHIBENTES QUAE ADHUC EXSTANT.

A. Statuam, quam nobilitarunt Callistratus Stat. XIII. [ubi iam vide Iacobsium p. 722.] et Epigrammata in Analectis Graecis, servarunt nobis ectypa gemmarum. Quae vulgo Furia perhibetur, est Medea; v. Schlichtegrollii Auswahl n. 46. ad Vasengemälde T. II. p. 168. Furienmaske p. 68. In Raspii Collectione 8634 seqq. nullum Medeae liberos trucidantis vestigium exstat. Sed Hygieam salutis augurium facientem perperam ibi referunt ad Medeam n. 8644.

B. Quatuor marmora caelata:

1. ex picturis Pighianis, quae servantur in Bibliotheca Berolinensi, marmoris caelati fragmentum dedit *Begerus* in Spicileg. Antiquit. p. 123—30. forsan illud, quod commemoravit Winckelmannus *monum. inediti* p. 121.
2. marmor in aedibus Lancellotti, a Winckelmanno delineatum *Monument. Inediti* no. 90. 91.
3. marmor in Villa Borghesiana a Bellorio primum in Admirandis Romae n. 55. editum, deinde a Montefalconio T. I. pl. 40. recoctum. Hoc prae

*) Duabus ejus de Medea Euripidea prolusionibus tertiam addere voluerat Böttigerus; at citius quam exspectaverat Vimaria, relicta, quum Dresdae domicilium suum condidisset, totum hoc consilium seposuit. Primas tamen tertiae prolusionis lineas, quum priores duas consolidabat, duxit, quas lectoribus invidere nolui. Id unum quaeso meminerint, quod paene haec Böttigerum ipso huius seculi initio. Alia videsis in Amalthea Vol. I. p. 169. seqq. Ed.

reliquis mutilum et truncatum (deest quarta totius fabulae pars, nuptiae) illustrari debet e duobus monumentis antecedentibus. Ab amicissimo Meyero accepi, lapidem hoc argumento caelatum impositum esse ostio culinae in atrio Borghesiano, fuligine et sordibus culinariis obsecatum. Hinc non exstat in *Viscontii* descriptione *villae Pincianae*, in qua nitidiora tantum opera in oecis splendidioribus exposita perlustrantur. Antiquius haud dubie est opus no. 2. a Winckelmanno descriptum, unde emanavit alterum, in aedibus Borghesiorum misere foedatum. Tertium, a Begero editum, haud obscura artificis, antiquiorem formam amplificantis, impressa habet vestigia.

4. Medea utrique filio mortem intendens. Hoc symplegma marmoreum ab artifice serioris aetatis factum exstat Arelate, delineatum in *Millin voyage* T. III. pl. 68, 2. coll. p. 501.

Si quis diligentius haec monumenta contempletur, orbem fabulae facillime deprehendet ob oculos sibi positum. Tota historia in quinque actus divisa et descripta apparet.

I.

NUPTIAE IASONIS.

In monumento Winckelmanniano quatuor hae peraguntur personis. Creusa (νύμφη, v. Villoison. Proleg. ad Homer. p. XI.) velata in manum convenit Iasoni, adstante inter utrumque matrona pronuba (Iunonem appellat Begerus, quam aliena illa fuerit ab his nuptiis, parum memor). Latus Iasonis claudit eius δορυφόρος vel ἀσπιδοφόρος (Schildknappe). Acute artifex ingeniosus capite illum finxit declinato et a nuptiis averso. Omnes enim famuli Iasonis aversabantur nuptiarum impietatem et domini periuria, ut constat ex Euripide (σοῖς ἐκάμνομεν κακοῖς δμῶες v. 1138). Hac satellitis figura addita effecit artifex, ut infaustos nuptiarum eventus animo iam praeciperemus.

Caeterum totus ritus nuptiarum, qui hic oculis nostris exhibetur, Romanorum ceremonias redolet, et argumento est, a sequioris aevi artificibus haec caelata esse. Adi, si tanti est, gemmas insculptas in *Museo Florentino* T. I. tab. C. n. 6.—9.; adde anaglypha nuptias puae ne ferentia in amplissima Montefalconii collectione T. III. P. II. pl. CXXX—XXXIII. Eodem referendum est anaglyphum in Monumentis Guattanii *per l'anno* 1785. *Agosto* Tab. II. p. LXI. Nam ibi quoque Romani matrimonii ritus adumbratur. Adde sarcophagum a Lamisdenio aereis figuris expressum.

In pictura Pighiana peracta iam est conventio in manus. Sequitur libatio in ignem ex arula adstante promicantem. Arae ministrat Camillus, poma et flores in calathisco offerens. Abhorrent haec puerorum matrimorum et patrimorum ministeria a ritibus Graecorum. Sed passim occurrunt apud Romanos. Adde Epithalamia Catulli (LXI. LXII.).

Sed mirum in modum turbat has nuptias Medea cum gladio irruens, averso vultu et ad liberos, qui prensant pallam matris, retorto. Fatetur Begerus p. 123. figurarum cohaerentiam, cum operis modulus haec secungere iuberet, esse separatam. Consulenda igitur est pictura in Codice Berolinensi. Nam, ut nunc in quatuor tabellas disiuncta et distracta exhibentur, quo referenda sit Medea, animo vix exputes. Certe ad nuptiarum ritus ne obtorto quidem collo trahi potuisset. Medeam fingere voluisse artificem, clamat gladius, quem praefert, proprium eius insigne. Aram in nuptiis habet monumentum Guattanii per l'anno 1785. Avrile tab. III. p. XXXI.

Euripidis fabula nuptias nondum plane confectas esse ponit, sed sacra tum coniugialia iam celebrata fuisse, fingit. Appellatur δέσποινα, ἣν νῦν ἀντὶ σοῦ θαυμάζομεν v. 1144. ὁ ἀρτίως πόσις 1178. λέκτρων νεογάμων σὺν ὀνήσομαι dicit Iason 1348. (ergo nondum concubuerat) θάπτε ἄλοχον clamat Medea 1394. Sed nuptiarum tamen diserte nulla fit mentio. Longe aliter res administrata in Senecae Medea, ubi chorum Epithalamium canentem induxit poeta insulsus v. 56. seqq.

Artifex connubii legitime peracti scena carere haud potuit. Quod Graecus Tragicus incunte fabula iam peractum fuisse statuit sacrificium, hic depromendum et in scena constituendum fuit. Scilicet diversam rationem sequi debuit poeta in mediam rem, non secus ac ad notam, spectatores abripiens (Horat. A. P. 148.) et artifex exordium per anfractus ad finem deducendum sibi quaerens.

II.

MUNERA PESTIFERA MEDEAE OBLATA.

Scena est thalamus, velis obtentus et occultatus. Frequens aulaeorum in interioribus cubiculis usus, quibus prudenter ad penetralia aedium significanda in priscae artis operibus usos esse artifices, quis dubitet. Ridicule se torquent nostrates artifices in cubiculorum architectura et supellectile curiose effingenda, qua quidem opera facile caruerunt et supersederunt artifices antiqui. *Στέγας γυναικῶν* habet Euripides v. 1143.

In Winckelmanniano anaglypho Creusa nutricis (hanc Iasoni Euripideo subiecit artifex) suasu protendit dextram ad accipienda munera. Paedagogus gestum monstrat parvulis, quo pacto tradenda sint munera. Bacillum in manibus tenet, quo compescere videtur puerum prius progredientem. Sed quid hoc sibi velit, exputare nequeo. Marmoris situ exesi vel mutili obscuritati talia accepta referenda sunt. Idem dicendum est de papavere, quod in Borghesiano anaglypho praefert idem paedagogus. Puer anterior peplum voluminis instar complicatum et convolutum portat. Sapienter hoc quidem, ne tactu humano incalescens pestis vestimento illita *) serperet ad puerum.

*) Secundum vulgarem opinionem (v. Plut. in Vit. Alex. p. 687.) fuit naphtha. Haec optime innotescere potuit Colchidos incolis, cum naphthae fontes scaturiant in vicinis mari Caspio et Caucaso regionibus. Hinc fuere, qui Promethei furtum, ignem in ferula conditum, referrent ad naphthae commercium, vid. *Sickler* in Pomologia antiqua. Apud Astacenes Parthiae seu Ponti (vid. Emendat. Harduini 92.) profluere naphtham bituminis liquido modo tradidit Plin. II, 105. s. 109. „*Huic magna cognatio ignium, transilientque protinus in eum undecunque visam. Ita ferunt a Medea pellicem crematam, postquam sacrificatura ad aras accesserat, corona igne rapta*" (ubi vide loca Horatii et Apulei ab illar-

Puer posterior portat coronam floribus consertam (vasculum inde effinxit chalcographorum imperitia et oscitantia), cui suberat circulus aureus, *crinale* appellat Seneca, in adornando hoc veneficio supra quam dici potest, futilis et putidus; χρυσοῦν στέφανον appellat Eurip. 1160. χρυσοῦς πλόκος θαυμαστὸν ἵει νᾶμα παμφάγου πυρός v. 1186. coll. v. 978—85. Circulum aureum floreis corollis implexum vel consertum fuisse apparet e monumentis nostris. Sic omne hic quoque vitatum est contagii periculum.

In Winckelmanniano anaglypho famulus intendendo velo occupatus cernitur. Hoc referendum ad thalamum νεότευκτον. Sic νεόγραπτος θάλαμος in Epithalamio Helenae Theocrit. XIII, 3.

In Pighiano et Borghesiano paedagogum sequitur famulus, forsan ἄγγελος Euripideus, vel Iason ipse secundum narrationem Euripidis. Sed Iasonis partes nutrici tribuunt artifices.

Paedagogo inepte tribuit imago in Bellorii Admirandis et Montefalconio expressa pileolum, seu petasum Mercurii. Scilicet Bellorii est somnium omnia in hac caelatura ad Proserpinae raptum referentis.

Sed notandum est in Borghesiano seu Bellorii monumento pomum, quod sponsa manibus tenet, *il pomo del zitto*. Hoc fucum fecit Bellorio, pomum, quo gustato Proserpina Plutoni adiudicata fuit, cogitanti. μῆλον illud symbolum fuit coitus, τοῦ τέλους.

III.

CREUSA DOLORIBUS EXANIMATA.

Hic actus ad Euripideam narrationem 1169. seqq. in tribus monumentis compositus est. Creusa μόλις φθάνει

---

dumo laudata). Φάρμακον κολχικόν habent scholia ad Nicandr. Alexiph. 249, ubi confunditur naphtha cum ἐφημέρῳ, herba venenata Colchis, vid. *Schneid.* in Animadvers. p. 155. Ammianus Marcell. XXIII, 6. tradit, naphtham herbae cuidam illitam condiri et ad diuturnitatem servari. Dioscorides I, 101. p. 45. Sarrac. Νάφθα — δύναμιν ἔχει ἁρπακτικὴν τοῦ πυρὸς, ὥστε καὶ ἐκ διαστήματος ἁρπάζειν τοῦτο. Varius fuit naphthae usus in θαυματοποιῶν praestigiis; vid. Beckmann's Geschichte der Erfind. T. IV. p. 68, et quas ibi laudat *Huetii Quaestiones* Alnetanas II, p. 172. ed. Frf. Add. Schneideri Index ad Eclogas Physicas T. II. p. 349.

θρόνοισιν ἐμπεσοῦσα 1170. Throni loco lectum genialem dedere caelatores. Hic cogitandum, lectos veterum fuisse sublimiores et in altitudinem ita elatos, ut gradibus ad illos adscenderetur. Sic *Κακία* in Hercule Prodicio apud Xenoph. *Ἀπομν.* II., 1. 30. *ὑπόβαθρα ταῖς κλίναις κατασκευάζει*; ubi vid. Intt. Ex amictu Creusae intelligitur, peplum a Medea missum amictum fuisse, non indumentum. Doloris aculei, quibus lacerata misella, graphice depinguntur in iactatione seu rotatione capitis Bacchica (cuiusmodi in Maenadibus saepe occurrunt) et gestu furibundae. Sequitur Creon in illam procubiturus (observa acumen artificis, actionis initia non finem exprimentis) et diadema in laniandis crinibus sibi derepturus. In Pighiano et Winckelmanniano anaglypho adstat *δορυφόρος* cum hasta et clypeo. Sed in Borghesiano Iason ipse chlamyde, heroum insigni, vestitus apparet. In eodem, quod Bartoli et Montfaucon exhibent, monumento docte post vela eminet statua Neptuni cum tridente. Corinthi enim in Isthmo, Neptunio loco, haec geruntur.

IV.

MEDEA PUERIS NECEM INFLICTURA.

Pueri in area (significatur haec palaestrae locum obtinens et lusibus inserviens, vid. Eurip. v. 1019. Mercurii barbati statua *τετραγώνῳ*, seu Herma in monumento Borghesiano, quamquam referre licet ad Neptuni statuam) pila ludunt. Sic Timomachus quoque pinxerat. Lucilius in Aetna 590. *Sub truce nunc parvi ludentes Colchide nati.* Pilam aperte tenet puer prior in Pighiano monumento. Pila altera maior est ad pedes, quam columnae fragmentum effinxere chalcographi caecutientes (pila eiusmodi ludentem Amorem exhibet gemma in Museo Florentino T. I. tab. LXXVI, 5. Inprimis huc pertinet pila in crepundiis Iovis in Philostrati Iunioris Iconibus n. 8. p. 873., ubi cfr. *Olear.* Adde Apollon. Rhod. II, 132. Hinc pila in numo Cretensium *κοινὸν Κρήτων*, Traiano percussus fuit, v. *Tristan Comment. Historiq.* T. II. p. 253. Hinc sphaera transiit ad orbem terrarum signi-

Puer posterior portat coronam floribus consertam (vasculum inde effinxit chalcographorum imperitia et oscitantia), cui suberat circulus aureus, *crinale* appellat Seneca, in adornando hoc veneficio supra quam dici potest, facilis et pulidus; χρυσοῦν στέφανον appellat Eurip. 1160. χρυσοῦς πλόκους θαυμαστὸν ἶει νᾶμα παμφάγου πυρός v. 1188. coll. v. 978—85. Circulum aureum floreis corollis implexum vel consertum fuisse apparet e monumentis nostris. Sic omne hic quoque vitatum est contagii periculum.

In Winckelmanniano anaglypho famulus intendendo velo occupatus cernitur. Hoc referendum ad thalamum πόστενκτον. Sic νεόγραπτος θάλαμος in Epithalamio Helenae Theocrit. XIII, 3.

In Pighiano et Borghesiano paedagogum sequitur famulus, forsan ἄγγελος Euripideus, vel Iason ipse secundum narrationem Euripidis. Sed Iasonis partes nutrici tribuunt artifices.

Paedagogo inepte tribuit imago in Bellorii Admirandis et Montefalconio expressa pileolum, seu petasum Mercurii. Scilicet Bellorii est somnium omnia in hac caelatura ad Proserpinae raptum referentis.

Sed notandum est in Borghesiano seu Bellorii monumento pomum, quod sponsa manibus tenet, *il pomo del zitto*. Hoc fucum fecit Bellorio, pomum, quo gustato Proserpina Platoni adiudicata fuit, cogitanti. μῆλον illud symbolum fuit coitus, τοῦ τέλους.

III.

CREUSA DOLORIBUS EXANIMATA.

Hic actus ad Euripideam narrationem 1169. sequ. in tribus monumentis compositus est. Creusa μόλις φθάνει

---

dumo laudata). Φάρμακον κολχικόν habent scholia ad Nicandr. Alexiph. 249. ubi confunditur naphtha cum ἐφημέρῳ, herba veneniis Colchis, vid. *Schneid.* in Animadvers. p. 155. Ammianus Marcell. XXIII, 6. tradit, naphtham herbae cuidam illitam condiri et ad diuturnitatem servari. Dioscorides I, 101. p. 45. Secus Νάφθα — δύναμιν ἔχει ὁμοίαν τοῦ πυρός, ὥστε καὶ ἐκ διαστήματος ἁπάζειν τοῦτο. Varius fuit naphthae usus in θαυματοποιῶν praestigiis, vid. Beckmann's Geschichte der Erfind. T. IV. p. 68. et quas ibi laudat. *Hucii* Quaestiones Alnetanae II. p. 172. ed. Frf. Add. Schneideri Index ad Eclogas Physicas T. II. p. 349.

θρόνοισιν ἐμπεσοῦσα 1170. Throni loco lectum genialem dedere caelatores. Hic cogitandum, lectos veterum fuisse sublimiores et in altitudinem ita elatos, ut gradibus ad illos adscenderetur. Sic *Καινία* in Hercule Prodicio apud Xenoph. *Ἀπομν.* II., 1. 30. *ὑπόβαθρα παῖς κλίνας ἀναβαίνει*; ubi vid. Intt. Ex amictu Creusae intelligitur, peplum a Medea missum amictum fuisse, non indumentum. Deloris aculei, quibus lacerata misella, graphice depinguntur in iactatione seu rotatione capitis Bacchica (cuiusmodi in Maenadibus saepe occurrunt) et gestu furibundae. Sequitur Creon in illam procubiturus (observa acumen artificis, actionis initia non finem exprimentis) et diadema in laniandis crinibus sibi derepturus. In Pighiano et Winckelmanniano anaglypho adstat *δορυφόρος* cum hasta et clypeo. Sed in Borghesiano Iason ipse chlamyde, horum insigni, vestitus apparet. In eodem, quod Bartoli et Montfaucon exhibent, monumento docte post vela emicat statua Neptuni cum tridente. Corinthi enim in Isthmo, Neptunio loco, haec geruntur.

IV.

MEDEA PUERIS NECEM INFLICTURA.

Pueri in area (significatur haec palaestrae locum olim ludis et lusibus inserviens, vid. Eurip. v. 1019. Mercurii barbati statua *τετραγώνῳ*, seu Herma in monumento Borghesiano, quamquam referre licet ad Neptuni statuam) pila ludunt. Sic Timomachus quoque pinxerat. Lucilius in Aetna 590. *Sub truce nunc parvi ludentes Colchide nati.* Pilam aperte tenet puer prior in Pighiano monumento. Pila altera maior est ad pedes, quam columnae fragmentum effinxere chalcographi caecutientes (pila eiusmodi ludentem Amorem exhibet gemma in Museo Florentino T. I. tab. LXXVI, 5. Inprimis huc pertinet pila in crepundiis Ioxis in Philostrati Iunioris Iconibus n. 8. p. 818., ubi cfr. *Oleur.* Adde Apollon. Rhod. II, 1232. Hinc pila in numo Cretensium *κοινὸν Κρητῶν*, Traiano percussus fuit, v. *Tristan Comment. Historiq.* T. II p. 253. Hinc sphaera transiit ad orbem terrarum signi-

eruditi, interioris notae, cohibendas illis esse manus; propterea quod

Unicus heu fundo numus suspiret in imo.

5 Sic clamant, sic calumniantur, qui Tibi male cupiunt. Enimvero calumniatores illi nesciunt, aut nescire se simulant, ingentes Tibi ipsi sumtus impendendos esse, ut in literarum bonarum utilitatem nunc rarissimos libros, qui ex his terris dudum evanuerunt, in Germaniam retrahas, nunc praestantissima ac splendidissima opera, quae exterae multumque dissitae regiones nostris temporibus in lucem publicam emittunt, Lipsiae doctis hominibus, quorum in manus Tua unius opera perveniunt, venalia exponas. Sed, quod longe maioris momenti est, librarii mercatus rationibus adiutus reperisti, quo et totum illud calumniae genus a Te depelleres et rem literariam in universum augeres constabiliresque. Ipse scilicet auctores nonnullos, quos cum maxime desiderari et studiose requiri a doctis hominibus intelligeres, sumtibus Tuis denuo iussisti typis exscribi, additis, quibus splendescere possint, ornamentis novis ab editorum eruditione et varia lectione profectis. Sic nuper admodum Michaelis Maittairii librum de linguae Graecae dialectis *Sturzii* nostri curis secundis egregie perpolitum et collocupletatum iterum prodire iussisti, adiecto mox insigni de dialecto Macedonica supplemento, itidem e Sturzii, Viri Eruditissimi, penu depromto. Sic in animo Tibi esse, Dionis Cassii, post magni Fabricii et Reimari curas plane iacentis, et Euripidis desideratissimas editiones instruere, non solum fando accepimus, sed cognovimus etiam e literis amicissimi Matthiae, qui in Euripide recensendo iam strenue desudat, mox, absoluto opere, omnium, qui in his sapere videntur, feret suffragia.

Atque ita Longini quoque post aliorum et Mori, Tou-
6 piique curas recentissimas novam editionem magnopere desiderari cum intelligeres, nec operae nec impensae Tibi parcendum esse statuisti, quin editorem et ab ingenii subtilitate et ab eruditionis copia instructissimum, cui haec provincia Longiniana tuto demandari posset, adipiscerere. Cessit feliciter, quod tanta cura et liberalitate capessivisti, negotium. Egisti enim cum Weiskio, Viro in hoc genere

exspectatissimo, ut illae demum tibi impetrata paterent. Quod cum haud difficulter impetrasses, suppeditasti benigne omnia, quae ad intelligendum exornandumque auctorem illum [illegible] posse intelligeres. Quibus praesidiis et adiumentis sane non poenitendis quo pacto usus sit Vir illustris, indicent, quos selectos in hac caussa indices agnoscit Germania.

Quid, quod ne sic quidem officio Tuo Te plane satisfecisse ratus es. Quaesivisti igitur adventitium aliquod graphices et picturae linearis lenocinium, titulo libri nitide appingendum, quo semper capti et delectati sunt quicquid est hominum venustiorum. Non puto in reprehensionem incurrere posse hoc elegantiae studium liberale admodum et elegantissimo scriptore dignissimum. Quidni enim his quoque libellis, ab omni fuco meretricio alienissimis, deceat conciliari et commendatio libris ad severiorem doctrinae rationem compositis, dummodo et prodesse velint et delectare, adscititia eiusmodi artis chalcographicae ornamenta? Quod quidem facillime nos consequi posse existimamus, si e tot numeris artis antiquae, quae aetatem tulerunt, monumentis seligimus ea, quae praeter nativas Veneres, omnibus eiusmodi operibus suopte iam ingenio insitas, habeant reconditatem aliquam et interiorem doctrinae suavitatem, quibus et amplanda sensus pulchri et honesti exacuatur, studium antiquae supellectilis et sedulo conquirendae et recte intelligendae incendatur, fastidiumque harum quotidianarum formarum, quas nostrae aetatis belli, quos vocant, homines exosculantur, magis magisque creetur *).

Quid multa? Cum egisses mecum per literas, indicarem Tibi figuram aliquam ex antiquitate figurata ductam,

*) Habemus exemplum *Heynii*, viri in hoc genere facile principis, qui in parergis chalcographicis, Tibullo, Virgilio, Homero adiectis, ex ingenti copia, quae suppeteret, ea selegit, quae vel lucis aliquid affunderent compluribus auctorum illorum locis, vel certe ab universo libri, quem ornarent, argumento parum abhorrerent. Sed addenda est commoda et subtilis explicatio, ut, quid sibi velit figura aere exscripta, unde petita huc pervenerit, dilucide pateat. Inficeta autem, ne dicam inepta, est ratio librariorum titulis librorum suorum ornamenta nescio quae assuentium. Tralatitium hoc et usu propagatum ab iis temporibus, quibus librarii voluminibus, quae calamo exscripsissent, flexuosas appingerent literarum ambages, foliis arborum, pampinorum inprimis innexis, unde nomen exemplarium (*Vignettes*).

minoris moduli, quae a chalcographo tabellae aeneae insculpta tituloque Longini Tui indita prima fronte statim alliceret lectores; facere non potui, quin precibus tam honestis obtemperandum esse ratus, monstrarem figuras operis anaglyphi, quod exstat in thesauris operum antiquorum, quae nunc Lutetiae Parisiorum servantur. Tu, quod in opere statim indicando facile repereras, tradidisti *Schnorrio* nostro, pictori Lipsiensi, multis nominibus mihi quoque carissimo, qui diligenter elaboraret in eo, ut accurate transscripto et honor suus constaret et veritas *).

Superest, ut in lectorum gratiam, qui forte has nugas esse aliquid putent, paucis exponam, unde profectum, quid significet hoc qualecunque, quod aere expressum videmus in fronte libri, Monumentum. In villa suburbana, quam
8 antiquis artis operibus undique conquisitis et coëmtis magnifice instruxerat aulae pontificiae purpuratus Alexander Albani, Vir Incomparabilis, cuius in sinu et complexibus fuit Winckelmannus noster, exstiterunt ea tempestate, qua Roma nondum exulare iussa erat Româ, quatuor marmoreorum tabularum fragmenta, Graeco artificio caelata, quae vulgo feminarum Apollini sacrificantium nomine ferebantur, mira similitudine ita inter se coniuncta, ut primo obtutu statim intelligeres, in eodem omnia versari argumento, ad idem fere exemplar ab eodem, nisi egregie fallimur, artifice diligenter expressa **). Translata ista cum plerisque aliis Lutetiam Parisiorum, Musei Napoleonei decora futura, et digna habita sunt, quae in opere, quod fratrum Piranesiorum sumtu tabellis aereis instruxit Pirolus, pictor Romanus, commentario illustravit primo Schweighaeuserus filius, dein Petitus Radelius, oculis subiicerentur lectorum pictura
9 lineari informata ***), tantisper dum ad ipsa archetypa, in

*) Vide Tab. I. Fig. a.

**) In catalogo universae supellectilis antiquariae, quae in villa nobilissima, cum ornamentis suis nondum exuta esset, continebatur, cui titulus: *Indicazione antiquaria per la villa suburbana dell' eccellentissima casa Albani* (Rom. 1785.) quatuor anaglypha commemorantur huius argumenti n. 423. 451. 454. et 457.

***) *Musée Napoléon* Tom. IV. pl. 7—10. p. 29. seqq. In opere praeclaro, quod elegantissimus, idemque eruditissimus harum formarum spectator *Georgius Zoega* inde ab initio anni superioris voluminibus per singu-

amplioribus olim atriis dedicanda, aditu prohiberetur influens spectatorum turba. Adhuc enim a nemine, qui Musei perlustrandi causa illuc accessit, oculis usurpata esse feruntur. Selegimus ex illis quatuor, quod primo loco ponitur ab editoribus Francogallicis (*tab.* VII.), sed dolemus, in angustius spatium ab artifice Lipsiensi redigendam fuisse picturam Parisiensem, quod figuras maiusculas tituli angustiae non caperent. Ad eundem tamen modulum iam redactum esse unum ex his anaglyphis intelleximus e comparatione tabellae aere exscriptae in versione Etrusca magni operis Winckelmanniani, in qua Mediolanenses editores primum, dein Romanus editor, *Carolus Fea*, anaglyphum eiusmodi parvae tabellae insculpi curarunt *).

In area templi Apollinis transigitur, quicquid hoc loco nobis ob oculos positum cernimus. Argumento est signum Apollinis Lycii (nam est deus arciteneus) cippo seu columellae impositum, secundum antiquissimum priscae Graeciae morem, quo singulis statuis aediculae et cellae nondum dedicatae essent. Figura alata (Victoriolam esse prima fronte statim deprehendes) vinum e vasculo, quod simpuvium per me appelles licet, altius sublato in pateram, quam sustinet figura alia exadversum posita, infundit. Id sacrificii genus, quod libationem appellant, hic peragi, quis dubitet? Figura exadversum collocata citharam prae se ferit, formae maiusculae, elegantiorem. Digitis, non plectro,

los menses deinceps edendis cum ingenti plausu eruditorum totius Europae emittere coepit, inscripto titulo: *Li Bassirilievi antichi di Roma*, undecim prioribus voluminibus, quae, cum haec scriberemus, essent in manibus, haec anaglypha nondum attigerat interpres horum monumentorum sagacissimus. Quotquot adhuc prodierunt, Villae Albanae consecrata sunt omnia. Non dubitamus, illa quoque in splendidissimo opere delineata esse et illustrata. Sed dolemus, nos, cum haec ad examen revocaremus, fructu illorum defraudatos fuisse. Caeterum luctuosissimus, cum coronis huic opellae imponenda esset, ad aures nostras accidit nuntius, Zoegam, quo nec candidiorem nec doctiorem unquam amplexi sumus, acerbo fato functum opus illud, quod viginti annorum lucubrationibus et laboribus assiduis instruxerat, vix in illa parte, quae Villae Albanae thesauros complecteretur, absolvere potuisse. Sic interceptа est messis in herba. Lugete Veneres, plangite Musae!

*) *Storia delle Arti del Disegno* Tom. II. p. 162. *ed. Fea.* Multa ibi nitidius et distinctius expressa videas, quam in opere Piranesiorum sumtibus edito, in quo procudendo complura oscitanter et praeposterе facta esse, dolent omnes, qui grandi argento sese emunctos esse, sero intelligunt.

fides tangere videtur, quas si in pictura frustra desideres, noli laborare. Veterum artificum hoc fuit, in his, quae adscititia esse putarent et a quolibet intelligi posse, exprimendis esse negligentiores. Nam citharae tam eleganti fides quoque intentas esse oportere, per se intelligitur. Totum ponere, hoc opus, hic labor illis. Hodie in contrariam fere partem peccant artifices. Tempus terunt in levissimis additamentis elimandis perpoliendisque, at infelix operis summa. Sed ut ad figuram nostram revertamur, citharoedum esse clamant omnia, totus figurae habitus et scenicum choragium, tunica ad pedes demissa, pallium ex humeris defluens et ad muliebrem munditiem compositum, capillis comtis et muliebriter exornatis, quibus omnibus cultum citharoedicum apud veteres contineri, quis nescit? Adstant post tergum duae mulieres, pariter sacris operatae, magnifice et cultu fere regio exornatae. Facem tenet prior, sceptrum posterior. Prope illam in extrema marmoris ora tripus conspicitur, solemne victoriae in certamine musico reportatae praemium, columnae, ut mos fuit, in dedicatione impositum. Atque haec quidem cernere est etiam in tabella a nobis in fronte huius libri proposita. Adiecta est in caelatura marmoris, quale exhibent imagines in opere Winckelmanniano et Museo Napoleoneo aere expressae, cella templi columnis ordine Corinthio suffulti, imbricibus et tegulis mutuo sese excipientibus intecti et in zophoro certamen curule exhibentis. Sed clausus et interceptus est aditus tem-
11 pli pariete intergerino, quo aream et porticus circumiacentes separari et secerni ab aede satis apparet. Atque in area illa seu περιβόλῳ sacra haec administrari unicuique, qui aciem huc intendat, vel ex eo apparet, quod Victoriae et citharoedo interposita cernitur ara parva, rotunda, saltationem seu pompam Bacchicam, quantum e tympanistria ibi conspicua coniicere licet, exsculptam praeferens. Θυμελικὴν hanc quoque esse et ad rem scenicam spectare, satis patet. Caeterum rem sacram in area templi Apollinis fieri, vix est, quod dubitemus.

Quae cum ita sint, illud iam anquiramus oportet, quidnam significare voluerit hoc sacrificio vel libatione potius in area Apollinis oblata artifex? Argumentum huius marmo-

ris magna obscuritate laborare, nec facile extricari posse, ingenue fatetur *Carolus Fea*, qui magna sollertia et dexteritate illustravit plurima, in Explicationibus (*Spiegazioni delle Tavole in Rame* T. III. p. 442.). Sed rem totam uno verbo aperuit sagacissimus eorum, quae negotia facessunt antiquitatum interpretibus reliquis, indagator *Ennius Quirinus Visconti*us, cuius sententiam paucis refert, qui fere ex hoc solo tripode sapit, *Petitus Radelius* in illustrationibus Francogallico sermone scriptis (*Musée Napoléon* T. IV. p. 29.). Auctore igitur Viscontio marmor oculis subiectum monumentum est choragicum post victoriam in certamine musico reportatam a victore dedicatum. Citharoedum fuisse, qui cantando et psallendo vicisset, res ipsa indicat. Praemium victoriae tripus fuit, iam ἀναθηματικὸς factus et inter Apollinis donaria columnae impositus. A victore dedicatum esse, manifestatur imagine deae Victoriae, cuius in administranda libatione opera luculentum victori perhibet testimonium. Enimvero victor parum con- 12
tentus tam insigni honore, se ipsum Apollinis Musagetae et Citharoedi imagine effingi iussit, additis duabus feminis sacerdotibus, in quibus si quis Dianam, sororem, et Latonam, matrem Apollinis, expressas esse divinet ad amplificandam victoris iactabundi gloriam, nae is non multum aberrabit a vero. Haec est sententia Viscontii, tribus verbis tantum commemorata a Radelio, quippe quam peculiari dissertatione, si otium suppetat post Iconologiam, opus eius recentissimum, absolutam, uberius se expositurum esse profitebatur summus antiquarius. Cui sententiae si quis calculum suum adiicere tanquam longius arcessitae dubitet, vix tamen aliter rem expediet; sudabit, aestuabit multum, nec veri similiorem reperiet. Nam qui et hac et superiori aetate obiter illud attigerunt antiquarii laudatissimi, parum profecerunt et exemplo suo, nodum hic esse vindice dignum, comprobarunt *). Satius igitur erit vestigia premere illius

*) Duos e pluribus, quibus testimonium denunciare possemus, commemorasse sufficiat, viros in hoc genere praestantissimos. Habemus marmor anaglyphum seu fragmentum potius truncatum in villa Albana olim visum, quod primum edidit *Winckelmannus* in *Monumenti inediti* n. 23. Periit figura ad pedes usque defracta, sed restituta a recentiore artifice, monstratore Winckelmanno, et in Bacchi formam redacta. Incolumes man-

viri, qui et ingenio et usu praepollet, et quae ad firmandam sententiam illius nobis facere visa sunt, paulo copiosius edisserere.

Itaque, ut ab hoc incipiamus, illud extra omnem positum esse videtur controversiam, non Neronem tantum, de quo loquuntur et historiae et numi (Sueton. Ner. c. 25. *Morellii* Thes. Numism. Imperat. T. XIV, 19. cum nota Morellii) monumentaque vetera, sed diu ante Neronem in universa Graecia omnes fere citharoedos, qui quidem excellerent in arte sua et victoriis in certaminibus musicis inclaruissent, adeo sese venditasse et extulisse animos, ut ipsi deo, qui praesidere putabatur istis certaminibus, sese aequipararent et in monumentis, memoriam artis suae celebraturis, parum immortalitati suae consultum esse putarent, nisi habitu cultuque deum referrent et quasi personati prodirent Apollines. Nam quod factitarunt, cum in pulpito vel scena illis canendum esset, ut sese Apollini quam maxime similes esse studerent, idem licere sibi in simulacris et monumentis in honorem suum positis, induxerunt in animum. Non-
14 ne putemus, Arionem illum, in omni historia decantatissimum, qualem ob oculos nobis ponit Ovidius II. Fast. 103.

serunt figurae duae, Victoria ad cippum collocata et e gutturnio libationem invergens paterae, quam dextra sustinet virgo in Dianae habitum composita, sinistra facem proceram gestans. Canis venaticus, arrectis auribus ad pedes assidens, Dianam esse docet venatricem pariter et δαδοῦχον. Varia comminiscitur ad sensum marmoris mutili, sed duabus tamen figuris adhuc exstantibus facile dignoscendi, investigandum (p. 27. seqq.). Mentionem iniicit consimilium marmorum in eadem villa propositorum: „Diana vi tiene una lunga face, come in altri bassirilievi della medesima villa." Ibidem diserte commemorat marmor aliud, in quo Victoria exstet libationem fundens in pateram Musae, cui comes adstet Diana. Musam ergo habet, quem Apollinem citharoedum esse statuimus. Nam de hoc ipso, quod cum maxime pertractamus, monumento sermonem esse, caret dubio. Egregie hallucinatur vir, doctrinae et lectionis copia saepe ad alia omnia abreptus. Nam quae Victoria est, Cererem esse putat; qui citharoedus esse debet, Musam nobis effingit. Atqui mentionem quoque huius monumenti nuper iniecit *Hirtius*, antiquarius Berolinas, in opere ad iuvanda haec studia pulchre excogitato, apte composito (*Mythologisches Bilderbuch* p. 92.). Quam nos Victoriam esse censemus, libationem e gutto invergentem, Heben esse autumat. Scilicet et in hac imagine et in aliis, in quibus Victoriola libationem offert, Heben nectaris ministram subodoratus est vir sagacissimus. Enimvero Heben *alatam* ego nusquam reperi, nec reperiri posse puto. Num enim deae, perpetuae Olympi inquilinae, cum rebus humanis, *quo devolet*, intercedit commercium? Caeterum tres reliquas figuras huius monumenti in alio libelli istius mythologici loco (p. 29.) de Latona, Diana et Apolline recte interpretatus est Vir eruditissimus.

— capit ille coronam,
Quae possit crines, Phoebe, decere tuos.
Induerat Tyrio bis tinctam murice pallam;
Reddidit icta suos pollice chorda sonos.

ipsam Apollinis sibi circumposuisse speciem? Si quis dubitat, oculos coniiciat in pulcherrimam nobilissimamque Apollinis citharoedi statuam, quae in villa Cassii olim effossa Musei Pio-Clementini insigne ornamentum fuit, nunc Parisiis ostenditur *). Neronem hic exhiberi, purpuratam Apollinis citharoedi simiam, post alios, in eandem sententiam delatos, monstravit acutissimus statuarum illarum interpres Viscontius, numo Apolloniatarum, qui rem conficit, apposite allato **). Iam comparet mihi aliquis cum hac statua elegantissima nobilissimam picturam ab auctore (M. Antonium Gniphonem fuisse probabili satis coniectura efficere studuit *Schützius*, Philologus celeberrimus) ad Herennium (IV, 47. p. 168. *ed. Schützii*) adumbratam: *Citharoedus cum prodierit optime vestitus, palla inaurata indutus, cum chlamyde purpurea, coloribus variis intexta, et cum corona aurea magnis fulgentibus gemmis illuminata, citharam tenens exornatissimam, auro et ebore distinctam* ***). Atque hinc factum esse intelligimus, ut,

*) *Musco Pio-Clementino* T. I. tav. XVI. *Musée Napoléon* T. I. pl. 21. cui gemina germana est imago Apollinis Musagetae, quam e Volpati pergulis emtam Holmiam migrare iussit Gustavus III. Rex Suecorum, v. *Guattani Monum. inedit. per l'anno* 1784. *Giugno*, Tav. III. et qui impensis regiis eandem aere exscribi iussit, *Fridenhemius* in statuis Musei regis Sueciae.

**) Adi sis *Viscontium* in commentario ad Mus. Pio-Clementin. T. I. p. 30. et p. 96. *Ez. Spankem.* ad Iuliani Caesares p. 59. ed. Paris. et *Eckhelium* D. N. V. T. VI. p. 275. seq.

***) In figura Apollinis citharoedi seu Musagetae tria in primis observanda sunt, capillorum ornatus, vestis talaris cum chlamyde ad pedes usque demissa et balteus latior, cui lyram innixam fuisse vel appensam, e variis priscae artis monumentis coniicere possumus. Iam quod ad capillos attinet, corona laurea, quam in capite Apollinis Musagetae plerumque conspicimus, in marmore nostro desideratur. Sed taenia tamen vel diademate, quo ἀναθέσεσιν significari tralatitium est, caput figurae, quam Apollinem esse dicimus in marmore nostro, cinctum esse apparet. Nec desunt cincinni, intonsam dei comam mirifice exornantes et ad humeros a capite demissi, quod egregie illustrat locum in Floridis Apuleii p. 342. *edit. Elmenh.* Sermo ibi est de citharoedico habitu, cuius effeminatam mollitiem illi exprobrat Marsyas: *iam primum*, inquit, *crines eius praemulsis antiis et promulsis caproneis anteventuli et propenduli.* Ecce tibi apud auctorem rariorum vocabulorum aucupem curiosissimum verum nomen, quo cincinnos dependentes ante aures insignire solitae sunt Roma-

si qui occurrant in gemmis et marmoribus caelatis habitu ci-
16 tharoedico exornati, saepe dubius haereas, Apollinem ipsum an citharoedum tantum vestitu Apollinis Musagetae excultum conspicias. In statuis et signis maioribus facilius iudicium feras ex oris lineamentis, quae ad dignitatem dei composita sint, an humanam tantum prae se ferant speciem, quod, si vel modicam tibi comparaveris harum formarum intelligentiam, nullo negotio dignoscas. Sed in pusillis figuris, quae in marmoribus caelatis et minoris adeo moduli monumentis exstare consentaneum est, vix aliter, quam diligenti earum rerum, quas *πάρεργα* appellare solemus, consideratione res ad liquidum perduci poterit *). Sic Apollinem,

---

nae mulierculae: *antiae* sunt. Alterum vestitus est, quem magnificum, auro pictum et purpureum, ad talos usque defluentem a tragoedis transiisse ad citharoedos, assutis, gliscente luxuria, variis laciniis, inter omnes constat. Loca, post Cerdam ad Virg. VI. Aen. 646. diligenter enotarunt Brockhusius ad Tibullum et Passeratius ad Propertium. Conferenda tamen in primis Luciani narratio de Euangelo Tarentino adv. indoctum c. 8. s. T. III. p. 107. sq. et Apuleii verba de Apolline et Bathyllo in *Floridis* p. 342. 350. *Elmenh.* Sed magna lis fuit inde a Ferrario et Rubenio, duumviris rei vestiariae, quaenam *palla* sit appellata in hoc habitu citharoedico. Diversam illam fuisse a communi palla, quae matronarum et virginum amictui inserviret, perite iam observavit *Christius* in prolusione academica *de Musarum imaginibus* p. 5. Acute haec quoque distinxit et enucleavit *Viscontius* in docta nota ad *Mus. Pio-Clement.* T. I. p. 31. c. Res eo redit, pallam proprie appellatam esse tunicam talarem, *ὀρθοστάδιον* Graecis dictam, quam inauratam fuisse in cultu citharoedico apparet ex auctore ad Herennium, iam supra laudato; sed parum accurate loquutos esse poetas Latinos, qui amiculum superius, uno verbo chlamydem pariter ad talos usque demissam, pallam quoque appellarent. In nostra quoque figura et pallam seu tunicam stolatam et chlamydem *ποδήρη* conspici, res ipsa docet. Vnum addam, non chlamydi, sed tunicae isti stolatae additam fuisse ingentem illam laciniam, qua pulpita verrerent citharoedi, *syrma* appellatam voce ab histrionibus tragicis ad cantores in pulpitis translata. — Tertium est *cingulum Graecanicum*, ut appellat Apuleius in *Floridis* p. 351. Huic innitebatur cithara *baltheo*, qui ab humeris dependeret, *apta*, verba sunt Apuleii. Adde, qui haec quoque docte illustravit, *Viscontius* l. l. p. 32.

*) Dummodo capita figuris suis constent, et quae hodie humeris illarum imposita videas, genuina sint et ab artificis manu profecta. Sed dici non potest, quantum fraudis iam priscis temporibus in capitibus statuarum surdo discrimine permutandis (Plin. XXXV. s. 2.) commissum sit. Nam quem praeterit famosum illud *μεταῤῥυθμίζειν*, vel e Rhodiaca Dionis Chrysostomi satis notum et a magno Suetonii interprete ad Tib. c. 53. docte illustratum. Iam cogitet aliquis recentiorum temporum in instaurandis statuis innumeras statuariorum, si spes dolosi nummi affulserit, nihil non molientium impostaras. Cogitet Cavaceppii alicuius vel Ienkinsii officinam in detruncatis admutilatisque statuis interpolandis quotidie operatam. Quis hodie tuto affirmare ausit, tale caput tali statuae ab initio aptum et copulatum fuisse? Sed de his mox acutissime disserentem audie-

sed personatum, hoc loco exhiberi, optime, si singula perpendas, intelliges e tribus figuris illi appositis. Primum Victoriola, Iovi inde a Phidiae nobilissimo simulacro saepe comes addita (adi sis, nisi grave est, *Voelkelium* in dissertatione de templo et statua Iovis Olympii theotisce scripta 17
p. 153. et quae de diis *Νικηφόροις* disputat *Zoega Bassirilievi* T. I. p. 144.) et procedente tempore perpetua victoriarum cuiuslibet generis in priscae artis operibus ministra, hic, ubi libationem affundit, non mortalem esse hominem, cui ministret, sed supra humanum fastigium longe elatum, aperte declarat *). Dein, quae praesto sunt Apollini pedissequae, vel, si vilius hoc vocabulum tibi sordescat, adstites, si accuratius intuearis, non mortales esse feminas, sed Apollini cognatas, vix est, quod dubites. Nec est, quod in iis definiendis multum labores. Dea taedifera, quod supra iam monitum, Diana *δᾳδοῦχος* est. Remotiorem, sceptro decoram eburneo, amiculo primoribus digitis molliter sublato delicias facientem **), Latonam statim interpretabe-

mus magnum *Viscontium* in praeclarissimo opere, quod iam sub prelis sudat, Iconologiae suae. Sic, ut a deverticulo revertamur, duae statuae, quae Potsdampii olim visae nunc Lutetiam commigrarunt, vulgo ad Lycomedis familiam relatae, sed a *Levezowio* nostro ad Apollinis citharoedi speciem retractae (adi sis dissertationem bonae frugis plenissimam: *Ueber die Familie des Lycomedes* Taf. I. et VI. p. 45. seqq.) citharoedine tantum fuerint, an Dei ipsius simulacra, e capitibus illarum si diiudicare velis, nae magnopere laborabis et in tenebris tibi micandum esse intelliges.

*) Effigiem Victoriae eodem plane habitu et gestu, qui in marmore nostro occurrunt, habemus in celeberrimo anaglypho, olim Farnesiano, dein Albano, consecrationem Herculis referente, a Blanchinio, Montefalconio, Donio, ad postremum etiam a Muratorio in Inscriptt. Thesauro Tom. I. p. LX. aere expresso. In inferiore parte nobilissimi marmoris Admetam cernimus, Eurysthei filiam, Herculi consecrato libatione oblata, sacra facientem. In pateram Admetae vinum infundit e gutto Victoria (vinum; non offas mola salsa adspersas, quas in simili figura paterae inesse male iudicat *Zoega Bassirilievi* Tom. I. p. 73.). Tanta autem inter illam Farnesianam et nostram Victoriam similitudo intercedit, ut appareat, figuram istam Victoriae, quae libationem *εὐχαριστικὴν* administrat, fuisse ad normam quandam perpetuam compositam (*ein stehender Typus*). Nec oblitus est hoc monere *Ed. Corsinius* in dissertatione doctissima de Quiete Herculis. Paulum differt Victoria in numo Neronis citharoedi, in cuius postica parte Victoria offertur, sed palmam tantum, non libationem administrans. Videatur *Eckhelius* Doctrin. Num. Vet. Tom. IV. p. 276. Sed sunt sexcenta alia, ubi Victoria libationem offert *diis*. Sic, quod ad manus est, Victoria deae sedenti et pateram porrigenti libationem offert in pictura vasculi Graeci in *Vasculis Tischbeinii* Tom. IV. pl. 16.

**) Saepissime hunc gestum occurrere in antiquis dearum imaginibus norunt, qui haec tractarunt, et exempla congerere nihil attinet. Varias

18 ris. Cuius enim aures suavius permulceantur divino Apollinis cantu, quam matris et sororis *)? Et fuerunt haud dubie plures statuarum inter se connexarum συζυγίαι (*Gruppen*), in quibus mater et soror Apollini cantanti operam dantes effingerentur. Talis, ni fallor, fuit statuarum nobilissimarum complexus in Octaviae porticu Philisci Rhodii, quem commemorat Plinius XXXVI. s. 4, 10. *Apollo, Latona et Diana et Musae novem* **). Par Latonae et
19 Dianae cum Apolline contubernium in templo Apollinis Palatini. Testis idoneus in hanc rem est Propertius in praeclara elegia, in qua dedicationem Apollinis Palatini celebrat et, quibus signis munus illud splendidissimum effulserit, ordine commemorat (II, 23. 15.):

Deinde inter matrem deus ipse, interque sororem
Pythius in longa carmina veste sonat.

---

ob causas hunc gestum ab artificibus expressum esse, vero consentaneum est. In ara rotunda (*ara tonda*) Musei Capitolini Tom. IV. tab. 56. cernimus Dianam post Apollinem collocatam eodem fere figurae habitu, quo in nostro marmore occurrit. Facem longam dextra, sinistra vestimenti laciniam levat. Pariter in ara triangulari Borghesia, quam aere expressam dedit *Viscontius* ad finem *Musei Pio-Clementini* Tom. VI. (*tavola aggiunta B.*) et ad calcem *Musei Gabini* (*tavole aggiunte* a. b. c.) Gratia conspicitur, peplum levans eodem modo, quo hic Latona, et quam primo loco in marmoribus anaglyphis Albanis posuit *Zoega* (*Bassirilievi* tav. I.) imaginem, Neptuni uxorem Amphitriten exhibet, quae eodem gestu vestis laciniam paululum super humeros allevat.

*) Adde, quod multum faciat ad dignitatem augendam hoc dearum satellitium. Postulat hoc decori ratio, ut spectatores adsint, id quod diligenter observarunt veteres artifices. Sic vasculorum pictores semper appinxerunt figuris primariis personas quasdam mutas seu mera δορυφορήματα, quibus spectatorum seu chori partes tribuerent. Hinc intelligitur etiam, quam saepe operam suam luserint interpretes male seduli, qui in figuris istis appositiis docte illustrandis rerum suarum satagerent. Atque hoc ipsum in memoriam nobis redigit marmor anaglyphum a *Winckelmanno* in *Monumentt. inedit.* n. 50. promulgatum, sed miro errore de Orpheo et Danaidibus explicatum. Libatio enim et ibi offertur Apollini cantanti a duabus feminis, quarum altera pateram, altera guttum prae se fert. Una sufficere poterat. Sed duabus opus est, ut honor suus constet decoro.

**) Verba Plinii obscuritate quadam laborant. In vulgatis editionibus sic se habent: *Ad Octaviae porticum Apollo Philisci Rhodii in delubro suo. Item Latona et Diana et Musae novem et alter Apollo nudus.* Haec, si quis parum attendat animum, facile ita intelligi possent, ac si Apollo tantum in delubro collocatus fuisset, reliquae vero statuae plane segregatae fuissent et diversae. Sed una eademque fuit statuarum series. Hoc liquido apparet vel ex eo, quod additur: alter Apollo *nudus*. Ergo vestitus fuit prior. Atqui vestitus est Musagetes.

Ex quo loco recte colligimus, appositas fuisse signo Apollinis Palatini, quem Actii Apollinis instar stolatum fuisse e numo Commodi pulchre docuit *Eckhelius* D. N. V. Tom. VII. p. 124. (cf. *Spanhem.* ad Callim. in Apoll. 33.), Dianam et Latonam eodem forsan habitu et vestitu, quem Graecus artifex expressit in marmore nostro. Quodsi argutari vellemus, coniectura haud improbabili ducti illud quoque affirmaremus, citharoedum, qui Apollinis personam sibi induerit in hoc marmore, deabus, quas more solemni sibi apponi iusserit, mulieres consanguinitate sibi proximas exprimi iussisse ab artifice. Sed frigerent profecto. Sufficit tenere, Apollini citharoedo has deas comites additas fuisse et *παρέδρους* (fugit haec *παρεδρία* Arnaldum in libello doctissimo, sed primas rei lineas tantum complexo). Adiiciendae igitur fuerunt hic quoque, ut ordine procederent omnia, nec sibi ipse deesse videretur, qui tam magnifice sese offerret, citharoedus vacuum verticem, ut cum Venusino poeta loquamur, plus nimio tollens. Nam fuit gloriolae cupidissima et iactans sese immodice gens ista citharoedorum et cantorum, quam in Hermogene Tigellio graphice depinxit Horatius.

Enimvero audio hic, qui dicant, gravem impietatis dicam impingi potuisse, quicunque tandem ille fuerit, qui tali monumento victoriam suam in certamine musico partam nobilitari et ad posteros propagari voluerit, propterea quod deum se, dearum satellitio et ministerio stipatum, efformari iusserit. Atqui haec aliter iudicaverunt veteres. Nam ut silentio praetermittam scenica spectacula, in pompis sacris et anniversariis conventibus non statuas tantum et imagines deorum deductas esse in thensis et ferculis, sed sacerdotes etiam aliosque, qui sacra ista procurarent, personam sibi imposuisse deorum dearumque, qua stupentis vel adorantis popelli oculos in se defigerent, et coniectura probabili inducti affirmare et exemplis, quae passim occurrunt apud auctores antiquos, demonstrare possumus *).

*) Luculenter hoc monstrari poterit e loco Xenophontis Ephesii de Anthia in pompa Dianae Ephesiae ad simulationem Dianae venatricis magnifice exornata I, 2. p. 4. *edit. Locellae.* Idem dilucide patet e pompa Isiaca, quam graphice depingit Apuleius Metam. libr. XI. ubi sacerdotes

21 Non est igitur, quod miremur, citharoedum, ut est paulo ventosior cantorum natio hodie quoque (Farinellium tibi finge vel alium eiusdem farinae homuncionem), magnifice de arte sua sentientem, existimasse tantam sibi cum artis suae praeside intercedere similitudinem, ut, qui Apollinem faceret, se ipsum fecisse putandus esset. Et dandum est aliquid universae rationi, quam symbolicam appellare consuevimus, in antiquae artis operibus ubique conspicuae.

Ergo simplex totius marmoris, quod parva tabella exscriptum vides in fronte libri, sensus hic est: artifex, qui pulcherrime sciret fidibus, cum tripodem, praemium victoriae in certamine musico partae *), ut mos fuit, diis, in quorum ludis commissa forent certamina, rite dedicasset, quod sine libatione ad aram oblata fieri vix potuit, voluit

---

hiantis populi oculos miris praestigiis praestrinxisse et deorum dearumque speciem sibi affinxisse copiose narrat. Hinc saepe fraus facta, suborna-tis, qui deos praesentes se simularent. Sic statim nobis succurrit Phya, qua Pisistratus in recuperanda tyrannide usus est, in habitum Minervae formata, *Παλλαδικοῖς ὅπλοις κεκοσμημένη*, verba sunt Polyaeni I, 21. p. 44. *Masvic.* cf. *Valcken.* ad Herod. p. 28, 29. Nec desunt monumenta artis antiquae, quae, nisi advocata in partes hac sacerdotum simulatione, recte explicari nequeunt. Testis est sacrificium Dionysiacum, in quo Mercurius et Diana sacrificantium ritu, ut h. l. Diana et Latona, adstantes arae proponuntur in elegantissimo anaglypho, quod aere expressum vides in *Musée Napoléon* T. II. pl. 23. ubi digna est, quae perpendatur et ad alia monumenta explicanda transferatur, observatio *Viscontii* in commentario p. 53. Huc referenda sunt Bacchica lectisternia in vasculis Graecis, in quibus deos accumbere vides et epulari. Sed initiati personam illorum sustinebant. Sic nitidissimam picturam in vasculo, in quo Liberum cum Libera accumbentem, Herculem assidentem conspicis in pulcherrimo opere, *Peintures des vases antiques*, quod Lutetiae Parisiorum menstruis voluminibus particulatim cum maxime editur, *Part.* VII. tab. XXXIV. scite de mimo eiusmodi in mysteriis Bacchicis a mystis agitari solito explicat *Millinus*, spectator harum deliciarum elegantissimus doctissimusque p. 75. seq.

*) Quis nescit *tripodas*, *praemia fortium Graiorum* (Horat. IV. od. 8.), antiquissimis temporibus gymnasticorum etiam et curulium certaminum praemia fuisse? *Ἄθλον ἐπ' ἀνδραγαθίᾳ* appellat Pausanias VII, 4. p. 249. *Fac.* Sed otium nobis fecit in hoc argumento Spanhemius, qui et in Callimachum et in praeclaro opere de praestantia numismatum copiose de his disseruit. Procedente tempore tripodes, qui proponerentur in ludis Pythiis, ad deos Musagetas, Apollinem et Bacchum, spectarunt, cantoribus atque poetis in certaminibus musicis et scenicis distribuendi. Athenis tribus, quae choris vicerat, tripoda dedicavit, ut vel e Simonidis epigrammate 58. et 76. Tom. I. p. 137. 141. *Analect.* satis constat. Et platea Athenis hinc nomen invenit *Τρίποδες*; v. Pausan. I, 20. p. 71. Nec desunt monumenta, in quibus dedicationes tripodum nobis ob oculos ponuntur, quo recte referri poterit marmor Farnesianum, Herculis apotheosin referens, apud *Bimardum* in *Muratorii Inscriptt.* Tom. I. p. 60.

eius rei memoriam exstare in marmore caelato. Statuarius vel iussu victoris, vel ad maiorem rei per se satis communi auctoritatem conciliandam, deos ipsos in medium vocavit, hac tamen lege, ut, quo tenderet ista amplificatio, quilibet statim intelligeret.

Dignum profecto est marmor nostrum, quod accuratius examinetur, hoc etiam nomine, quod tota sculpturae ratio, si vestimenta spectes et plicas mirum in modum acuminatas, durior et rigidior esse videatur, ut prorsus referenda sit ad antiquissimam Graecorum artificum rationem, de qua loquitur Cicero in loco nobilissimo Bruti c. 18. *). Et prostant adhuc passim in gazophylaciis antiquariis, Museorum nomine vulgo veniunt, eiusmodi opera artis antiquissimae a mollitie et perfectione sequentium temporum multum abhorrentia, quo pertinet etiam, quam iure mirantur omnes, ara formae triangularis in Augusteo Dresdensi cum historia tripodis ab Hercule rapti. Sed parum congruunt cum rudiore prisci aevi simplicitate reliqua, templi inprimis, quod omissum fuit in tabella nostra, architectura, seculum redolens longe recentius. Atqui scite haec iam inter se conciliavit *Winckelmannus* **), spectatissimus harum elegantiarum arbiter, in historia artis antiquae huius ipsius marmoris exemplo usus, ut doceret, recentiores artifices servasse interdum in priscis operibus imitandis duritiem et τὸν πίνον religione quadam ductos vel ad maiorem operibus suis dignitatem comparandam, sed quae accessiones fierent et πάρεργα, ad sui seculi palatum attemperasse. Et exstitit procul dubio insigne aliquod artis antiquae opus ***), li- 22

*) Adi, si tanti est, libellum vernaculo sermone scriptum, in quo primas lineas archaeologiae duximus: *Andeutungen zur Archaeologie* p. 56. seqq.

**) *Storia delle Arti* VIII. 1. 19. Tom. II. p. 100. *ed. Fea*, quem contulisse iuvabit etiam in nota p. 104.

***) Recte hoc efficitur e multitudine marmorum plane eiusdem argumenti et ad idem archetypum facti. Quatuor eiusdem generis in villa Albana spectatorum oculis olim patuisse, iam supra monitum est. Valet igitur hic quoque; quod cum in aliis scriptis, tum in commentatione doctissima ad duo opera tessellata, recens effossa, monuit *Visconti*us, *Osservazioni su due mosaichi antichi* (Parmae 1788.) p. 49., notam esse certissimam archetypi alicuius in antiquitate valde nobilitati, si in plura incidamus monumenta, idem argumentum eodem modo tractantia. Nam quae manifesta in iis reperiuntur imitationis vestigia, clamant, exstitisse olim opus excellentissimi artificis, quod certatim exprimerent recentiores.

23 bationis a citharoedo victore oblatae exemplar pulcherrimum, ad cuius imitationem ita se componerent posteriores artifices, ut ab illo deflectere et Veneres artis postmodo natas sequi, nefas haberent. Atque huc fere redeunt omnia, quae de ingenio quodam austeriore in artis operibus apud antiquos conspiciendo (*vom alten Kirchen-styl*) hodie disputari coepta sunt.

Haec cum legeris, Weigeli amicissime, quaeres forsitan, quis fructus ex hoc marmore ad Longinum Tuum, liceat enim adhuc hoc nomine compellare, quamquam bene scio, litem iam huic nomini moveri gravissimam, vel ad nos ipsos redundare possit? Aequum postulas. Nolim enim in nos dici, quod Cicero ait ad Atticum (XIII, 32.), nos velle *πομπεῦσαι τοῖς προσώποις*, i. e. magnis personis inducendis libro exiguo lenocinari et ornamenta quaerere adscititia. Citharoedus quidem, victoria nobilitatus, sed in gloria aucupanda immodicus, Apollinem se Musagetam fingi in comitatu dearum splendidissimo voluit. Quid hoc ad me? inquit Longinus noster. *Τί γὰρ ἐμοὶ καὶ τοῖς μακροῖς αὐλοῖς*; Audio, o bone, sed nonne sensus Tibi quoque, quomodocunque tandem appelleris, sublimior et vere *μουσικώτατος*? Nonne Tibi quoque praesto est eadem dea, quae eximiis favet hominum conatibus et successu illos exhilarat laetissimo, Victoria? Nam in Te quoque cadit,
24 quod ipse non sine miro sublimitatis sensu observasti de magnis omnis literaturae heroibus, Homero, Platone, Demosthene (*π. ὑ.* s. XXXVI.), hos scriptores, quamquam a vitiis plane non immunes, omnes tamen ultra mortalem conditionem evectos esse. Voluit *ἰσόθεος* fingi citharoedus ille, cum laudis studiosior Apollinem se fingi iuberet, in hoc culpandus, quod leviori arti ingens statueret pretium. Tu, cum de sublimitate dissereres, et praestantissimis, qui in ea excelluerunt, scriptoribus palmam deferres, ipse ad excelsa quaevis erexisti animum et de sublimitate sublimius loquutus es quam ullus alius, qui quidem aetatem tulerit, dicendi magister *). Iure meritoque igitur Tibi quoque Victoria divinos fundit liquores et in Te quo-

*) Vide *sis Morum* in notis ad s. XXXV. p. 201. ed. Mori.

que competit nobilissima, quam in heroas illos dixisti, sententia: *Ὁ πᾶς αὐτοῖς αἰὼν καὶ βίος — φέρων ἀπέδωκε τὰ νικητήρια καὶ ἄχρι νῦν ἀναφαίρετα φυλάττει καὶ ἔοικε τηρήσειν*,

Ἔστ' ἂν ὕδωρ τε ῥέῃ, καὶ δένδρεα μακρὰ τεθήλῃ.

Nulla enim unquam aetate, dum literis honor suus constabit, Tua obliterabitur memoria. Nunquam non elegantissimorum hominum manibus teretur libellus Tuus. vere aureus. Quid multa? Deorum immortalitatem consequutus es.

Quod ut maiore cum voluptate et fructu lectorum iam fiat, fecisti sedulo, mi Weigeli, et enixe elaborasti in eo, ut, quantum in Te esset, politior tersiorque prodiret scriptor cultissimus. Itaque successus augurabimur huic quoque incoepto exoptatissimos, et quod bonae scaevae causa veteres praemittebant omni negotio, cui se accingerent, formulam *σὺν θεῷ*, hac quoque imaguncula ad antiquum marmor expressa et fronti praefixa significatum esse putabimus. Fausto igitur, quod superest, omine prosequimur librum Sosiorum pumice mundum et iam e nidulo suo evolare cupientem:

I bone, quo virtus tua te vocat, i pede fausto!

Quod si qui sunt, qui haec vetera *ξῶλα* esse clamitent et ad palatum suum facere negent, nova verborum sententiarumque portenta, quibus perstrepunt cathedrae Philosophorum quorundam et suo et alieno otio abundantium, unice amplectantur exosculenturque, valeant, vescantur glandibus suis, et sibi quoque dictum putent Longini nostri verbum: *Χαιρέτω ἕκαστος, οἷς ἥδεται.* Dabam Dresdae prid. Calend. April. MDCCCIX.

Cum iam in eo essem, ut plagulas has calamo exscriptas mitterem ad typographum, perculit me luctuosissimus de morte immatura Weiskii nostri nuntius. Ergo defraudavit illum Fati invidia fructu operae Longino suo impensae dulcissimo. Profligatum vidit librum, non penitus absolutum, quamquam editoris officio iam penitus perfunctus se pensum suum perfecisse gloriari potuit ante obitum. Plura de meritis *τοῦ μακαρίτου* loquuturo dolor impedimento est su-

bitis ingravescens. Non illaudatus tamen abibis, doctissime *Weiski!* Strenue, quem fortuna tibi dederat, cursum peregisti. S. T. T. L.

XXVI.

NUPTIAE PSYCHES ET CUPIDINIS

IN GEMMA TRYPHONIS *).

1.

Primus hanc gemmam publici iuris fecit Sponius in Miscellaneis erud. antiqu. Pingui admodum Minerva in aere expressa ibi extat secundum delineationem a Petro Ligorio factam. Gemma ipsa, cum Ligorius illam delinearet, apud Baganium fuerat. Migravit procedente tempore ad Britannos, cimelium in thesauris Comitis de Arundel Londini futurum. Censetur nunc in exquisitissimis gemmis Ducis Malmesburiensis, unde imaginem scite delineatam a Cipriano aere affabre sculpsit Bartolozzius in opere magnifico: *Gemmarum antiquarum delectus ex praestantioribus desumtus, quae in dactyliotheca Ducis Marlburiensis conservantur* seu *Choix de pierres antiques gravées du Cabinet du Duc de Marlborough.* Est gemma ultima Tomi I. no. 50. Inter alias tabellas aere exscriptas inserta est etiam in luculento opere Bryantii: *a new System or Analysis of ancient Mythology* T. II. p. 302. Cf. *Choice of his Gems* Vol. I. pl. 50. Sexcenties vel ad Ligorianum exemplar, vel ad ectypas in sulphure concinnatas repetita est, v. c. in Montefalconiano opere T. I. pl. 121. Nec omisit *Stoschius* in opere praeclaro n. 70, nec Braccius in *Memorie degli antichi incisori* CXIV. p. 249. T. II. Imitati sunt Anglo-Britanni in terra Porcellana, v.

---

*) Haec dissertatio de gemma Tryphonis celebratissima iam primum e scriniis b. Boettigeri prodit. Quaedam inde ipse auctor communicaverat cum Baumgarten-Crusio, Rectore Afranei Merentissimo, qui illa excerpsit in programmate de Psyche fabula Platonica, Misenae 1835. edito. EDITOR.

Tassie's Catalogue of Gems n. 7800. et 7201. In thesauris regii Neapolitani fuit gemma impcalpta (intaglio) ad exemplar nostrae gemmae exscalptae scitè compositae, quae fraudem sibi fieri passus est Lippertus in Dactylioth. I, 843. notante Raspio ad Catalogum Tassianum p. 417.

2.

Maximae semper admirationi fuit in hac gemma felicissima scalptoris dexteritas in velando sponso et sponsa, integumento tam pellucido obvelutis, ut oris lineamenta, quamvis velata sint, oculorum aciem non fugiant (*paene videre est, ut nudam*). Notarunt antiquariae supellectilis idonei arbitri, duas praeterea inveniri gemmas, simili arte ita scalptas, ut faclei velo obnuptae lineamenta accurate distincteque conspiciantur, Ptolemaei Auletis unam, quam singulari commentario illustravit Baudelotus, in amethysto; alteram e chrysolitho, in qua Sabinae Augustae caput incisum est, Ferrariae in dactyliotheca Marchionis Crispi, Ferrariensis. Sed de his disputaturo otium fecit *Koehlerus*, Petropolitanus antiquarius, peculiari dissertatione gemmas velatam faciem exhibentes illustrans.

3.

Gemma omnium praestantissima, exquisito et pulcherrimo opere, quod quidem adeo perfectum absolutumque reddidit artifex, ut nihil fere supra vel exprimi vel excogitari possit. In omnibus partibus coeunt venustas, dignitas, gratia, cumque plus dimidio extent figurae, quod de Parrhasii Ephesii picturis narrat Plinius, de anaglypho hoc praeclaro praedicari merito potest: sic desinere scilicet extremitates et ambire se lineamenta, ut promittant alia ulterius ac veluti ostendant, quae occultent. Mirum multis visum est, cum scalptor ita egregius et vel Pyrgoteli comparandus fuerit Trypho, nunquam tamen alias neque in gemmis literatis, neque in antiquorum scriptis nomen eius comparere! Verum hunc scrupulum quodammodo exemit Argentorati nuper edita Anthologia, in qua Addaei epigramma in Tryphonis Galenam occurrit, elegans sane illud et *perveterstum*, quod paucis emendatum in poetae simul et scalptoris

laudem proferre non ingratum fore arbitror. Extat hoc epigramma in aliis epigrammatibus Addaei in Analectis Brunckianis T. II. p. 242. VI.

Γαλήνη est *Malacia*, dea Marina, Nereidum una, si lemmati credimus, quod tamen abhorret a communi Nereidum recensu apud Homerum. *Γαλήνης* imaginem in Isthmo commemorat Pausan. II, 1. p. 182. Fac. Beryllo indica exscalpta fuit imago Nymphae promissis capillis natantis, ut bene Iacobsius Observatt. Vol. II. P. II. p. 233. Non fugit Brunckium in notis ad hoc epigramma, quod Reiskius iam ediderat in Anthologia Cephalae p. 141.

In versu tertio legitur

Ἥνιδε καὶ χείλη νοτερὴν πλείοντα θάλασσαν.

Iacobsius coniecturam suam iam antea prolatam novis argumentis firmat, *λείοντα* i. e. *λειαίνοντα* legendum esse. Sed commentator doctissimus in Dactyliotheca Malmesburiensi haud temere edixerat, se emendatiorem prolaturum esse textum. Edidit enim, quod unice verum est:

— νοτερὴν πνείοντα θάλασσαν,

quod in cultissima versione latina sic vertit:

Adspice, labra madent nativum halantia rorem.

4.

Eruditissime more suo illustravit Psyches cum Amore connubium doctus Senator Florentinus *Buonarottius*, Osservazioni sopra alcuni frammenti di vetro p. 193 — 196. quem excerpsit in Explicatione Braccius p. 253. In pompa Sacrorum Thespiis Cupidini celebratorum vel in alia simili pompa nuptias Cupidinis et Psyches confluenti spectantique populo exhibitas fuisse opinatur. „Una di queste pompe pare che sia rappresentata o imitata in quel cameo gia del Conte d'Arondel, ora del Signor Cavaliere Germano di Londra, pubblicato gia dallo Sponio, il lavoro di questo cameo è di tal perfezione, che come era l'antico uso, vi si legge in Greco il nome del scultore Trifone." Laudatissimam esse Pichlero, summo patrum memoria scalptori, hanc gemmam e Stoschio monet Braccius.

5.

Ad lectum genialem pompa ducitur, de quo disputatum est ad *nuptias Aldobrandinas* p. 124. Sed ex hac ipsa gemma intelligitur, quam ob causam genialis appellatus fuerit ille lectus. A Genio sternitur et apparatur. In lecto tricliniari accubantem Psychen cum Amore videmus in anaglypho marmoreo, prope Romam effosso et in Museum Townleyianum Londinum devecto, de quo disputavit amicissimus Millinus ad *Dallaway* II, 81 sq. cf. Sponii Miscellan. Erudit. Artiqu. I. ant. 3. et Recherches curieuses p. 422.

6.

Aviculam, quam manu demulcet Amor, turturem esse arbitratur Braccius p. 255. bene observans, in manu sponsae, quam cernimus in anaglypho Ficoroniano *Vestigia e rarità di Roma antica* p. 116. (et apud *Lumisdenium*, antiquarium Scotum *Remarks on the antiquities of Rome* p. 430.) eandem avem sponsaliorum vel nuptiarum asseclam conspici.

7.

Vinculum, quo connexi ambulant Amor et Psyche, catenam esse contendit Sponius, merito ob id reprehensus a Stoschio in Explicatione gemmae p. 94. Idem tamen cum lineam margaritarum esse, qua vincti trahantur ab Hymenaeo, existimet, uniones nescio quos ingentis magnitudinis somniasse videtur. Sunt infulae, i. e. vittae laneae vinculis nexilibus ita constrictae et distinctae, ut lanae in nodum conglobatae segmenta oriantur, vel quasi articuli et internodia, quod ornamenti causa factitare solitos esse veteres in infulis, στέμμασι, erudite demonstravit *Viscontius* ad Museum Pio-Clementinum T. IV. p. 2. not. a. et p. 98.

8.

Hymenaeum esse, qui desponsatos (*quos irrupta tenet copula*) ducit, ex face et forma maiuscula cognoscitur. Sic in pluribus anaglyphis, ubi Amor apparet sponsam protrudens pudibundamque compellens, Hymenaeus quoque conspicitur inter sponsum et sponsam facem nuptialem quassans,

sed hic, grandiori scilicet aetate, statura etiam proceriore insignis.

9.

Puer paranymphus canistrum imponere dicitur capitibus Psyches et Amoris. Sic explicat Stoschius, Dianae a virginibus nupturis eiusmodi canistra pomis exstructa offerri solita esse, nescio quo auctore commemorans. Vannum mysticam pomis et frugibus repletam hic cerui existimaverim. Atqui vannus illa semper inter fructus, in quibus eminebat nux pinea, continuit etiam mutinum seu fascinum *). Phallus enim ubique in Bacchicis, in quibus dominabatur vannus, symbolum fecunditatis fuit. Si quis dubitat, adeat anaglyphum fictile quantivis pretii in Winckelmanni Monumentis ineditis n. 26. ubi ad conspectum eiusmodi phalli in vanno mystica inter alia poma sese erigentis virgo pudica aversata istum adspectum aufugit. Winckelmannus ibi (p. 32.) laudat picturam Herculanensem (*Pitture d' Ercolano* T. IV. tav. 14.), in qua ad Priapi statuam e rudi trunco dedolatam vannus offertur simili phallo, si accuratius inspicias, instructa **). Quae cum ita sint, liquido patet, quid sibi velit vannus ista capitibus *τῶν νεογάμων* imposita: *Seid fruchtbar und mehret euch!*

10.

Non abhorret a vero, magnum Raphaelem Urbinatem, cum ab Antonio Ghisio persuasus, ut lacunar pingeret in vinea eius, nunc Farnesinae nomine celebri, argumentum quaereret ingenio suo dignum, huius ipsius gemmae a Tryphone scalptae conspectu concepisse animo nobilissimas illas Psyches et Amoris nuptias una cum concilio Deorum et

*) Eandem vannum mysticam pomis omnigenis refertam capiti pueri initiandi imponit Silenus in anaglypho valde memorabili Musée Napoléon T. II. pl. XII. quod cum fuse explicarit Creuzerus in Miscellaneis: *Studien* inscriptis T. II. p. 261. seqq. nihil tamen attulit ad sensum allegoricum huius vanni aperiendum.

**) Adde sacrificium Priapo oblatum in gemma exscalpta apud Maffeium T. III. tab. 40. ubi non canistro, sed vanno vimineae impositum vides phallum. Est sacrificium rusticum ad fertilitatem agrorum arcessendam, cuius obtinendae gratia phallus ingens in urbibus Latinis plaustro vectabatur et a matrona coronabatur, teste Varrone, vide Maffeium l. l. p. 75.

decem minoribus picturis, quas duabus grandioribus circumdedit, quas ab insigni chalcographo Dominico de Rubeis XII tabulis aeneis (addita scilicet Galatea in eadem Farnesina pictura ingeniosissima) exscriptas et titulo *Amoris et Psyches nuptiae ac fabula* (Rom. 1693.) insignitas in deliciis habeat, quicquid ubique est hominum venustiorum.

EXCURSUS DE VANNO MYSTICA.

Orgia Bacchica e Nysa Indiae in Thraciam et inde in reliquam Graeciam advecta duplici signo phallum *), hisce sacris arctissime connexum et copulatum, indicare solita sunt cista mystica et vanno mystica. Draco, serpens e cista curiosa investigatione aperta prosiliens, phalli haud dubie fuit symbolum. Atque idem significabatur etiam vanno (proprie instrumento rustico ad grana paleis secernenda usurpari solito, die Schwinge, Wanne. Virg. Georg. III, 134.) mystica. Scilicet vannus ista implebatur pomis, *ficubus, malis Punicis*, ad fertilitatem et abundantiam declarandam. Vanno enim in sacris Dionysiacis eadem, quae Abundantiae nota sive cornu Copiae. Sed eminebat ex ista pomorum congerie fascinus erectus, phallus, sed ut pudori vel mysterio consuleretur, *velatus*. Fuerunt κερνοφόροι, Bacchae, Dionyso sacrae mulieres, quae vannum istam in capite portarent. In anaglypho praestantissimo Musei Pio-Clementini T. IV. tav. XXIX. conspicimus Thyadem saltantem et sinistra vannum eiusmodi, e qua phallus, sed velatus, elevantem. Praeclare ibi hunc ritum illustravit *Viscontius* p. 59. Nec dubitandum est, πυραμίδας, quas iis accenset Clemens Alexandrinus in Protrept. p. 10., quae insint cistis mysticis, ad phalli figuram mysticam referendas esse. Porro autem probabili coniectura ducti hoc quoque affirmare possumus, fuisse in initiationibus peculiarem aliquem ritum, quo phallus vanno insertus et pomis variis stipatus capiti illius, qui iam initiandus esset, bonae scaevae causa imponeretur. Laudavit iam Viscontius tabulam pictam e Bellorii opere *Picturae antiquae cryptarum Romanarum* (Rom. 1738) inscripto, quam in Esquiliis olim effossam, delineatam dedit Tab. XII. p. 53. in qua initiandus sacra stola velatus, quae caput quoque operit, a duabus mulieribus dextrorsum sinistrorsumque adstantibus sacris ita imbuitur, ut vannus mystica super caput eius manibus sacrificularum sustineatur. Ingens e vallo protuberat cumulus forma fastigiata et paulatim decrescente, quam corona redimitam vittis exornant mulieres. Bellorius simpliciter arcana religionis hoc acervo indicari autumat. Sed phallum esse scite monuit Viscontius, Di-

*) Locus classicus de cultu phallico semper habebitur Herodoti II, 49.

gnum, quod cum pictura nostra comparetur, omnino est anaglyphon in Museo Napoleonis T. II. pl. 12.' Puer ibi initiatur eadem vanno mystica capiti eius imposita. Hinc non abludit a vero, in pictura quoque nostra imitiandum, statura, si reliquas figuras spectes, minuta admodum et pusilla ad puerum impubem adhuc necdum adultum referri posse et potuisse initiari cuiusvis aetatis et sexus homines vel e Theophrasti Superstitioso constat. Quae cum ita sint, in Tryphonis quoque gemma non vulgares nuptiarum ritus, sed reconditiorem aliquam ceremoniam e mysteriis depromtam nobis ob oculos poni, satis apparet. Clamat hoc vannus mystica, in qua si phallus protuberans non accurate dignoscitur, culpa pictorum et chalcographorum vel non intelligentium, quid sibi velint singula, vel parum attendentium ad lineolas oculorum aciem fere fugientes in gemmae scalptura, hoc factum esse existimabimus. Duo sunt, quae corollarii loco hic addere ab hoc argumento non alienum esse putabitur. Primum vero satis affine videtur, quae de turpitudine rituum phallicorum multa cum indignatione prodiderunt patres ecclesiastici, huc inprimis referenda esse. Sic Theodoretus in loco insigni de cultu phallico Serm. I. de fide T. IV. p. 482. ed. Paris. *Οὕτω πάλιν τὸν τοῦ Διονύσου φαλλόν· τὸ δὲ ἀνδρεῖον οὕτω καλοῦσι μόριον οἱ τοῦ γέλωτος ποιηταὶ* (Comoediographos veteris Comoediae intelligit) *καὶ ἐκαλεῖτο δὲ παρὰ τοῖς Ἕλλησι φαλλαγωγία ἡ τοῦ φαλλοῦ ἑορτὴ, καὶ προσκύνουν μὲν τοῦτον καὶ καπεφίλουν οἱ ὀργιάζοντες* (cf. eundem Theodoretum serm. VII. de sacrificiis T. IV. p. 583.). Iam quae de exosculationibus et adorationibus fascini commemorat Theodoretus, ad mutinum vanno mysticae insertum et diversimode coronatum equidem retulerim. Multum in his pro captu seculi et effrenatiore hominum lascivia variatum. Sic quae de sponsa mutino, sive trunco alicui bene vasato et mutoniato (Priapum vocant) imposita vulgo traduntur, gemmarum quarundam ectypis probata, ex hoc prisco mysteriorum Bacchicorum ritu derivata in eam licentiam degenerasse, vero consentaneum est. Et nescio an talis confarreationis ritus apud Romanos e ritu aliquo mystico a consecratione nostra per vannum mysticam parum abhorrente derivari queat. Certe placentae sesamo et papavere sparsae, in formam genitalium effictae (cogita *σησαμίδας* in Clementis Protreptico p. 10. et *μύλλους* Athenaei), inseri potuerunt vanno mysticae, unde proclivis ad far symbolicum via et transitus. — Secundo illud observandum quoque, pervulgatam fuisse famam de Baccho infante in vanno, quae cunarum instar illi esset, collocato et enutrito, unde *Λικνίτης* appellatur. Rem pulchre illustravit Winckelmannus ad Monumenta inedita n. 53. p. 63. s. ubi Bacchus infans a muliere et Satyro e thiaso Bacchi sublevatus in aërem, vanno e vimine textae et uvis onustae insidens, in anaglypho e terra fictili. Nec dubitare possumus, alios quoque infantes bonae scaevae causa vanno impositos esse, quod colligitur ex opere caelato, quod quo delatum fuerit, iam ignoratur, in Bartoli Admirandis tab. 65.

Enimvero Bacchus, si rem penitius excutias et e sensu mystico diiudices, vim solis procreatricem, vim masculam omnia progenerantem declarat secundum antiquissima Asiaticorum populorum placita. Hae phalli seu lingami Indici verae origines. Graeci igitur, cum λόγον ἱερόν pronuntiarent, Bacchi infantis sedem fuisse vannum, nil aliud sibi quaesiverunt hoc fabulae integumento, quam vanni mysticae, cui genuinum generationis signum, phalli simulacrum, additum est, subobscuram indicationem. Sic lusum fuit in his mysteriorum ambagibus.

XXVII.

BOETTIGERUS S. P. D. B. THORLACIO, V. ILL.

PROFESSORI IN UNIVERSITATE HAVNIENSI INCLYTO *).

Per mihi gratum accidit, Vir illustrissime, quod Adlerus, qui celsissimo Principi Christiano ab epistolis interioribus est, Principis Clementissimi nomine me salutans misit ad me dissertationem, qua picturam vasculi Graeci a Musageta illo ex Italicis terris Museo suo illati sane quam elegantem et bonae frugis plenissimam copiose et erudite illustrasti. Facere non possum, quin post longum temporis intervallum, quod mea culpa intercessit in commercio nostro literario, Te ipsum compellem et pro pabulo illo lectionis iucundissimae, quo mirifice delectatus sum, gratias agam quas possum maximas. Nosti, Vir tot nominibus mihi care, me per plus quam triginta octo annos diu multumque desudasse in picturis vasculorum Graecorum explicandis, ideoque, si quid recens effossum et delineatum prodierit, magna illius visendi, et cum iis, quibus diutius iam frui poteramus, comparandi cupiditate teneri. Nam

*) Haec ad Thorlacium scripta quidem sed hucusque non edita epistola quum ad vas pictum Italico-Graecum ab illo peculiari dissertatione Havniae a. 1826. explicatum melius etiam illustrandum haud parum conferre videretur, lectores huius libelli ea defraudare noluimus; ipsa vasis pictura repetita est tab. 1. fig. b. EDITOR.

sicut in universum dies diem docet, sic imprimis in hoc genere supellectilis antiquariae unum, quod lucri cupiditas investigavit et e tumulorum tenebris protraxit, vasculum ingeniosissimum, quam in aliis vasculis contemplandis tibi heperisse visus es, explicationem statim delet et obliterat, quo fit, ut Aiax tuus non in spongiam, quemadmodum Augusti poema olim, sed in ollam incubet. Sed, ut ad vasculum revertamur, de quo hic sermo est, magnam voluptatem mihi attulit cum universa, quam praemisisti, disputatio de artificio, quo depicta et cocta fuerunt id genus vascula, tum argumenti nobilissimi profecto et in vasculis celebratissimi, quo exsplendescit vasculum illud, elegantissima declaratio, sermone puro, vere latino, quem saepe desideres nunc in eiusmodi libellis, qui invita Minerva passim nunc conscribuntur et protruduntur. Tu vero, Vir illustrissime, magnus hac quoque in re artifex; Tibi ore rotundo loqui dedit Musa, id quod semper et admiratus sum, et, si occasio se offerret, laudibus prosequutus. Ab ore Tuo universa pendet Dania. —

Unus, cum legerem quae de Oreste supplice ad stipedem in adyto Apollinis scite admodum exposuisti, mihi iniectus est scrupulus, quem ut pace Tua ingenue profitear, facit humanitas Tua, quae mihi spondet, Te, si quid dubitem, inique non laturum esse. Difficillimam in illo argumento quaestionem esse de operimento illo virgato, cui, altari assidens, inniti prope videtur Orestes furiis agitatus, bene monuisti. Quod ut rite explicares, in mentem tibi venit peplus ille seu vestimentum, quo superiecto Clytemnestra nodis inextricabilibus constrinxit maritum, a tragicis Graecis et Latinis, quos diligenter laudasti, diligenter descriptus. Quod cum ἀμφίβληστρον nonnulli appellarent, et cum similitudo quaedam cum vestimento reticulato, nodis contexto, illi intercederet, arbitratus es infame illud amiculum hic quoque ob oculos nobis poni. Attulisse scilicet matricidam illud vestimentum cruore paterno conspersum ad templum, ut vindictae suae patrocinium pararet. Ingeniosa mehercule disputatio, quae primo obtutu non potest non mirifice arridere propter acumen et divinandi sollertiam. Sed vide, Vir Praestantissime, an haec, si

rem accuratius pensitaveris, probare queas idoneis harum disquisitionum arbitris. Reputes tecum, quot anni inter caedem Agamemnonis et Orestis ultionem, dum hic in Phocide apud Strophium educaretur, interiecti fuerint. Via verisimile videtur, indusium illud, ἄπειρον ὕφασμα, nec fundae caedis documentum, in vestiario aliquo conservari potuisse. Nec dubitari potest, si Electrae sororis vigilantia id ad ultionis stimulos exacuendos clanculum alicubi repositum fuisset, a Tragicis, quorum adhuc leguntur tragoediae de ἀναγνωρισμῷ Orestis et Electrae et colloquiis vindictam excitantibus, silentio praeteriri non potuisse. Deinde si imaginem tibi fingas in animo Orestis cum veste ista brachiis imposita inde a Mycenis ad templum Delphicum currentis, habet hoc phantasma, quod dignitati totius rei parum accommodatum esse videatur. Nimirum fraudi tibi fuit vocabulum ἀμφίβληστρον, quod notionem habet retis, cuius similitudinem qualemcunque exhibet ambigua illa, cui Orestes inclinatur, figura. Magnam lucem his tenebris affundit pictura altera, quam Millinus primum publicavit in Monuments inédits, quam ibi exstare te non fugit, repetiit autem in splendidissimo opere: Peintures de vases antiques. T. II. pl. LXVII. Noli dubitare, Vir illustrissime, utramque picturam et eam, quam Millinus bis publicavit, et recentiorem, quae ornat Museum principis Christiani, ex eodem fonte profluxisse, ad idem praeclari alicuius pictoris exemplar compositam esse, hac tamen conditione, ut Milliniana multo maiore cura et elegantia efformata fuerit, altera vero, multis plane omissis, aliis leviter inflexis, magis adumbrata, quam perfecta esse videatur. Iam vero, si oculos intendas in Millinianam, facile intelliges, quidquid illud est, cui se immergit quasi et involvitur Orestes, vestimentum reticulatum id genus, quale inextricabile illud indusium lavanti iniectum cogitemus oportet, esse non posse. Hinc Millinus in utroque opere opus illud reticulatum, cui incumbit Orestes, tapetium esse putavit, forma reticulata, nodis ita contextum, ut maculae (sic appellant Latini, quod nos Maschen vocamus) quadratae ubique appareant, in illoque conquiescere Orestem rapidissimo cursu fere exanimatum. Dicamus id, quod res est.

Fesso substravit lectulum bonus Millinus. Et magnum in vasculo tuo reperisset coniecturae suae praesidium. Nam quod ipse acute observasti, quae oculis nostris hic subiicitur forma tapetis, pulvinari, quod involucrum tegit virgatum, purpureum, simillima est. Occurrunt in vasculorum picturis, quae compotationes et lectisternia Bacchica referunt, sexcenta eiusmodi pulvinaria opere Phrygio picta vel purpura variegata. Et commemorat Euripides *δέμνια* (Orest. 35, seqq.), quibus anhelans incumbit Orestes. Verum enimvero nec hac via bene procedunt omnia. Ridiculum sane et ioculare hoc esset commentum, si Orestem in adyto Delphico in penetralibus sacrarii prope ipsum tripodem fatidicum pulvinar vel lectulum, in quo vires reficeret, iam stratum reperisse vel undecunque attulisse (monstri simile) existimaveris. Mihi vero aliam in hoc nodo solvendo ingredi liceat viam. Da quaeso veniam hanc Tecum communicandi. Aut egregie fallor, aut tapetium illud, vestis stragula aut quocunque nomine appelles, involucrum est cortinae, quam *ὅλμον* esse frustra negat Ottofredus Müllerus, tripodi plerumque impositae, forma sphaerae dimidiatae pelvim seu lebetem referentis. Scilicet e diligentiore monumentorum antiquorum ad tripodem Delphicum pertinentium contemplatione satis constat, magnificum aliquod involucrum, operimentum retis instar contextum fimbriis dependentibus (*ἕλυτρον*, *περικάλυμμα* appelles, perinde est) cortinae, si vacaret tripus a negotiis et consulentium confluxu, imponi solitum fuisse, ne labes illi adspergeretur, aut sordes adhaerescerent. Nihil aptius igitur, et ad impetum insani hominis in tripodem illum, salutis suae ultimum praesidium, irruentis graphice depingendum efficacius cogitari potuit, quam quo pictor vasculorum hoc significare conatus est. Manum tripodi iniicit furibundus Orestes, cortinam arrepturus; sed frustratur impetus; operimentum implicatur digitis, implexum defluit ad pedes tripodis, quod cum delapsum esset, avidissime illud arripuisse censendus est Orestes, quippe, si illo incubaret et involveretur, piaculum illi aut quasi propugnaculum futurum propter religionem tripodis. In promtu sunt figurae involucrum eiusmodi, lineis virgatis per eius textu-

ram discurrentibus, exhibentes. Exstat nobilissimus Mamertinorum nummus, cortinam e tripode sublatam et humi depositam ita commonstrans, ut reticulatum illud operimentum luculenter appareat. Publicavit primum Eckhelius in Sylloge I. *nummorum ineditorum*, tab. II. n. 11. unde, si forte haec Sylloge non sit ad manus, delineatam illam dedit Ottofredus Müllerus in tabula antiquissimos tripodes nobis ostendente, in Amalthea mea, Vol. I. Tab. III, 6. p. 119. Nec consuluisse pigebit eundem Eckhelium in *doctrina nummorum vet.* T. I. p. 224. quem more suo exscripsit Raschius in Lexico numismatico Supplem. T. II. p. 185. Dignus notatu ille nummus Mamertinorum hoc quoque nomine, quod oram ibi in fundo cortinae conspicias, firmiorem, protuberantem, id quod pulchre convenit cum fimbria seu limbo, qui conspicitur in pictura vasculi Milliniani, operimentum illud undique circumdante. Si plura huius operimenti δικτυωτοῦ exempla desideras, suppeditent nummi Seleucidarum, ubi Apollo ipse cortinae operimento eiusmodi circumdatae insidet. Exstant apud Pellerinium et in aliis collectionibus. Novissimum dedit Combius in *veterum urbium et populorum numis qui in Museo Britannico adservantur* (Londini 1814., quatern.) tab. XI. n. 24. Nec desunt anaglypha operimentum illud indicantia, quo pertinet cortina in basi candelabri celeberrima, quae in Museo nostro Dresdensi conspicitur; cortinae humi depositae in illa caelatura iniectum est palliolum (confer Mülleri tabulam supra laudatam n. B.); sed plura hic accumulare exempla putidum foret. Enimvero negari nequit, figuram in vasculo tuo pulvinari delicatiorum hominum plumis distento similiorem esse, quam operimento simplici. Sed de his noli laborare. Pictoris est inscitia. —

Habes hic, Vir Praeclarissime, quae mihi in animum inciderunt vas elegantissimum in dissertatione Tua contemplanti. Tu pro ea, qua polles, sagacitate perpende, examina singula. Si non persuasero, operam tamen meam me non lusisse putabo. Occasionem enim haec Tibi perscribendi nactus sum, Tecum de rebus, quae Tibi mihique cordi sunt, consilia conferendi, confabulandi, Teque, ut memoriam meam animo Tuo plane excidere ne patiaris,

enixis precibus a Te contendendi. Video epistolam meam iam modulum scriptionis eiusmodi excessisse. Ergo verbum hodie non addam, magnum harum literarum fructum me tulisse putaturus, si respondere mihi et otium suppetat et impellat animus. Saluta nomine meo Virum Summum Orstedium, Mullerum ordinis Theologici ornamentum, et si qui sunt alii, iuniores, quos hic visendi amplexandique iucundissima sese mihi obtulit occasio. Vale meque de meliore nota commendatum tibi habe. D. Dresdae a. d. XII. Mart. MDCCCXXVI.

XXVIII.

DE LOCO HORATIANO A GROEBELIO, VIRO CL. IN PROLUSIONE SCHOLASTICA ITA TENTATO, UT VULGATAM LECTIONEM PLANE INEPTAM ESSE OSTENDERE CONARETUR *).

Magna mihi cum Groebelio nostro intercessit familiaritas ab eo inde tempore, quo Goerlitio evocatus ad illustre Gymnasium Dresdense, Scholam Crucianam appellant, regundum admotus fuit. Scilicet vetus haec fuit inter nos necessitudo, cui haud leve momentum addidit illud, quod et ipse in eodem ludo literario, in quo prima iuventutis posuisse tirocinia studiisque, quae ab humanitate nomen habent, a teneris assuevisse semper in maximo lucro deputavi, in schola, cui Deus faveat, Portensi educatus institutusque ad disciplinae severioris, qua continentur ibi bonae indolis adolescentuli, normam exigeret Scholae, quam moderari iussus erat, Crucianae instituta in eoque elaboraret sedulo, ut praeter horas, in quibus in subsellis scholasticis desudan-

*) Haec dissertatiuncula cum epistola adnexa primum inserta legebatur in Diura. scholast. a. 1829. scid. 56.

tes discipuli operam darent praeceptoribus assiduam, dispersi per urbem oblectamentorum irritamentorumque plenissimam privatis quoque intra domesticos parietes studiis honestissima quotidie animi ingeniique quaererent pabula, pensa, quae extra ordinem lectionum publicarum per mantissam adhuc illis imperata essent, subsidiis literariis undique conquisitis pro captu aetatis suae subtiliter admodum tractarent, disputationibus et sermonibus Latino sermone agitandis et linguae facultatem sibi compararent haud contemnendam et ingenium ad quaslibet quaestiones examinandas disceptandasque exacuerent subigerentque, denique nil non facerent, ut otii quoque illis concessi probe constaret ratio caverentque, ne unquam laboris taedium obreperet satietasque. Atque haec inprimis deberi Groebelii, Rectoris plane incomparabilis, industriae et vigilantiae, a collegis eius amice cum illo conspirantibus sustentatae, non solum ils, qui Dresdam incolunt, sed quotquot bonis literis favent in Saxonia, doctorum hominum ad antiquiorem severioremque disciplinam conformatorum nutrice felicissima, omnibus patet liquetque. Scilicet res eo iam perducta est, ut Scholae Crucianae fama volitet ubique per ora virum, adolescentulique, qui quotannis hinc ad ampliora Academiae Lipsiensis spatia emetienda in panegyri dimittuntur publica, Lipsiae quoque industriae et probitatis laudem iam diu sibi pepererint egregiam dignique habeantur, ut praemiis stipendiisque in re plerumque angusta adiuventur ornenturque prae caeteris. Quae cum ita sint, Groebelio nostro praeter scholas in Gymnasio habendas bonae frugis plenissimas, tempus ad veteris Graeciae Latiique auctores edendos emendandosque aliasque, quibus magistri scholarum otium oblectant suum, curas philologicas vix suppetere posse, per se apparet. Crevit in immensum coetus scholasticus, affluentibus undique pueris, qui huius disciplinae miro severitatis et comitatis temperamento conditae fructu impertiri cupiunt, et traduntur in manus eius adolescentuli illustri loco nati a parentibus hanc publicam bonarum artium officinam, aemulatione iuvenum laudis cupiditate incensorum mirifice ferventem, cuilibet pueritiae custodi privato longe anteponendam esse probe intelligentibus. Hos omnes in arctiorem

gyrum strictioris disciplinae redigit et, ne diffluant otio, maximopere cavet Groebelius, pensorum domi perficiendorum exactor diligentissimus, discursationum et conventiculorum, si quis forte iis irretitus haeserit, explorator oculatissimus. Nil impedit tamen, quo minus, qui in Philologiae viridariis uberrimo proventu quotidie propullulant efflorescuntque, flosculos sibi ipse quoque magno cum delectu decerpat et ad coronas, si quando usus venerit, nectendas seponat, illud infixum habens in animo, bonum rectorem ingentia rura spectare libenter et laudare, parva colere. Enimvero, quando ineunte vere lustratio studiorum publica indicenda et orationum a discipulis, qui postquam adoleverunt et ad maturitatem pervenerunt, evolare cupiunt, in frequentissima civium omnis ordinis et sexus corona pronuntiandarum solemnitas tabulis publice propositis concelebranda est, nunquam hanc opportunitatem de rebus ad antiquitatem spectantibus disserendi praetermittendam sibi esse ducit, locum tractat Ciceronianum vel Horatianum, cui vel interpretatione nova lucem affundi, vel emendatione labem, quae aliorum aciem effugerit, elui posse sibi persuasit. Sic decem iam amicorum discipulorumque manibus tenentur specimina observationum in auctores classicos Romanos, hac occasione elimata, in quibus nemo cordatus nec acumen, quo pollet, ingenii, nec lectionis multifariae, qua abundat, copiam unquam desideravit. Ultimum cum anno superiore ab illo proponeretur, decumbebam equidem in lectulo, valetudine adversa diu conflictatus et languore solutus. Arripiebam tamen libellum, quem auctor amicissimus ad me perferri iusserat, legebam magna cum voluptate quae subtiliter admodum et argumentorum bene inter se cohaerentium nexu probabiliter disputaverat, sed re penitius perspecta assentiri coniecturae speciosae sane et facili non poteram. Itaque subiit animum cogitatio conicere in chartas, quae me in illa examinanda offenderant, ut, quae scrupulum iniecissent, ad stili acumen exigerem. Statim igitur chartis, quae succurrerent, illevi excitaturus animum hoc commentandi studio et taediam e diuturno languore contractum expulsurus. Scripsi epistolam ad Groebelium meum, quae assensum inhiberent,

aperte eloquutus. Multum tamen abfuit, ut quae oblectandi animi causa scripsissem, cum aliis communicare in animum inducerem, nimis me fastidiosum fuisse, ut solent, qui aegrotant, et iniquum in Viri Eruditissimi iudicio aestimando ratus. Nugas seniles, ut sunt, esse existimavi et reposui in scriniis. Atqui postulaverat nuper a me Vir Summe Venerabilis, *Zimmermannus*, ut symbolam conferrem quantulamcunque ad Ephemeridas scholasticas ab ipso editas. Condixi. Sed mox poenituit promissorum temporis angustiis interclusum. Monuit Leskius, redemtor libri illius honestissimus, standum esse promissis. Vellicavit idemtidem auriculam. Hic cum loculos meos excuterem nec, quo operae pretium facerem, reperirem, incidi in epistolam illam iam diu in latebris delitescentem. Depromsi invitus, sed ne plane bonam copiam eiurarem, aliquid certe faciendum esse arbitratus. Venia igitur a Groebelio, quicum antea iam communicaveram illam epistolam, impetrata, ut publici iuris facerem, quae inter nos transacta erant nullis arbitris admotis, transscribendam dedi et ephemeridibus illis inserendam transmisi. Tentavit nimirum Groebelius in prolusione, de qua sermo est, Horatii verba I. Od. 37, 14., in quibus de Cleopatrae fuga turpissima in proelio Actiaco ita loquitur, ut pavore et terriculamentis quasi Panicis, id est inanibus, exagitatam, a Caesare Octaviano autem vero demum timore perculsam esse affirmet — *mentem lymphatam Mareotico Redegit in veros timores Caesar.* Magnum hic scrupulum iniecit Groebelio mens lymphata vino Mareotico. Primum enim contendit non bene convenire ebrietati timorem, quod inter omnes constet, qui paulo plus adbiberit, omnem abiicere ex animo aegritudinem, fieri audaculum, sumere cornua, trudi ad proelia inertem. Deinde vix credi posse affirmat, Cleopatrae hanc quoque ebrietatis notam inurere voluisse poetam, quam generosae indolis et magni animi feminam in hac ipsa ode laudibus extollat magnificis, nec apud Dionem, ubi proscindit illam convitiis Caesar, nec in aliis auctorum locis hoc quoque illi opprobrio datum esse, quod in compotationibus ipsa quoque vino se ingurgitaverit. Prodigiis illam ante commissum proelium illi oblatis perturbatam in fugam se de-

disse, vulgarem esse apud historicos famam. De vino altum ubique silentium. Itaque ex omnibus his difficultatibus facile nos extricari posse, si levi unius literulae immutatione Mereotico refingamus in Mareoticae. Nam cum vilipenderent Romani Aegyptios eosque propter vitia et superstitiones, quibus inquinati essent, valde despicatui haberent, Cleopatram quoque simpliciter Aegyptiam mulierem appellare illos consuevisse, id quod exemplis probat, quae facile augeri potuissent. Atqui perinde esse, Aegyptiamne illam appellaverit contemtim poeta, an Mareoticam, quod eadem plane significatione, qua Aegyptii nomen, saepe occurrat apud Martialem aliosque Romanorum poetas. Sic tolli omnem difficultatem et structuram verborum impediriorem secundum regulas sanae grammaticae melius procedere. Nil mirum profecto, valde arrisisse hanc loci difficilioris medelam Groebelio nostro, cum in eandem emendandi loci rationem, quod Groebelium fugit, cum illa scriberet, incidit ineunte iam saeculo superiore Bouhierius, Francogallus, Praesul supremae curiae Divionensis, dissertatione et observationibus in Herodotum scriptis celeberrimus, ex cuius schedis, Divione in amplissimam bibliothecam Parisinam illatis, emendationes observationesque Bouhierii, quas literis ad amicos scriptis inseruerat, primum in lucem edidit amicissimus, cum in vivis esset, Millinus in libellis menstruis *Magasin encyclopédique* dictis, deinde in unum fasciculum collectas prelis iterum subiecit librarius Parisinus, *de Lance*. Is igitur in magni Bentleii illustratione huius loci parum acquiescens pariter tentaverat iam, iisdem fere rationibus inductus, eandem emendationem, Mareoticae legendum esse suadens, non Mareotico *). Nec dubitamus

*) *Remarques inédites du Président Bouhier* — sur quelques passages d'Horace, publiées par G. Prunelle, bibliothécaire de l'Université de Montpellier, à Paris, chez Delance 1807. 110 pages in 8. Emendatio loci nostri extat in illo libello p. 45—47. [Groebelii ingenium unumquemque ab inani gloriolae aliis surreptae cupiditate alienissimum qui noti fecerunt, e Boettigeri verbis eo facilius ad suspicionem de plagio aliquo literario deferri possent, quo lubentius, qui ipsi nil proferre valent, aliis sua reperta invidere solent. Illis igitur a Groebelio fusus sanctissima fide interposita testor, Bouhierii librum et, quae de loco Horatiano ibi proposita legitur, coniecturam per Boettigeri demum epistolam ipsi innotuisse. Quodsi Praesulis Divionensis scrinia compilare voluisset, cautio-

idem aliis quoque venire potuisse in mentem, quamquam Groebelium nostrum, quo candore est animi, nemini hanc emendationem sublegisse, quovis pignore contendere ausim.

Atque haec quidem praemittenda esse duxi huic epistolae, cum prolusio illa, quod dolemus et quod saepissime usu venit in huiusmodi prolusionibus, bonae frugis plenis, sed, cum evolaverint, vix uspiam retrahendis, paucis admodum extra arctiores, quibus hae scriptiones circumscriptae sunt, limites innotuisse consentaneum sit.

Dresdae. Ipsis Calendis Martiis. MDCCCXXIX.

EPISTOLA AD *CHRISTIANUM ERNESTUM AUGUSTUM GROEBELIUM* MISSA.

Legi prolusionem *), qua nos ad panegyrin scholasticam celebrandam invitasti, et ibi quoque exosculatus sum ingenii, quo polles, acumen. Demonstraturus enim naevum insidere loco Horatiano, qui in ore est omnibus neminique adhuc suspectus Tibi iniecit scrupulum, fecisti sedulo, ut, quam ipse subodoratus esse Tibi videbaris, fraus aliis quoque suboleret emunctae naris hominibus, magnaque industria et lectionis copia collegisti, quibus fulciri constabilirique posse coniecturam Tuam existimares, pleraque omnia. Enimvero, re diu multumque perpensa, facere non potui, quin emendationem, quam proposuisti, ingeniosam hercle et argumentis satis idoneis innixam, Horatio frustra a Te obtrudi statuerem. Quod quidem ne invidiosius aut arrogantius a me dictum esse videatur, lubet expromere paucis quae mihi, cum legerem prolusionem Tuam, commodum venerunt in mentem et quibus rationibus inductus secus opinari et Horatium a labe, quam Tu illi abstergere

rem certe sese praestare debebat, quam, quod fecit, in Observationum in scriptores Roman. classicos specimine IX. p. 15. disertis verbis indicare, se de hoc loco Horatiano coniecturam istam propositurum esse. Nimirum hic quoque ad Iacobsii praefationem lectionum Stobensium digitum intendisse licebat. EDITOR.]

*) *Ad examen publicum — invitat Groebelius.* Praemissum est Observationum in scriptores Romanorum classicos Specimen X. Dresdae 1829. Locus tractatus extat Od. I, 37, 14.

conatus es, plane parum esse statuerem, expedire, ab re non alienum esse putavi.

Pupugit animum ab initio statim illud, quod Bentleium ipsum, cum, mutata Critici persona, interpretis munere sibi fungendum esse censeret in loco difficiliori explicando, fucum fecisse omnibus, qui post eum interpretarentur Horatium, aperte pronuntiasti. Nam cui non hac aetate, οἷοι νῦν βροτοὶ ἐσμεν, a tanti viri sententia in Horatii vera mente indaganda nisi gravissimis argumentis expugnatum discedere religio est? Tu vero tanta auctoritate parum permotus affirmas, magnum Bentleium hallucinatum esse in eo, quod Mareoticum de vino intelligendum esse putaret, et rerum Tuarum satagis, ut temulentiae et ebrietatis maculam abstergas mulieri Aegyptiae tot aliis flagitiis contaminatae. Atqui aut egregie fallor, aut verum hic quoque vidit Criticorum, qui unquam vixerunt, perspicacissimus, nec ulla opus est emendatione, dum bene expendas Bentleianum illud: *Urbane et amare dictum est.*

Lymphata fuit Cleopatra, h. e. vanis terriculamentis et intemperiis nescio quibus exagitata ab initio pugnae Actiacae cum sexaginta navibus suis aufugiens Antonium, quo victo ipsi quoque pereundum esset, pessumdedit. In vulgus notum, quid Romanis fuerit mens lymphata. Lymphia Nympham sonat pronunciatione dialecti Aeolicae, unde Romanus sermo maximam partem derivatur. Rustici fuerunt Romani a primordiis suis, sermo rusticus, superstitiones rus merum olentes rusticorum hominum mentem invaserant. Faunorum terroribus et ludibriis, quibus mentes illorum percussas fuisse sexcentis probari potest locis, addiderant nympharum e fontibus subito prosilientium et, quos corripuissent, secum abstrahentium, phasmata, quibus conspectis ad vesaniam adigi homines vulgaris erat opinio. Rem omnem expedit locus in Festi Excerptis (nam Festus ipse periit) s. v. *lymphae* p. 210. edit. Dac. „Lymphae dictae sunt nymphae. Vulgo autem memoriae proditum est, quicunque speciem quandam (φάσμα) e fonte, id est effigiem nymphae viderint, *furendi finem non fecisse*, quos Graeci νυμφολήπτους vocant, Latini lymphatos appellant." Notatu digna verba illa: finem furendi non fa-

ciunt. Scilicet metu isti lymphati ad id insaniae adacti homines, ut furere nunquam desinerent. Furore correpti discursabant, donec exanimes concíderent. Qui plura desiderat (nam haec omnia ad nauseam usque iam inculcata sunt, postquam Daniel. Heinsius haec scite exposuerat in commentario bonae frugis pleno ad Horat. I. Serm. 5, 98.), adeat, *Albertum* et quos laudavit ad Hesychium s. v. *νυμφόληπτος*, T. II. c. 693, 3. His praemissis inspicianmus locum nostrum, in quo cum lymphatam fuisse Cleopatram clamaret poeta, non potuit quin lymphas quoque fontanas cogitaret, etymon vocis sectatus. Iam salse irridens, indignabundus quasi et stomachabundus addit: Mareotico. Sensus plenus fuisset, etiamsi hoc non adiecisset. *Sie rannte wie besessen davon*, dicturi essemus sermone vernaculo. Iam subito poetae in mentem venit, rem aliter explicari vix posse, quam confugisse illam ad expellendum ex animo pessima quaeque praesagiente metum ad calices meraciores vini generosissimi in vinetis regiis prope Alexandriam nati, Mareotici. Optime Vossius in versione paucis aequiparanda:

Geisterschwindel, den Mareotiker
Aufbrausete.

Audax verborum conversio, sed verum sensum pulcherrime exprimens. Nostrates forsitan dicturi fuissent: *War's doch, als haette sie den Geist in mareotischem Wein ersaeuft!*

Vides, Vir amicissime, non temulentiam vinosae competatrici exprobrare voluisse poetam, sed hoc tantum egisse, ut urbane causam se tandem reperisse comminisceretur, qui factum sit, ut repentino et quasi *θεηλάτῳ* timore perculsa fugam capesseret, mentis parum compos. Res aliter explicari non potest scilicet. Paulo plus adbiberat. Sic intellexit Bentleius, qui merito reprehendit interpretes, de vera ebrietate nescio quid somniantes. Et quis neget, Cleopatram indulsisse quoque vino in conviviis sumptuosissimis cum Antonio accumbentem, qui novus scilicet Dionysus (extant numi cistophori cum capite Antonii hedera cincto et Cleopatrae imagine, quos illustrans docte Antonii insaniam alterum Bacchum sese esse fingentis tractavit *Eckheliius* in

D. N. Vet. T. VI. p. 64. sqq. cf. *Fabricius* ad Dion. Cass. L. 5, p. 607, 23.) comissationibus et compotationibus mirifice tum quoque, cum Venerem suam Cleopatram amplecteretur, delectatus est. Vero igitur consentaneum est, Cleopatram perpotasse quoque cum Antonio, quippe quae omnem pudorem dudum deposuisset et pedes quoque in convivio Antonio perfricandos daret palam et in conspectu omnium, quod Plutarchus narravit. Et diserte idem refert historicus, Cleopatram novas quotidie architectatam esse delicias, quibus effascinaret mentem Antonii die noctuque hoc unum agens. *Καὶ γὰρ συνεκύβευε, καὶ ΣΥΝΕΠΙΙΝΕ, καὶ συνεθήρευε, καὶ γυμναζόμενον ἐν ὅπλοις — ἐθεᾶτο* (hic excidit *ἔνοπλος*, nam quid novi, si tantum spectasset, nec viri ipsa quoque arma induisset, altera Pallas scilicet, quae nupserat illi iam Athenis) Plutarch. in vita Anton. c. 29. T. VI. p. 98. *Hutten.* Idem alibi loquitur de *παροινίαις*, quibus una cum Cleopatra indulserit Antonius. Non abhorret a vero, fando accepisse Horatium ab iis, qui illam nefandam luxuriem et libidinum volutationes penitius cognoverant (*σύνοδον ἀμιμητοβίων* Plut. in Ant. c. 28. p. 96.), propinasse illam etiamnum ante pugnam Actiacam Antonio suo vinum Mareoticum?

Nam cogitemus et illud, vinum illud exquisitissimum haud dubie in cellis regiae Alexandrinae eodem loco et numero habitum fuisse, quo Falernum et Caecubum in Italia. Parum ferax fuit vini Aegyptus, sed Mareotides albae iam illa aetate, quod constat e Georgicis Virgilii, probe innotuerant Romanis (comparandae forsitan cum vino illo generosissimo, quod hodie in remotissimo Africae promontorio Bonae Spei nomine insigniito auro contra carum habetur, *Cap-Wein*). Ad lacum Mareotidem sitae erant vineae hoc vino nobilitatae prope Alexandriam. Locus classicus de hoc vino est apud Strabonem, qui floruit sub Augusto, lib. XVII, p. 1150. c. seq. *Εὐοινία τέ ἐστι περὶ τοὺς τόπους· ὥστε καὶ διαχεῖσθαι πρὸς παλαίωσιν τὸν Μαρεῶτιν οἶνον.* Plura ibi ex aliis interpretibus excerpsit Almeloveenius. Proveniebat idem in tractu terrae taeniae instar in mare procurrente prope illum lacum, quod *Ταινιωτικὸν* propterea appellabatur et odoriferum habebatur, *ἀρωματῶδες*, id quod

constat ex Athenaeo I. p. 33. D. sive c. 60. p. 126. *Schweigh.* Atque ex Athenaeo quoque coniectura assequi possumus, vinum illud a Maronea Thraciae oppido, vini generosissimi feracissimo, huc propagatum fuisse. Nam quis ignorat vinum Maroneum in Odyssea? Iam illud quoque apparet, Romanos, qui legerent in illa ode vinum Mareoticum, probe intellexisse, de vino sermonem esse, quod Aegypti regina saepissime ministrasset Antonio, Circes poculum, quo ipsa quoque incantatrix tandem perierit.

Ponamus vero Horatium dixisse *Mareoticae*, quae Tua est coniectura, Vir eruditissime, num putas illa aetate, qua hanc oden composuit Lyricus Romanus, Mareotici nomen in genere iam ita pervulgatum fuisse usuque tritum apud Romanos, ut simpliciter poneretur loco Aegyptii? Ego vero valde dubito. Aegyptia saepe audit Cleopatra, quod pluribus locis Tu demonstrasti et pluribus adhuc e Plutarchi vita Antonii doceri potuisset. Et cum contemtu quodam hoc dictum quis neget? Sed num, Mareoticam quoque si simpliciter appellasset Horatius, id intellectum fuisset aetate Horatii ab aequalibus, anceps haereo. Nam quae Tu e Martiale, Statio cet. attulisti exempla, argumento sunt, illorum poetarum aetate, spatio septuaginta annorum et quod excurrit iam praeterlapso, invaluisse usum nominis illius ita, ut quilibet Aegyptium intelligi in universum hoc audito statim deprehenderet. Nam influxerat tum Nilus in Tiberim, deliciis Alexandrinis inhiabant Romulidae et vini Mareotici indoles et ingenium ita illustraverat solum nativum, ut iam Memphiticum, Niloticum, Mareoticum et Alexandrinum fere idem sonarent. Sed quis affirmaverit, idem iam usu venisse Horatii aetate, qua Aegyptus primum in provinciam redacta est. Nam non repentina ista pestis ingruit populo togato. Pedetentim serpsit et incruduit iste morbus, nec subito factum est, ut Aegyptus Romanis paullatim omnem deliciarum nequitiarumque suarum labem affricaret *).

*) Operae pretium fecerit sane, qui vitiorum contagia, quemadmodum e colluvie illa Graecorum et Aegyptiorum, qui Alexandriam confluxerant, *paulatim* manaverunt ad Romanos inde a Iulii Caesaris temporibus, diligentius, quam adhuc factum est, descripserit. Haud pauca, quae ad hanc rem faciant, constipavit, ut erat sollers et assiduus in his conquirendis, sed in digerendis negligentior, Polyhistor Gottingensis, *Meiner-*

Caeterum satis constat, totam illam regionem, vini proventu, palmetis et hortis fecundissimis mirifice olim ditatam, procedente tempore multis iam abhinc saeculis una cum lacu exaruisse et vix ulla hodie illius extare vestigia, quae qui penitius cognoscendi investigandique studio tenetur, consulat, si otium est, praeter Larcherii indicem Geographicum, Francogallicae versioni additum T. VIII. p. 319. indagatorem rerum Aegyptiarum sagacissimum, qui Arabicos quoque scriptores diligenter excussit et historiam illius regionis subtiliter admodum ac pererudite contexuit, *Quatremerium*, *Mémoires géographiques sur l'Egypte* T. I. p. 375 — 380. Cui addendus nunc est excursus de conditione Aegypti, cum Turcae illam invaderent, in *Hammeri* nostri Historia Osmanica, immensae lectionis opere, Volumine tertio.

Quae cum ita sint, veniam a Te, Vir humanissime, pro ea, quae in Te est, humanitate et comitate, me facile impetraturum esse spero, vel, si pateris, plane confido, si satis esse existimem, acquiescere in lectione antiqua, nulla codicum varietate unquam labefactata, paucorum virorum doctorum, quod scimus, dubitatione adhuc in controversiam adducta et sensum, si rem recte reputaveris, fundente egregium, urbanitate et sale Horatiano conditum et, dummodo historiam illius temporis vel potius tragoediae istius, qua orbis Romanus contremuit, funestissimae totum choragium recte tenueris, ponderosissimum. Dicam, quod

---

sius in libro e variis dissertationibus, quas separatim ediderat, conflato: *Geschichte des Verfalls der Sitten der Römer in dem ersten Jahrhunderte n. Chr. Geburt.* Sed promiscue effudit omnia. Maiorem a nobis gratiam iniisset, si per singulas regiones eundo et tempora accuratius distinguendo veram contagionis illius imaginem ob oculos nobis posuisset. Multa, quomodo ex Aegypto profecta ad Romanos penetraverint cum Cataplo illo Puteolanensi, recentioribus Francogallorum inprimis curis, in quibus eminet *Letronnius*, elucubrata huc advocari possent. In partes vocandum etiam opus musivum, fama nobilitatum, Praeneste olim effossum et in aedibus Barberinis conservatum, quod nuperrime illustravit Romanus archaeologus, doctissimus *Fea*. Praesto sunt picturae nonnullae Herculanenses ad idem genus referendae. In promtu sunt sexcenta alia, Aegyptum sub Imperatoribus Romanis spectantia, nondum in classes et tempora redacta. Multum iuvabit Adriani epistola a Vopisco in Saturnino c. 8. servata. Delicias Alexandrinas, i. e. pueros ad omnem nequitiam prostratos, illustraverunt iam *Ramiresius* ad Martial. IV, 42. p. 332. et VV. DD. ad Quintilianum l. 2. p. 27. *Burm.*

res est. Statim ab initio dissertationis verbum proloquutus es, quo parum abfuit, quin in magnum terrorem coniicerer. Dixisti satis ingenue: si locus iste sanus est, nescio equidem an poetam ipsum satis sanum fuisse dicam. Verum est, insaniunt interdum poetae, Horatio ipso auctore. Sed vide, an hoc loco insanierit gravissimum impotentissimae mulieri aculeum infigens poeta, quando Mareotico lymphatam illam et fugae et cladis auctorem vere ἀρχέκακον fuisse pronuntiavit?

Verum enimvero insunt huic odae nonnulla alia, quae adhuc dubium movere possint et, nisi me ratio fallit, nondum plane ad liquidum perducta. Huc refero gregem contaminatum turpium virorum, in quo illud *morbo* me semper male habuit. Nam concinnitatem orationis valde turbat. Scio morbosos vocari pathicos et Senecam de impudico morbum suum confitente loqui. Sed inest *ταυτολόγον* in grege contaminato (semiviro) et in turpibus morbo viris. Male haec inter se cohaerent. Nam quod dicas, cumulasse poetam verba ad augendam infamiam, id non cadit in subtilitatem poetae unius omnium tersissimi limatissimique. Video, Vir praestantissime, Te in scriptione scholastica hunc locum pertractare non potuisse, cum abstinendum esset a verbis praetextatis. Sed a re mihi alienum non visum est, intendere digitum ad locum, qui mirifice exercuit ingenium interpretum *). Sed per mihi gratum feceris, si quid de loco illo statuas. Nam accurate admodum et dexteritate mira manus salutiferas attulisti loco

*) Vexatissimo loco succurrit Bentleius emendatione subtiliter ventilata: *opprobriorum*, nec probavit tamen viris doctis eam emendationem. Hinc *Lamberto Bosio* in *Animadversionum ad scriptores quosdam Latinos specimine* p. 34. in mentem venit coniicere: *orbo virorum*, quod propter praecedentem literam m habet, quo blandiatur Criticis. Sed novum monstrum conflavit Abbas Galiani, Diderotii aliorumque, quos Encyclopaedistas appellarunt olim, contubernio celebratus, Vitruvii editor, sed ingenio suo interdum abusus. Is enim morbum, quo spadones Cleopatrae cum toto illo grege contaminati fuerint, lepram fuisse contendit, merito ob id commenti irrisus a Vanderburgio, novissimo apud Francogallos Horatii odarum interprete, in notis versioni eius additis: *Horatii Carminum libri V.* (Parisiis 1812. voluminibus tribus) Vol. I. p. 354. seq. Nae, magnam a lectoribus Horatii gratiam inierit, qui naevum nitidissimo scriptori hic insidentem perpurgaverit.

in eiusdem odes stropha sequente, ubi legitur: *reparare oras* *).

XXIX.

DE LOBECKII AGLAOPHAMO NARRATIO **).

Prodiit nuper Aglaophamus, opus tripartitum, mysteria Eleusinia, Orphica et Samothracia complexum, quo *Lobeckium* cum de universa republica literaria, tum de sollertibus antiquitatis Graecae indagatoribus praeclare meritum esse, uno ore profitentur omnes, qui partium studio non occaecati verum et id quod res est videre potuerunt. Nam quo magis fervent adhuc studia doctrinae mysticae, e domiciliis Indicis, Phoeniciis, Aegyptiis ad antiquissimos Graeciae incolas per miras ambages translatae; quo magis arridet mythorum explicatio, quam vulgo vocant, symbolica, et ad palatum est plerisque omnibus, quos taedet pigetque harum, quas hactenus satis probabiles esse duximus in antiquitate perscrutanda, formarum quotidianarum: eo maiorem expectationem concitare debuit apud cordatos omnes Regiomontani philologi celeberrimi in his refellendis opera iam dudum posita et academicis disputationibus per hos viginti fere annos maximo cum plausu et suffragiis bonorum omnium disseminata. Nec fefellit opi-

*) Locum iam diu pro conclamato habitum non satis feliciter expedivit ipse Bentleius. Groebelius in prolusione anno huius saeculi 1821 edita legendum esse *peragravit* aut *peraravit*, excussis aliorum interpretum coniecturis, auctor suasorque fuit. Fateor, nunquam mihi persuaderi potuisse in loquendi formula, *reparare oras*, reparandi verbum simpliciter positum esse pro *parare*, in qua explicatione acquievit tamen recentissimus Horatii interpres, *Doeringius* meus, quicum vivere amem, quicum obeam libens, et quidquid obstrepant laudum eius obtrectatores, editione illa Horatii, ad palatum elegantiorum hominum, quid Horatius sibi velit, paucis sibi expediri cupientium, pulchre accommodata. Ea enim prima editionis illius secundis et tertiis curis iam repetitae et in Britannia quoque typis expressae dos est. Nec desunt coniecturae et interpretationes, quae passim in illa extant, ingeniosissimae.

**) Edita in diurn. liter. Lipsiens. a. 1830. scid. 134.

nionem de tali opere conceptum consummatissimi operis luculenta editio, typorum forma et chartarum splendore exteris quoque sordium nostrarum pertaesis lenocinans. Desinent igitur, quotquot in Germania antiquitatis studio tenentur et in illustrandis literaturae et artis priscae monumentis operam collocant assiduam, magnifice loqui de recondita et abstrusa doctrinae divinioris indole, quae in mysteriis initiatorum paulatim instillata sit animis; desinent narrare de occulta quadam sapientia et a deorum, quos civitas coluit, veneratione in adyta sacri horroris plena sevocante. Demonstravit iam Lobeckius argumentis gravissimis, titubare et infirmo talo stare pleraque omnia, quae quidem de mystarum et epoptarum disciplina arcana in sexcentis voluminibus speciose admodum et copiose exposita sunt, e quibus fontibus commentitia haec mysteriorum sapientia fluxerit, pulchre docens, in hoc uno forsan lectorum desideriis parum satisfecisse visus, quod, dum subtiliter investigat errorum penitus insidentium latebras, eorumque, qui fumum hactenus nobis vendiderunt, salse ridet praestigias dicam an ineptias, nonnulla neglexisse vel levi brachio tantum perstrinxisse videtur non contemnenda. Sic totum illud caput de spe immortalitatis illic ostensa obiter tantum (p. 810.) attigit, pauca delibans ex ingenti, qui ad pedes eius, cumulo, quamvis non ignoraret, Warburtonum et quicunque deinceps magni illius Hierophantae presserunt vestigia, hoc inprimis argumento ad arcani disciplinam in Eleusiniis demonstrandam constabiliendamque usos esse. Nimirum totus ille locus de praemiis et poenis apud inferos et de alterius vitae emolumentis et incommodis in ipsis Eleusiniis, cum noctu repente patefacta essent adyta, ab iis, qui mimo huic sacro praeessent, mystarum vel epoptarum oculis subiecta esse, non verbis scilicet, sed imaginibus adumbrata vel personatorum ministrorum choragio representata, atque adeo initiandorum animos hoc inprimis spectaculo perculsos et si qui ultra vulgus saperent, ad meditationem de conditione mortuorum instituendam perductos esse, nemo dubitabit, qui vel Platonis locos vel Furiarum inde in scenam inductarum fabulam totamque σκευασίαν vel ipsas Aristophanis Ranas recte perpenderit.

Spectatores, non auditores ceremoniis illis affuerunt initiandi. Quae quidem si curiosius explorasset vir in subodorandis fraudibus sagacissimus, non esset, quod calumniarentur adversarii, praevaricatum illum esse causae suae et arcem ipsam neglexisse, dum castella labefactaret et propugnacula machinis conquassaret validissimis. Et in universum Vir doctissimus non satis attendisse videtur ad haec, quae *monstrarentur* tantum, quod pro ea, qua pollet, sollertia praeclare monuit *Otofredus Mullerus*, Gottingensis archaeologus, in censura Ephemeridibus Gottingensibus (n. 13. 14.) de Aglaophamo inserta. Atque in reliquis etiam, quae disputat in illa censura iudex ab omni cupiditate alienus et rei antiquariae promus condus instructissimus, aut egregie fallimur, aut assentientes sibi habebit, qui quidem ad suffragia ferenda vocari possunt, in Germania nostra tantum non omnes. Unum urgere noluit Mullerus, ad quod hic digitum intendisse sufficiat. Arctissimo cum hac disputatione vinculo coniunctae et copulatae sunt monumentorum, quae ars prisca finxit, reliquiae. Dolendum vero, totum hoc genus in artis priscae operibus examinandis positum a Lobeckio negligentius tractatum vel plane praetermissum esse. *I. H. Vossium*, ad quem totum se componit, quem venerabundus depraedicat et quos ille insectabatur, sibi quoque sumit vel oblique notandos vel acriter perstringendos Lobeckius, imitandum sibi proposuit in eo quoque, ut his facile supersederi posse existimaret. Quod consilium vereor, ut omnibus, quorum interest haec anquirere, probaturus sit. Etenim si haec agere voluisset, innumera hic quoque interpretum mysteria ubique venantium et magno conatu nugas meras effutientium castigare potuisset deliramenta, *Iacobum Millingium*, acutissimum Anglo-Britanniae archaeologum in introductione ad vasa inedita p. IV. de toto isto commento, latere in sepulcris vasa initiatorum ritus referentia, parum honorifice sentientem in auxilium vocaturus. Sed de his ipse viderit Lobeckius. Hoc satis constat, multa in Bacchicis sacris, quae cum initiorum specie aliqua coniuncta fuisse nemo dubitat, ita administrata esse, ut ostenderentur pleraque, verba et praecepta vix unquam interponeren-

tur; denique lavacra, saltationes, lectisternia in fabulae vel mimi formam redacta fuisse, qui quidem ab initiandis ipsis repraesentarentur. Id quod, si animum attendisset, ipsum in eam deducere potuisset sententiam, non choreis tantum et tripudiis peractas fuisse initiationes, sed in ritu illorum delitescere etiam antiquissimae disciplinae propagationem quandam, cuius in vasculorum picturis manifesta deprehendi queant vestigia. Enimvero, ut hoc unum e magna, quae in promtu sunt, exemplorum copia seligam, nuptias sacras in mysteriis, si fas est ita appellare, quae orgia fuerunt, Bacchicis, per Campaniam et Magnam Graeciam quotannis celebratas a tironibus et mulieribus Liberi et Liberae personam ritu nuptiali sibi circumponentibus vel eam ob causam commemorare debuisset, quod sacris opertaneis e vasculorum pictura nova lux affulsisset, et quae in illis ad τὰ δεικνύμενα καὶ δρώμενα referrentur, patefactum fuisset. Scilicet semina in antiquissima de ἱερῷ γάμῳ a Iove et Iunone consummato historia sparsa propullulasse etiam in Eleusiniorum, agriculturae initia cum sacro ἀρότῳ ἐπὶ παίδων γνησίων coniungentium mysteriis, persuasissimum habeo. Hinc derivanda prima τοῦ τέλους in rebus sacris significatio; id quod cum ante hos viginti annos in commentario de nuptiis Aldobrandinis exposuissem copiosius, viros in hoc studiorum genere versatissimos calculum addidisse iis, quae disputaveram, magna cum voluptate intellexi. At Lobeckius interiorem illam τοῦ τέλους significationem, unde orta sit, parum curans in una Ruhnkenii nota indicanda acquiescendum sibi esse putavit. Sed altiorem haec sibi exposcunt investigationem, quam non capiunt huius narrationis angustiae, et audire mihi videor Regiomontanum archaeologum, in coniecturis haec posita esse, nec testimoniis idoneis suffulta, monentem, vel Satyrici versum nobis accinentem: *Pergula pictorum, veri nihil, omnia ficta.*

Haec praemittenda esse putavi animadversionibus, quibus ad notas quasdam in Aglaophamo consignatas respondendum mihi esse censuerunt amici, quibus morem gerere me oportuit. Scilicet quo uberiorem e lectione illius libri fructum percepi, quo magis recreatus sum im-

mensa lectionis copia, ex interioribus doctrinae solidae et succi plenae ταμιείοις exuberante scriptoresque omnium ordinum, ecclesiasticos quoque et sequioris aevi monumenta, quae pauci oppido vel oculis usurparunt suis, complexa; et quo magis tollendam praedicandamque esse iudicavi sollertiam eius et fortitudinem in depellenda peste, quam afflavit nostris quoque studiis interpretatio, ut vulgo appellant, mystica indies latius serpens: eo acrius me pupugit Viri Doctissimi iniquior sententia, saepius in illo libro de me pronuntiata. Animadverti enim Lobeckium eo in me esse animo, ut quotiescunque illi in mentem veniret, delitescere alicubi Boettigerum quendam, qui de rebus ad antiquitatem spectantibus disserere interdum conatus sit, me non honoris causa, ut fit, appellandum, sed vel inscitiae, vel vafrae in alienis suffurandis calliditatis, vel ridiculae ariolationis nota addita vellicandum suggillandumque esse decerneret. Atqui ego non ita mihi Suffenus sum, ut vanam mihi obrepere paterer opinionem, me cum summis aetatis nostrae philologis et celeberrimis utriusque linguae professoribus contendere posse de palma, omnibus in medio proposita, sed paucis admodum concessa. Non nesciebam, quam curta mihi esset supellex. Itaque satius putavi, ad illustrandum mythorum orbem et artis priscae, quae ab illis pendet, monumenta explicanda emendatis auctorum veterum locis uti, quam in illis emendandis et ad grammaticae criticaeque interpretationis normam exigendis desudare. Ab eo igitur tempore, quo Vimariam delatus consilium Terentii et Martialis edendi abieceram, valde diversa fuit studiorum meorum ratio. Placuit, quidquid a scholasticis laboribus lucrari possem subsecivi temporis, id omne archaeologicis consecrare disquisitionibus, auctore et adiutore Henrico Meyero, pictore eruditissimo. Scripsi perpauca, multa pronuntiavi de cathedra, adolescentulorum primo, dein virorum corona circumfusus, favore recreatus, extemporanea dicendi facultate sublevatus. Liquido affirmare possum, me commentarios de rebus ad antiquitatem pertinentibus scripturum, nisi accurate e fontibus ipsis conquisivissem et pensitassem omnia, ad edendos illos manum nunquam admoturum fuisse. Adversaria, in quae

congererem vel domi nata vel adventitia, nunquam habui, memoriae, quam satis tenacem nactus eram, confisus. Piguit certe puduitque aliorum compilare scrinia. Quae nec in numerato essent nec sponte sua succurrerent, aliis relinquenda esse, semper induxi in animum. Errantem saepe in viam comiter deduxerunt Viri humanissimi; fuisse, qui me acerbius perstringerent vel alienis plumis superbientem obiurgarent, non memini. Si quid molestius accideret, nil reposui, omnes eiusmodi velitationes valde exosus. Propterea Lobeckii quoque reprehensio quam mihi creavit molestiam, facile concoxissem, aequis lectoribus et peritis haec aliter visum iri, sperans. Sed ut indignationem hanc quantulamcunque ne premerem silentio, perpulit aliud. Feret aetatem liber Lobeckii et a posteris quoque magno cum fructu pervolutabitur. Haerebunt igitur maculae animo infenso et malevolentia nescio qua suffuso mihi adspersae, nisi labem illam absterserim, vel, quantum in me est, eluerim. Sed paucis admodum defungar ἐνὼν ἀέκοντί γε θυμῷ.

Dixeram olim in commentario, quem de originibus picturae apud Graecos composui (*Ideen zur Archaeologie der Malerei*), Romanos, praeter Sacra Bonae Deae, i. e. cultum Cereris rure in urbem delatae auctoritate publica, a matronis patriciis noctu celebrata (nondum enim poenitet explicationis alio loco, *Vasengemälde* II, 217. a me prolatae), mysteria vel sacra *operta* non habuisse et abhorruisse a pervigilationibus, quae totam Graeciam pervaserant omnique nequitiae fenestram aperuerant, diserto Dionysii Halicarnassensis testimonio id, quod affirmaveram, extra omnem positum esse controversiam arbitratus. Si cui dubium esset, *Bynkershoekii* exercitationem de religione peregrina laudaveram. Verum enimvero Lobeckius (p. 651.) *magnopere me errare* observat, quod Dionysii testimonio *abusus* Romae pervigilia fuisse negassem, *quae permulta ibi fuerint*. Nollem haec excidisse viro in indagandis ritibus, quos Graecia excoluit, sacris perspicaciori, quam in Romanis ceremoniis. Nam si vel unum Ciceronis locum de Legg. II, 15. inspexisset perpendissetque, quod decebat censorem ab omni cupiditate alienum,

temporibus rei publicae pervigilia publica, ac vel ipsa privata, nisi clancalum forsan irrepsissent, cum institutis et auctoritate publica adversa, quod aiunt, fronte pugnasse, ipse facile intellexisset, nec quae sub imperatoribus interdum agitata esse perhibentur, huc traxisset. Nam me de iis loquutum esse, quae rite fiebant, non praeter ordinem, ipsi quoque minus festinabundo satis apparuisset. Non ignorabam profecto, cum ista scriberem, sacra secularia ab Augusto nocturnis quoque supplicationibus ad augustiorem cultui plane insolito, diis γενεθλίοις praestito, speciem conciliandam instaurata, nec me fugiebant quae apud Suetonium extant pervigiliorum vestigia, a diligentissimo vitarum scriptore ideo annotata, quod parum usitata fuerunt sub imperatoribus quoque, et propter peregrinitatis notam male audiebant. Rem conficit locus luculentus apud Tacitum (Ann. XV, 44.). Pervigilium ibi commemoratur a matronis univiris in Capitolio cum sellisternio Iunoni celebratum. Pervigilasse interdum in cella Iunonis Capitolinae matronas superstitiosas, quis neget, et factitasse illas in cultu nocturno, quae Spanhemius observavit e Seneca et Varrone ad Callim. p. 620., monuimus alibi. Sed solemne, quod Tacitus refert, pervigilium secundum ritum a libris Sibyllinis imperatum extra ordinem peractum fuisse, patet e Zosimo II, 5. p. 166. Reitem., qui locus fugit Taciti interpretes. Atqui hi sunt loci a commentatoribus, quibus ambitiosius testimonium denuntiat Lobeckius, in medium prolati. Utinam placuisset illi Dionysii testimonio locum auctoris Romani opponere. Nam quod carmen a Lipsio primum e schedis Pithoei erutum, Pervigilium Veneris appellatum, huc trahunt nonnulli, nae, hi parum intelligunt, foetum hunc poeticum, ad Adriani tempora referendum, lepidissimum sane et Alexandrinum spirans ingenium, verum minime decantare pervigilium. Non me latebat Wernsdorfii ad illud carmen commentarius, quem si consuluisset censor meus, haud dubie scrupulum sibi iniectum sensisset. Nam caute admodum et dubitanter loquitur de pervigiliis Romanorum vir doctissimus.

Sed dicam longe graviorem mihi impingit supercilio-sus errorum meorum castigator, quando extispicum commo-

meanas praestigias et varia vocabula iecoris fibris indita, me, qui in eodem argumento versatus sum, *Bulengerum compilasse* pronuntiat (p. 881.), ne libri quidem, in quo me aliena suffurantem deprehenderit, mentione facta, quod eodem redit, ac si dixisset in universum: compilat Boettigerus. Sic designator Regiomontanus ad ima me detrudit subsellia. Monendus est lector, in libro paucis abhinc annis edito e schedis meis (*Ideen zur Kunst-Mythologie*) in eo capite, quod de sortibus et oraculis exponit duarum familiarum in religioso antiqui orbis cultu observandarum ratione habita, enumerasse me vocabula in iecore victimarum explicando occurrentia. Quod ut conficerem, Bulengerianam farraginem in usum meum me convertisse, contendit Lobeckius. Obstupui, fateor, cum haec legerem. Fidem tuam obtestor, lector benevole, compara, si otium est, Bulengeri collectanea cum iis, quae undique conquisita ipse redegi in ordinem. Multum, fateor, profeci ex Hesychio Albertiano, inprimis ex indice ad voc. *γλῶσσα* confecto. Laudantur ibi in notis Casaubonus ad Capitolini Pertinacem et magnus Bochartus. Utrumque laudavit etiam Lobeckius. Quid si dicerem, corrasisse illum illustrium praeclarissimorum nomina e notis ad Hesychium? Iniuriis forem. Nam qui omnes excussit antiquitatis loculos, nefi potuit non in haec quoque incidere. Perlegat, obsecro, eodem candore, quo est in alios, disputationem meam et videbit, haec e colluvie ista in areolas meas derivari non potuisse. Et, ut fit, libro meo in manus sumto, forsitan occurrissent illi quae disserui de Evemero (p. 186 — 195.) eaque in ea disputatione, quam instruit de Evemero (p. 138.), si hoc agere voluisset, laudari potuisse intelliget. Multus enim est in laudandis, quos quidem favore prosequitur, aliis. Sed cum semel induxisset in animum, me aut illaudatum dimittere, aut *ἐπισημασίας* suas in me conferre non sine fistula pastoritia, fieri non potuit, quin lubens volensque me nunquam non vel perstringeret vel derideret. Itaque in Epimetro de Cercopibus, in quo omnes explicuit copias suas et incredibilem in rimandis congerendisque auctorum locis probavit industriam, si, quae olim de illis nebulonibus dispu-

tavi in III. Amaltheae volumine, susque deque habenda et silentio praetereunda esse censuisset, non fuisset quod aegre ferrem, adieram ipse quoque eosdem, qui illi patuerunt, fontes; sed hoc tacite mecum reputassem, qui plures indagaverit scaturigines, qui plus aquae purae inde elicuerit, is optimus est aquilegus. Unum fortasse miratus essem, quod monumenta priscae artis, inprimis anaglyphum Selinuntinum, quae Cercopum referunt fabulam, accuratissime a me exposita, memoratu digna non habuisset. Sed sordent illi et obsolescunt, ut iam supra monui, quae e priscae artis reliquiis petuntur, omnia. At idem temperare sibi non potuit, quin, nulla disputationis meae mentione facta, bis (p. 1298. et 1308.) carperet, quae in eadem disputatione de Passali nomine in sensum nequiorem detorto et de verbi *καταοπᾶν* notione adspersissem, quorum quidem, pace Viri doctissimi dixerim, me nondum poenitet. Quaero ex te, lector benevole, quid hoc est nisi simultas inveterata et infestus animus, laedendi cupidus? Quid, quod in operosa disputatione de placentis, quam pemmatologiam sacram inscripsit, miro lectionis multifariae apparatu, sed eo haud dubie consilio composita, ut salse et festive rideret symbolicos, in his quoque rebus otio lectorum et ingenio suo abusos, facere non potuit, quin me cohorti illi adscriberet pedissequum, refricans scilicet memoriam scriptiunculae de placentis cornutis, quam ante hos duodequadraginta annos, cum apud Lusatos degerem, ludendi et animi recreandi causa in sodalitio Gorlicii coeunte praelegeram. Sancte iurare possum, iam dudum illius ex animo meo effluxisse memoriam. Monitoris partes suscepit Lobeckius. Risissem suaviter, si prolixam eius voluntatem agnovissem in aliis. Iam vero recordatus sum dicterii, quod in Hearnium, antiquarium Britannicum, omnia perscrutantem nec quidquam interire patientem, quo refelleret aliorum sententiam, coniecisse fertur Walpolius, auctor et imaginum splendore et ingenii ubertate nobilissimus: male sit, qui meorum me oblivisci non patitur! Sic aliquoties adhuc nomen meum commentariis suis inserere a persona sua non alienum esse duxit Lobeckius. Quod quo iure fecerit quave iniuria, penes aequos harum rerum ar-

bitros iudicium esto. Verbum non addam. Dabam Dresdae, Idibus Aprilibus. MDCCCXXX.

XXX.

DIIS MANIBUS

CHR. MART. WILANDI,

QUEM, CUM IN VIVIS ESSET, SEMPER PARENTIS LOCO HABUIT, A. D. XII. KALEND. FEBR. MDCCCXIII. AD BEATORUM INSULAS TRANSMITTENTI

PROPEMPTICON

C. A. BOETTIGER.

Tacit. Agric. 45.

Auget moestitiam, quod satiari vultu, complexu non contigit. —

Cippo sepulcrali in Cepotaphio Osmantino affingenda.

Hic plenos calathos exonerate,
Charites!
Wilandum, Vostras delicias,
Haec tegit sine pondere terra.
TU vero felix,
VIR praeconiis nostris maior,
Non vitae tantum claritate,
Sed opportunitate etiam mortis *).
Trisaeclisenex **),
Tribus, quibus literae vernaculae censentur, saeculis
Nomen immortale inscripsisti.
Poetarum, quibus Patria sese effert, Chorage,
Sive inexhaustam in ingenii fetibus promendis pubertatem,
Sive in flosculis undique delibandis sollertiam felicissimam,
Seu limatissimam elegantiam spectemus,
Ingeniosissime,
Olor, Luscinia, Apis.

*) Tacit. Agric. 45.

**) Sic Nestor audit in fragmento Laevii apud Gell. 19, 7.

PRINCIPIS,
Quem, fugientium literarum Statorem exosculatur Germaniae
Genius,
Alumni olim Tui,
Favore eximio recreatus,
Ad extremam, quam mortalibus contingere fas est, metam
Aevum molle deduxisti.
Cum fremerent tumultu omnia,
Horrida bella parturiret Septemtrio,
cum Cicerone Tuo,
cui immortuus es,
Illuc evolasti,
Ubi facta, quae displicerent, non audires *).
Idem tumulus continet
Uxorem lectissimam,
Puellamque, Sophiae Tuae neptem, dulcissimam,
His ossa Tua accubant.
Anima pia, serena, defaecata,
Qua candidiorem terra non tulit,
Adspirent Tibi aurae Elysiae **),
Et in urna perpetuum ver.
HAVE.

XXXI.

PRAEFATIO CATALOGI BIBLIOTHECAE F. V. REINHARDI

THEOLOGI PRIMARII

IN

REGNO SAXONIAE.

LECTORI SALUTEM.

Exiguae molis, sed bona copia refertum libellum Tibi offerimus, quicunque rei librariae tractandae cupidior non plebeia, sed lautissima tantum fercula ad palatum Tuum fa-

*) Cicero ad Div. VII. 30.

**) Inscriptio Regillae Analect. T. II. p. 16. vers. 22.

cere profiteris, Lector Benevole, librorum, quos bibliothecae suae intulerat et in contubernium suavissimum sibi adsciverat, Vir immortalis memoriae, S. V. FRANCISCUS VOLCMARUS REINHARDUS, indicem accuratissime conscriptum. Non nostrum est, praeconis iam vicibus fungi et supellectili librariae nomine tanti viri, qui volitat per ora virum volitabitque, dum literis honos suus constabit, plus satis commendatae, verborum lenociniis et praedicatione magnifica novum decus conciliare. Sufficit scire, haec esse volumina, quae ex ingentibus librorum copiis, quibus laborat magis, quam abundat aetas nostra, subtili, quo pollebat, iudicio selegit et non ad vanam, a qua semper abhorruit animus eius, ostentationem, sed ad verum sapientiae fructum collectos χρῆμα, οὐ κτῆμα suum esse voluit, trivitque assidue Vir laudibus nostris maior. Iam si a natura ita comparati sumus omnes, ut quantulumcunque eorum, quos vel itinerum longinquitas vel fatorum acerbitas nobis eripuit, monumentum nobis exstare velimus et ut tenerrimo affectu amplexemur exosculemurque ea, quae absentium vel fato functorum memoriam nobis in animum revocare possint; quidni libros, quos Reinhardus noster, dum in vivis esset, magna cum voluptate, si bonae frugis esse legendo comperiret, non sine indignatiuncula quadam, si spem de iis conceptam fallerent, diligentissime legit, excussit, pertractavit, ad leniendum Viri Incomparabilis desiderium, a cuius ore et scriptis pependit magna pars Germaniae, vim aliquam habere posse nobis persuadeamus? Atque hoc ipsum in causa fuit, ut Vidua eius, lectissima femina, sexus muliebris ornamentum, Illustrissimo *Comiti de Hohenthal Koenigsbruck*, REGIS CLEMENTISSIMI *Saxoniae* auspiciis ad gubernacula rerum Saxonicarum sedenti, felicissimo connubio iam consociata, postquam diu haesitabunda fluctuaverat, an mariti prioris bibliothecam praeconis voci subiiceret, amicorum tandem precibus exorari sese pateretur et publicis usibus concederet libros, quibus, cum multa inessent et usui et oblectationi illi futura, privatim frui maluisset. Nam cum probe sciret, multos non solum per Saxoniam, sed per universam Germaniam et finitimas regiones sparsos esse Reinhardi discipulos et amicos, magna vel com-

munium studiorum, vel officiorum necessitudine illi devinctos, nec ignoraret, quam plurimis hoc in votis esse, ut librum e bibliotheca eius, parvum magni viri mnemosynon illis futurum, adipiscerentur, quippe et literis, et sermonibus hac de re saepe post mortem beati Reinhardi certior facta, noluit hoc fructu defraudare eos, qui facultatem hanc sibi dari vehementer cuperent. Prelis igitur subilci et excudi iussit, quem in scriniis suis adhuc servaverat, catalogum, statim post obitum mariti maximam partem ab Erbstenio, liberalium artium magistro et universae supellectilis librariae spectatori aestumatorique sollertissimo, tum etiam ab Ottone, viro eruditissimo, qui per plures annos Reinhardo a manu fuerat et ab officiis domesticis, vivumque pariter ac mortuum parentis loco coluerat, diligenter concinnatum apteque dispositum, curarique, ut in omnium, quorum haec nosse interesset, manus pervenirent disseminarenturque eius exemplaria. Evolvant igitur perlegantque hunc indicem, qui scire cupiunt, quibus libris delectatus, quibus sodalibus et confabulatoribus tum, cum nemo otiosum et negotiis expeditum interpellaret, quotidiana consuetudine usus sit Reinhardus noster, et quos unius alteriusve possidendi tenet cupiditas. Interioris tantum admissionis amicos, longo usu sibi cognitos, in sacrarium bibliothecae suae deducere ibique de studiis communibus sermones conferre consueverat vir ab omni vanae gloriolae aucupio et bibliothecae splendidissimae venditatione alienissimus. Manu igitur comiter se prehensos et in interiora altioraque aedium, ubi habitabat, cubicula ad librorum, quos magnis impensis diu collegerat, contemplationem deductos sese esse putent, quibus haec curae cordique sunt. Enotent, quae prae ceteris illis arriserint, et quod pretium in venditione illis statuendum esse censeant cum iis, qui in ultima praefationis pagella operam suam emtoribus se addicturos esse polliciti sunt, non gravate communicent. Dabitur opera sedulo, ut quae cuique bona fors obtulerit, mercede persoluta, diligenter ad illum perferantur.

Non alienum tamen a consilio huius praefationis nobis visum est, ut priusquam valere iubeamus Reinhardi amicos, nonnulla de ratione, quam iniit Vir Summe Venerabilis et in

colligendis, quos bibliothecae suae inserendos esse putaret, et in disponendis secundum disciplinarum ordinem et in exornandis conservandisque exemplaribus, praemittamus moneamusque. Nam qui longius remoti vixerunt a contubernio et consuetudine Viri, dum in vivis esset, occupatissimi et, quamquam aditus eius sine ulla difficultate pateret tum popularibus tum peregrinis omnibus, non omnibus visi, iure suo hoc postulare posse videntur, ut quomodo in his versatus sit, quam rationem is, qui omnia ratione et ordine administrabat, in bibliotheca sua amplificanda et exornanda sectatus sit, paucis accipiant. Qua quidem re hoc facilius cavebimus, ne quis spe se frustratum esse conqueratur, quod in coena lautissima, quae ipsi salivam movere queant, fercula non reperiat.

Non fuit Reinhardus is, qui sumtibus parceret ad ampliorem bibliothecam instruendam. Imo inique ferebat, esse haud paucos, qui alieno quam suo vivere malint et, quod egregium ad rem literariam bene tractandam telum esse semper ipse induxerat in animum, ut boni libri semper tibi in promtu et numerato sint, prava parcimonia occoecati negligant, aliunde semper sibi circumspicientes et turpiter emendicantes praesidia, quae domi habere praestat *). Quicquid igitur ad rem suam facere, ad studia sua alenda promovendaque conducere posse intelligeret, diligenter undique conquirebat, magni emebat, impensas in eam rem faciebat plane magnificas. Et ut erat elegantiae purae illius et nitidae, non fucato splendore effulgentis, non luxu et lascivia diffluentis, studiosissimus, magnopere delectabatur exemplaribus nitide impressis, typorum puritate, chartae, si non laevigatae, at candidioris illecebris lectores tenentibus; nec, quod multi conqueruntur, oculorum aciem in chartas nitidiores defigendam hebetari arbitrabatur, quamquam vegeta oculorum vis iam dudum in illo fracta erat et obtusa, ingravescentis aetatis vitio dicam, an contentione nimia. Et extant sexcenta eiusmodi volumina in hoc cata-

*) Monuit hoc, qui vivam nobis Reinhardi imaginem scite depinxit, amicissimus *Poelitzius* in libro multis nominibus commendabili: *Reinhard nach seinem Leben und Wirken.* T. II. p. 45.

logo nota peculiari distincta, quae tamen non emit, sed dono accepit pleraque omnia. Nam cum undique ad Viram in tanto fastigio collocatum, tot officiis beneficiisque iuvenes, viros, senes sibi obstringentem, confluerent exemplaria librorum recens editorum, ab auctoribus, patrocinium eius vel iudicium certe expetentibus, a salutatoribus, qui, lenocinio eiusmodi parato, ad tanti viri conspectum aditum sibi patefieri cuperent, a librariis, qui gratiam eius et consilia prudentissima sibi contingi cuperent, passim oblata, fieri non potuit, quin venustiora et elegantiora multa in bibliothecam eius inferrentur, quam quae vulgo in officinis librariis et in collectionibus librorum praeconis voce divendendorum reperias. Quae quidem cum magno bibliothecae nostrae ornamento sint, non debent tamen in eam partem accipi, ac si talibus deliciis cupidius inhians captasset munuscula et iudicium suum iis corrumpi flectique passus esset. Hoc qui Reinhardum noverit, ne suspicabitur quidem. Imo salse ridebat interdum eos, qui ieiunas scriptiones et putidos commentariolos adscititiis eiusmodi typographorum ornamentis meliores fieri et gratiosiores opinentur, idemque, si in scriptionem incideret bonae frugis plenam, hanc dilaudabat, hanc de meliore nota commendabat, quamvis viliore charta, typis exesis et evanescentibus exscriptam. Scilicet qui nulli nec auctoritati nec cupiditati se mancipaverat, nec in titulis stupebat, nec in insanis fulgoribus. Sed si qua bona fors obiecisset, non respuebat. Accedit aliud ex eodem elegantiae fonte derivandum. Curabat assidue, ut quos aere suo sibi comparaverat aut aliunde nactus fuerat, melioris conditionis et bonae notae libros, integumento quoque convestirentur honestiore, ne dicam splendido, diligenter scilicet cavens, ne nativa et insita operis pulchritudo squallore externo evilesceret et vetustate obsolesceret. Hinc pauci reperientur in hac bibliotheca libri, quibus praeter bonitatem materiae externum decus et ornamentum ex involucris et, ut cum Martiale loquar, sindone non quotidiana non accesserit. Multos, qui auctionis lege ad eum pervenerant, si nimis obsoleto habitu displicerent, novo pumice expoliendos, novis involucris vestiendos dedit Hubenthalio suo; hoc enim nomen honestissimo viro, qui

libros eius glutinandos, compingendos, perpoliendosque accipere solebat, bibliopegum vulgo appellant.

Idem, ni fallor, obstitit, quo minus voluminibus, quae loculamentis suis imposita sui gregis scripserat, vel nomen suum in fronte inscriberet, vel aliam notam, qua signare solent librorum amatores peculium suum, imprimeret, quod titulis eiusmodi deturpari magis quam cohonestari putaret exemplaria. Praeterea libros, ut agrod, pretiosam supellectilem et alia, quae possidemus, tantisper nostros esse existimabat, dum usuram illius concedit deus vel genius, natale comes qui temperat astrum. Ridiculum igitur esse et plane absonum, libris, quemadmodum servis, stigma inurere duraturum, mox ad alium dominum transituris. Verum enimvero iis, qui ex bibliotheca eius adipisci aliquid fructuque eius sese impertiri cupiunt, ut illius conspectu exoptatissimam Viri Summe Venerabilis memoriam recolant celebrentve, totam hanc rationem valde displicituram esse, non est, quod dubitemus. Manum Reinhardi agnoscere, in illa acquiescere et laetari malint. Nam damur omnes eiusmodi opinionum, quas ad λειψανολατρείαν referas, commentis, quae qui nugas appellat et deliramenta, ferreus est et molliorum, qui pectus nostrum suaviter permulcent, sensuum expers. Sed bonum factum! Bene prospexit emtoribus mulier praestantissima, Viri beati ex asse haeres. Aeri enim incidi iussit notam, quam in gemma annuli signatorii insculptam gerebat Reinhardus et qua epistolas et chirographa sua signare consueverat (excetram exhibet, quam depugnat Sanctus Georgius) *). Hanc singulis voluminibus in aversa integumenti parte statim a fronte libri imprimendam curavit, ut quicunque ex hac auctione librum sibi comparare vellent parata pecunia, mercede modica, haberent, quo cognoscerent firmiterque sibi persuaderent, prodiisse revera hunc librum e loculis bibliothecae Reinhardianae, tenere se libellos, quos olim ipse manibus suis tractaverit vel lectitaverit adeo Vir immortaliter

*) Copiosius de vera huius sigilli, quo gens Reinhardia per secula aliquot iam usa est, significatione disputatum est in scriptione cum imagine Viri beati post mortem eius edita, iamque literis iterum repetita: *F. V. Reinhard — literarisch gezeichnet von Boettiger* p. 47.

de religione et omni literarum genere meritus, omnisque hoc invento animis illorum eximeretur scrupulus.

Nec dubitamus ex eadem, quam animo suo induisset, persuasione profectum esse illud quoque, quod titulis vel marginibus librorum, quos vel assiduo usu tereret vel, tanquam veteres sodales, in sinu ferret, adspergere aliquid notarum et allinere observatiunculas, emendationes et quas sunt aliae Aristarchorum cruces aut stellulae, semper religioni sibi duceret. Dandum hoc esse librorum, inprimis classicorum editoribus, facile concedebat. Atqui ad procudendas novas auctorum vel sacrorum vel profanorum editiones nunquam sese accinxit Vir alioqui in Critica quoque non sine laude versatus. In aliis libris loca insigniora lineolis subductis illustrare, variaque laudis aut vituperationis signa utique appingere, eorum esse aiebat, qui conspurcarent libros, non exornarent, valdeque improbabat eorum temeritatem dicam, an arrogantiam, qui aliis post se ea lecturis iudicium suum magno cum supercilio obtruderent, et inconsultae sapientiae postmodum poenas darent, Priscianos vapulantes interdum eos hanc ipsam ob causam appellans. Frustra igitur, qui haec indagari solent *librisque* ob notulas eiusmodi appictas maius statuere pretium, calamum in his desiderabunt Reinhardi nostri. Vix bis terve notatum esse aliquid a manu eius, Catalogum hunc accuratius inspiciens reperies, si ab eo discesseris, quod editionibus commentariorum, quos de doctrina Christianorum morali composuit, in pagellis aliquot in fine agglutinatis supplementa novis editionibus olim loco suo inserenda adscriberet et, prout, fervente lectionis studio, in locum aliquem incideret, novam prioribus auctoritatem conciliaturum, id enotaret. Haec auctioni ne detraherentur, rite provisum fuit, ut certe exstarent nonnulla consilii, quod in his explendis perpoliendisque inierit, monumenta. At ne quis erret, monendi sunt redemtores, nihil his inesse, quod non posterioribus in editionibus typis iam exscriptum et in usum publicum conversum sit.

Sed quid multa? Quaesumus te, Lector benevole, oculos coniice in hos ipsos, quos modo commemoravimus, commentarios, laudis suae aeternum domicilium futuros,

aut in Opuscula Viri laudatissimi a Poelitzio duobus voluminibus edita, aut in alia eius scripta; explora sodes, quibus auctoritatibus firmari, quae assereret, et quae testimonia denunciare viris doctis, qui in eodem aut simili argumento elaborarunt, illi visum fuit; perlustra notas. Hic quam diligenter usus sit librorum, qua gaudebat, copia uberrima, qua cura singula excusserit contuleritque in usum suum derivanda, quibus adminiculis praesidiisque adiutus et tanquam satellitio quodam stipatus ad stilum se converterit, non sine admiratione intelliges. Scilicet pauca admodum, si quid otii esset, subnotabat, cum libros, quos omnium disciplinarum et artium statis horis quotidie legebat, primum percurreret. Nam quos illi adversaria vocant et collectanea, in quae impenso studio constipant congerantque omnia, habuit nunquam, vel temporis angustiis interclusus, vel quod taedium etiam scribendi non ferret et interpellare lectionem crebra notatione interposita iudicio in universum officere existimaret. Memoria retinebat pleraque omnia. Egregia enim, ne dicam divina memoriae vis illi contigerat in rerum, historiarum, argumentorum notatione, in sententiis certo verborum numero adstrictis et continua aliqua orationis serie memoriter retinendis saepe laboranti. Itaque bibliothecae Reinhardianae indicem si cum uberrima notarum segete compares, nihil fere ab eo laudatum esse deprehendes, quod non ipse in bibliothecae suae thesauris habuerit. Nec dubitamus, si eum morem sectari voluisset Noster, quem Goettingenses quidam in libris locorum laudatorum farragine multifariam instructis sibi proposuerunt, ut libris, quos e proprio penu depromtos laudaret, asteriscum apponeret, asteriscos illi praefigendos fuisse testimoniis tantum non omnibus. Atqui hoc magnam vim habet ad fidem faciendam, pondusque haud leve addendum iis praeceptis sententiisque doctoris nostri, quas auctoritatibus non cuique obviis, sed exquisitis et ex interiore scriptorum rariorum notitia petitis constabilire illi visum fuerat. Profecto nil posuit, quod non ipsis ex fontibus haustum unice huc facere intelligeret, in his quoque mira temperantia et modestia usus, quod praestantissima tantum et quae rem totam conficerent, delibaret, reliquis

decantatissimum illud — *picta pandit spectacula cauda*, accinens.

Caeterum hoc quoque Te nescire nolumus, Lector eruditissime, in toto hoc indice concinnando servatum esse a viris, quibus haec provincia ab initio tradita fuit, curiose admodum illum ipsum ordinem, secundum quem Reinhardus libros suos in cubiculis et loculis ad eos recipiendos accommodatis ipse descripserat disposueratque. Scito, religioni sibi duxisse viros honestissimos, mutare aliquid aut volumina, quae ipse prudenter coniunxerat et, ut amice coniurarent, copulaverat, praepostera sedulitate divellere. Non dubitamus fore, qui in investigandis rationibus, quibus inductus ista statuerit Vir Summus et in omnis Literaturae genere probe imbutus, sollertiam eius et in discernendis singulis acumen nequaquam sint desideraturi. Nunquam tamen hoc sibi ipse imperare voluit, ut catalogum librorum vel ipse contexeret, vel aliis, qui lubenter operam suam illi addixissent, conficiendum relinqueret, hoc ipsum iam magis ad ostentationem quam ad usum pertinere ratus, tempori quoque, quo vel subsecivis in horis vix quicquam sibi indulgeret, parcens. Boni imperatoris esse dicebat, primo obtutu dignoscere singulos et ordinum ductores et milites gregarios. Nam si quid opus esset libro alicunde depromendo, nunquam trepidabat circumcursabatve circa loculamenta. Ad nutum apparebant omnia. Ordinem igitur, seu aciem universam, in quam catervatim et manipulatim prodeunt agmine facto haec volumina, ab auctore bibliothecae profectum esse, dubitare noli. Sed sectiones, in quas dispescuere libros, quatuordecim, et inscriptiones singulas ne a Reinhardo ortas esse putes, cave. In his enim nonnulla aliter posuisset, credo. Sed his diutius immorari putidum foret.

In ipsis indicibus librorum vix ullum opus reperies, quod mancum et sequentibus destitutum tomis, turbatum hic esse ordinem clamet. Si quid deest, auctoris culpa hoc non accidisse, facile ipse exputabis. Deposita fuit post obitum eius universa bibliotheca in cella aedis sacrae, in qua Sanctae Sophiae consecrata coetus aulicus quoque congregatur et orationes illae sacrae, quas ore et pectore cele-

brat universa Germania, a Reinhardo pro suggestu pronuntiatae sunt. Anno huius seculi decimo tertio, cum belli dira pestis ingrueret urbi nostrae et captivorum multa millia, quod aedes privatae Gallicorum militum hospitiis oppressae adventitiam turbam non caperent, templis includerentur, quatuor millia eorum, quos fames et tempestas horrida magis quam Gallorum virtus palantes arma tradere coegisset, in aedem illam Sanctae Sophiae miserando sane casu, cum fletu et miseratione incolarum, magna cum indignatione eorum, qui sacra his pollui contaminarique stomacharentur, compulsi et, nisi cives inedia et fame consumtis, desperabundis et iam actum esse de salute sua vociferantibus cibos et fomenta attulissent, ad certam perniciem illuc detrusi sunt. Hic dici non potest, quanta rabie furibundi illi et ad extrema compulsi milites, pontificiae plerique fidei addicti et templo tanquam carceri inclusi, grassati sint in subsellia, ornamenta et minora conclavia, templi spatiosioris caveae inaedificata. Stimulabat ira, incendebat fames, discruciabat malorum et praesentium et imminentium moles vix toleranda. Divina humanaque iuxta spernebantur. Quid mirum, effregisse quosdam, dum rimarentur perscrutarenturque omnia, claustra quoque cellae illius, in qua libri bibliothecae Reinhardianae arcis bene munitis inditi delitescebant. Revulsis claustris irruunt in arcas, nescio quid divitiarum illic reconditum latere suspicantes. Una denique effracta libros inveniunt, carbones scilicet, si militum fame enectorum, praedae paratae iam inhiantium animos spectes, pro thesauro. Fuerunt tamen, qui hinc quoque lucellum quantulumcunque captarent et per cancellos ferreos areae templi circumdatos adstanti plebeculae volumina, ut sors tulit, direpta pro frustulo panis offerrent aut herbae Nicotianae tenui fasciculo permutarent. Mox occursum est direptioni, multa, quae sparsa fuerunt et per tunicatum popellum divendita, ultro redierunt ad Dominam, cum rescitum esset, ad quem pertinerent ista volumina. Nonnulla, quorum ne vestigium quidem apparuit, retrahi non potuerunt. Atque haec plane omissa sunt in catalogo. Unum omitti non placuit ad calcem fere totius catalogi commemoratum. Desunt supplementa in

Bibliotheca Germanica, quam appellant, universali. In hanc enim, nescio quo fato, inprimis desaeviit tempestas illa. Sed haec facili opera a librario suppleri poterunt.

Quod superest, unum praeterea Te tenere volumus, Lector aestumatissime. Penitus hoc infixum habuit animo et per totam vitam consectatus est, quod post Senecam dixere multi, perfecere pauci admodum: „Quaerat discentem turba, non instruit. Non est elegantia illud, aut cura, sed studiosa luxuria; imo ne studiosa quidem, quoniam non in studium, sed in spectaculum comparaverunt." Ergo nil ad pompam, nil ad vanam divitiarum iactationem, nil ad fastidiosas βιβλιοφίλων delicias, quibus omnia sordent, nisi fulgore suo praestringant oculorum aciem, aut raritate alliciant emtores, hic quaeras. Usus his est auctor. Hoc sufficit. Paravit librorum, quantum satis sit, nihil ad apparatum. Unum fuit, in quo rarissima quoque expetere et quovis pretio undique colligere nec a muneris sui dignitate nec a studiorum ratione alienum esse arbitratus est, sacrorum cum antiqui tum novi foederis voluminum et Patrum Graecorum Latinorumque editiones, quotquot a renatis literis in lucem prodierunt, praestantissimae. Initium in his studiose et magnis sumtibus conquirendis iam fecerat *Christianus Fridericus Schmidius*, Theologus Vitebergensis, cuius cum viduam priore matrimonio duceret Reinhardus, in Academia Vitebergensi tunc temporis scholas habens tum theologicas, tum philosophicas, accepit et Bibliothecam. Sed mirifice dotales has opes auxit, amplificavit, exornavit Reinhardi industria et rara in his quoque intelligentia. Hinc a limine statim occurrunt Tibi in apparatu biblico et patristico, quem appellant, opera praestantissima, cedro, ut aiunt, linenda et in arce Theologiae ponenda. Reliqua singulatim percensere et magnis laudum praeconiis extollere, aut clamosi praeconis esset aut perfrictae frontis hominis, qui vel otio Tuo abuteretur, vel peritiae Tuae in his dignoscendis parum fideret. Ergo aequi bonique haec consule. Utere nobiscum, Lector suavissime; contemplare bibliothecam, quae oculis et loculis Tuis offertur, instructissimam et, dum contemplaris, totam Reinhardi vitam et studiorum, quem tenuit, cursum quasi in tabella depictum, Tibi hic ob oc-

los positum esse puta; fave studiis et Manibus Viri, cuius memoria, dum eloquentiae sacrae honos, dum theologiae bibliorum fundamento innixae dignitas constabit, nunquam obliterabitur; et si numum unum aut alterum seposuisti aut e domesticis publicisque naufragiis, quae nos pessumdederunt et ab honesto studiorum pabulo ad panem lucrandum averterunt, forte fortuna servasti, para libros multis nominibus paratu dignos. Si lubet et ad dies auctionis publice promulgatos praesto esse non poteris, procuratores et proxenetas Tibi sistit sequens pagella theotisce, ne quis linguae inscitia circumventum se esse clamet, conscripta. Vale!

Dabam Dresdae. Ipsis Calendis Iuniis 1816.

XXXII.

PRAEFATIO CATALOGI BIBLIOTHECAE A. TH. GEBHARDTI.

— copia larga fluit.
Quaeque viri docto veteres cepere noviqué
Pectore, lecturis inspicienda patent.

Liceat his versiculis ad Ovidii exemplar compositis praeludere praefationi, librorum publicae auctionis lege distrahendorum indici praefigendae. Offertur Tibi, lector, vel, quia iam hoc agitur, emtor benevole, bona librorum copia, si volumina dinumeres, modica; si pretium intrinsecus illi statuendum aestimes, bonae frugis plenissima, de qua nonnulla praemonere nec ab eius, qui eam collegit, nec a mea persona alienum esse putavimus. Nimirum non nupera admodum, sed vetus et multorum annorum consuetudine confirmata intercessit mihi necessitudo cum Viro praestantissimo, cuius haereditatem librariam cernere Tu potes, lector suavissime, si numos, qui provolare gestiunt e loculis, exitu non intercludas. Veniam igitur hanc nobis des, quaesumus, ut quae scire et Tua et nostra interest, paucis enarremus.

Fuit, cuius libri hic venum eunt, **Adamus Theophilus Gebhardtius**, Regis Saxoniae a consiliis aulicis, tablinis interioribus, quae ad consistorium Principis sanctius pertinent, conservandis consulendisque praepositus (*Geheimer Cabinets-Archivar*), Eques ordinis Saxonici civilis, a prima iam iuventute librorum comparandorum studiosissimus, nec pepercit sumtibus, quippe in re satis lacta constitutus et liberali disciplina a teneris educatus. Numburgi ad Salam natus (d. 5. Maii 1761) literis, quae ab humanitate nomen habent, ita imbutus fuit, ut auctoribus, quos classicos vocant, corroborata etiam et provectiore aetate horas subsecivas lubentissime impertiret. Lipsiae deinde, quam non solum officiorum in Themidis sacrariis obeundorum, sed politicorum etiam studiorum domicilium elegerat, per quinquennium commoratus (1781 — 1785) ibi quoque librorum acquirendorum cupiditati satisfecit honestissimae. Nec defuerunt, quae animum ad hoc propensum inescarent, illecebrae. Nam confluebant tunc quoque ad Weigelium patrem, praeconem sane quam industrium, ut cum maxime ad filium eius, bonorum librorum aestimatorem prudentissimum, undique bibliothecae auctionis lege divendendae; prostabant in tabernis antiquariorum libri quantivis pretii, qui facile allicere possent emturientes. Itaque his, quae iam iecerat, fundamentis Gebhardtius noster, facile superstrui potuerunt instrumenta supellectilis librariae multo ampliora. Dresdam deinde fortunae suae sedem esse voluit, atque hic prima posuit tirocinia eius scientiae, quae in finibus rerum foris gerendarum regundis (*Departement der auswaertigen Angelegenheiten*) occupata est. Postea-quam enim duo imperii Germanici capita Vindobonam et Berolinum suopte ingenio exploraverat, anno 1790 legationi Saxonicae ad comitia novi Imperatoris creandi causa Francofurti indicta comes adhaesit et assecla. Porro autem cum probe intelligeret penitiorem linguarum exterarum cognitionem in promtu esse debere homini, cui patria res civili prudentia foris tuendas conservandasque olim demandatura esset, et fluctuum civilium, quibus tunc tumebant Francogallia et Anglo-Britannia, fragorem non audire tantum e longinquo, sed corruentes coram intueri valde cuperet,

ivit Parisios (1792) et paulisper ibi commoratus traiecit fretum, Londinum invisurus. Atque hic rara illi contigit felicitas, ut oratoris Saxonici, qui tunc temporis apud Regem Britannorum versabatur, Comitis Mauritii de Bruhl favorem sibi conciliaret alacritate et ingenii ad res gerendas idonei sollertia. His igitur initiis nexa et coaptata fuit copula, mutuo animorum consensu paulatim firmata, qua per plures annos arctissimis nodis constricta fuit indissolubilis Bruhlium inter et Gebhardtium necessitudo dicam an amicitia. Postulavit enim Bruhlius a Friderico Augusto, qui tum in magnis tempestatibus undique ingruentibus incolumitatem praestaret et stabilitatem patriae nostrae, ut sibi in munere illo splendidissimo, quo fungebatur in Britannia, a manu esset et consiliis opitularetur domesticis. Impetravit. Missus igitur est Gebhardtius, iussu Electoris, nec unquam fefellit spem de eo conceptam, quippe qui, mortuo Bruhlio, ibi pro legato esset per decem et quod excurrit annos, homo industrius, nec operae suae parcens nec chartae, notis peculiaribus, quae arcerent curiositatem male sedulam, signandae. Paulo ante cladem Ienensem Dresdam revocatus adscriptus fuit cohorti Principis, quae cum Rege Friderico Augusto Warsoviam proficisceretur, adiutrix ad capessendum imperium. Procedente deinde tempore, cum Saxonia iniquitate temporum rege et patre suo privata peregrinis moderatoribus obsequium praestare coacta esset, delituit domi, repudiato salario, quod iure suo exposcere poterat, dolores e calamitate publica conceptos matrimonii, quod illi faustissimum obtigerat, solatiis deliniens et mitigans. Nec defuit tantae constantiae et pietati praemium. Dignum esse censuit Rex, qui pro legato esset in comitiis perpetuis, Francofurti coeuntibus, per aliquot annos. Suavissimam ibi cum uxore cultissima, a Naumanno phonascorum, qui regi praesto sunt, magistro (*Kapellmeister*) inclyto Corae nomen adepta, et cum liberis vitam egit, Vacunae cultum, quo quicunque saluti ibi prospiciunt publicae, otium haud raro oblectant suum, cum Musarum sacris coniungens religiosissime. Atque hunc studiorum cursum tenuit vigens florensque in senectute vegeta. Dresdam reversus et Chartophylax factus absque ulla desidia quotidie

desedit in tabulinis, custodiae ipsius traditis; in hoc aequabili laborum et studiorum decursu perseveravit ad ultimam aetatis metam provectus senex septuagenarius (obiit d. 15. Nov. 1831).

Haec paulo uberius pertractavimus, ut appareret, quot et quibus opportunitatibus rei librariae, quae semper curae cordique illi fuit, dispiciendae et ad usum suum convertendae cumulatus fuerit Gebhardtius noster, nec esse, quod miremur, libros in hoc catalogo reperiri haud pauces, in nostris officinis et auctionibus pretio certe salutari haud facile parabiles, nec deprehendendos uspiam, nisi virgula, quam celebrant, divina aut peregrinatio vel habitatio in terris peregrinis concessa fuerit aliquamdiu spectatori harum elegantiarum oculatissimo. Hoc inprimis eo valet, quod in pluribus huius catalogi sectionibus occurrunt multa, quae, nisi fortuna fautrix arriserit, in nostris regionibus vix investigaveris. Silentio iam praetermittam commentarios rerum memorabilium (*Mémoires*) exquisitos, cuiusmodi magnum numerum statim ab initio Tibi oblatum esse senties; nam vulgarium vilis iam annona in tabernis librariorum Lipsiensium. Insunt certe his quoque rariores nonnulli et bonae notae, quos frustra desideres in vulgaribus catalogis. Enimvero accuratius si examines ea capita catalogi, quae vitas hominum illustrium, quae apparatum ad penetralia regnorum extraneorum patefacienda continent, quae ad censum, reditus, incolarum numerum, leges et conditionem ordinum unius cuiusque populi (scientiam statisticam vulgo appellant) explorandas aditum aperiunt, quae itineraria splendidiora et luculentas auctorum classicorum editiones cum versionibus complectuntur, facile intelliges, conquisita haec esse et collecta ab homine harum literarum apprime gnaro et cum maxime ibi deversanti, ubi domi haec nascerentur. Atque in hunc censum in primis veniunt libri praestantissimi typis nitidioribus, charta regia, in Anglo-Britannia comparati, ad quos digitum hic intendisse sufficiat, si qui sint apud nos pluteos suos his deliciis locupletaturi. Exsplendescunt in primis in his insigniora de statu magnae Britanniae opera, v. c. Sinclarii Scoti, collectiones nonnullae operosissimae (quas vide sis p. 55.) et quos papyros de statu

imperii appellant (*State's papers*), quae non vendi sed donari solent apud populum in distribuendis huiusmodi monumentis, quae aerarii impensis publicantur, non sine fastu quodam difficiliorem. Scilicet tenendum est, ornatissimum bibliothecae Gebhardtianae incrementum accessisse ex ultimis tabulis Comitis Mauritii de Bruhl, de cuius insigni in Gebhardtium favore supra iam loquuti sumus. Plus quam quingenta hic legavit amico volumina nitidissima et odorem vere Anglicanum spirantia, quae monumentum amoris sui in Anglicanae legationis participem fidum exstare voluit; quae vero, pro dolor, nunc praeconis subeunt malleolum. In horum numero sunt editiones Baskervillianae et Virgilius ille Dodsleyanus (n. 1951.), quem oculis usurpare, nisi praestantiores adeant bibliothecas publicas, oppido paucis contigit. Unum restat, quod meminisse non abhorrebit ab huius praefatiunculae consilio. Si emax es, non vendax, lector benevole, noli, quaeso, festinabundus negligere, quae ad calcem sese Tibi venditant, syllogas haud ubique obvias tabularum, quae varios orbis terrarum situs delineatos tibi ob oculos ponunt. Nam in his multa inesse, quae Lutetiis Parisiorum et Londini prodierunt quantivis pretii, in officinis et apud mercatores iam dudum divendita, magno argento vix parabilia, Tu ipse, qui talia dignoscere et aestimare didicisti, optime intelliges. Hic mappae praeclaro artificio concinnatae, opera Danneti, Mudgii, Findenii, Chauchardi, Hartwoyii, aciem oculorum tuorum non fugient. Has, cum in illis terris peregrinaretur, aere emtas suo, semper fecit maximi beatus Gebhardtius et ut nova adcrescerent ornamenta, recentioribus adiectis, curavit sedulo.

Caeterum duo adhuc ad auctoritatem bibliothecae huic selectissimae conciliandam addere haud pigebit. Solent elegantiores homines formosas puellas et amicas, quas deperunt, mundo exornare muliebri, comere, ungere, expolire quam nitidissime. Idem faciunt bibliophili, quippe qui libros, quos in deliciis habent, feminarum delicatularum instar exosculantur quotidie, ideoque ut quam cultissima expolitissimaque sit externa illarum facies, studere solent impensius. Hinc nova propullulavit artificum suboles, qui codices scite pumicatos et malleatos accurate compinge-

rent, deaurarent et involucris obtegerent luculenter admodum et subtiliter laevigatis. Sordent iam membranacea integumenta, avis nostris pura munditie et candore insigni commendabilia. Quid mirum, idem cerni in hac quoque librorum collectione elegantissima? Habet bibliotheca Gebhardtiana libros quam nitidissime compactos tantum non omnes. Nam in illis exornandis perpoliendisque dominus illorum, qui his mirifice delectabatur, nec operae pepercit nec sumtibus. Atque in haud paucis Parisinos opifices, cum Barbovianas tractarent editiones aut splendidiora opera ibi impressa, certamen iniisse dicas cum Londinensibus, ut, quibus palmam tribuas, anceps haereas. In quibus, quae a Britannia origines traxerunt, eminent integumenta corio bubulo, quod coriarius perdepsuit Russicus, confecta, miram prae se ferentia soliditatem, odore nares pungentia haud ingrato (*englischer Juftenband*, *Russia* ab Anglis simpliciter appellatur), id quod in olei cedrii, apud antiquos vermes et tineas abigentis, locum successit. Notata sunt in catalogo siglis appositis varia, quibus convestiti sunt libri, operimentorum genera. Tu vero fruere, emptor festivissime, his quoque ornamentis, quae fucum tantummodo adscititium esse nemo, qui munditiei studet, cavillabitur. Sed aliud etiamnum libris compluribus accessit lenocinium ex eo, quod dominus, ut erat rei literariae et quae ad librorum auctorumque fata pertinent perscrutator diligentissimus, codicibus plus quam sexcentis in primâ pagella a bibliopego inserta adspersit notulas haud contemnendas, manu, qua erat dexteritate, pura et ad legendum pervolutantes invitante, ita exaratas, ut, qui sapit, his carere nolit.

Habes, lector benevole, quae ne nescires Tua referre arbitrati sumus. Noli vitio nobis vertere garrulitatem, quae facile risum movere possit, senilem. Dandum hoc esse putavimus amico, quem mox ad sedes beatorum nos sequuturos esse et speramus et confidimus. Nec, puto, molestum illi erit, si quis earum rerum, quae hic aguntur, sensus ad illum pervenire possit, nos haec scripsisse. Have candidissima anima!

Dedimus Dresdae pridie Calend. Ianuarias 1833.

CARMINA LATINA.

I.*

IN BIBLIOTHECAM ACADEM. LIPS.

CUIUS CUSTODES EO TEMPORE ERANT

IO. IOACH. SCHWABE,

MOROSUS SENEX

ET

ANT. ERN. KLAUSING,

PROFESS. EXTRAORDIN.

Quamvis terribili formidine Tartarus umbras
Urgeat, et triplici Cerberus ore fremat,
Non tamen huc occlusa via est, noctesque diesque
Ad generum Cereris ianua nigra patet.
At, qua pervenias ad Apollinis atria, porta
Vix horae spatio nunc adaperta patet!
Ergo terribili truculentior ille tyranno est,
Qui rigidis claustris has premit usque fores.

Hoc carmen in loco publ. m. Augusto a. MDCCLXXVIII. affixum eventu non carebat.

II.

CARMEN GRATULATORIUM *)

AD

COMITES DE EINSIEDEL

ET

DE LANGENAU,

CUM ANNO 1790. COMITIA MAIORA IN LUSATIA SUPERIORE (den grossen Bewilligungslandtag) HABERENT.

Qualis trisulci fulminis impetus,
Quem sulphuratis foeta vaporibus
Pinguemque pabulata terram
Nimbiferis alit aura ventis,

*) Iterum excusum legitur in Mitscherlich. eclog. p. 198.

Caliginoso cum semel excidit
Immurmurantum carcere nubium,
Per fornices coeli nigrantes
Letifero minitatur igne;

Coeli tumultum et saeva tonitrua
Exhorret orbis, corda metu micant
Mortalium clades timentum
Et domibus subitas ruinas;

Talis Gradivi nuper inhorruit
Circumstrepentis terrificus fragor:
Gentes tremebant, ne cruento
Omnia corruerent duello.

Vallo minaci cincta Silesia
Armis tumebat; milite perstrepens
Bohema tellus et Morava
Fulmineos acuebat enses.

Circumfrementis murmure bellico
Formido Martis nos quoque fregerat;
Oblitus, heu, curae paternae,
Quam patriae *Pater* atque *Custos*

Augustus alto pectore conditam
Premit, salubris consilii ferax,
Belli furores expavescit
Corde mimis trepidante Saxo.

Augustus almo nos beat otio!
Huc omne principium, huc refer exitum,
Quae crinibus myrto revinctis
Musa modos properas canoros.

Hoc spreva fertur, caerulcas comas
Dum forte aprico margine pecteret,
Cantasse nuper; nos decebit
Fatidicos iterare cantus:

„Quicunque ripas incolitis meas,
Quid vestra terror pectora perculit?
Pax ridet opportuna vestris,
Principis ad pia iussa, terris.

At Vis et ater Luctus et horridis
Stipata centum Bella cruoribus,
Curaeque pallentesque Morbi et
Terribili atra Fames hiatu

Cessere retro Tartaream in specum;
Frustra minatur miles; et aspera
Rubigo, lento dente rodens,
Fatiferos gladios retundit.

Quocunque flectit provida lumina,
Componit alta mente negotia
Augustus, et cura sagaci
Legibus invigilat sacratis.

Budissa, terrae Lusaticae decus,
Sublimis effer turrigerum caput,
Ridente resplendesce vultu,
Nectere flore comas memento!

Adsunt ab aula Principis Optimi
Splendore avito conspicui Viri,
Quos misit *Augustus* ad amplum
Lusatici populi Senatum.

Auditis? an me ludit amabilis
Imago pompae? Iam videor pios
Audire plausus, iam frementes
Laetitiae strepitu catervas.

Adventat agmen; densum humeris premit
Vulgus morantes; ordine duplici
Dextraque laevaque in plateis
Turba stupens hiat ore aperto,

Spectatque vultus magnificos Virum,
Hic, *Einsideli*, *Te* memorat prius
Venisse legatum huc, at ille
Ora notat *Tua*, *Langenavi*.

Heu digna prisco nomina saeculo,
Magnasque in ipsis conscia vultibus
Portare mentes! quae sereno
Dulce micans sedet ore virtus!

Quae praesequentis gratia dexterae,
Qui candor altis proditur ingeni,
Salvaque mansuetate blandum
Alloquium, placidique mores!"

Hos Spreva fertur veridicos Dea
Fudisse cantus, et vitreis caput
Dum mergeret formosum in undis,
Laetificos geminasse plausus.

Praesaga Divam carmina consciis
Fudisse fatis iam docet exitus;
Iam Principis iussa adferentes
Lusaticum exhilarant Senatum.

Iam que ipsa labens aethere Faustitas
Fraudisque vindex cana Fides novum
Seclum reducent; atque in omni
Alma Ceres fluitabit arvo.

Iam sedularum Pieridum cliens
Mentem decoris artibus excolet,
Phoebique cultus promovebunt,
Alma Budissa, tui Patroni.

Quo, Spes, inani me rapis impetu?
Quid, Musa, ludis? quidquid id est, tamen
Me vate mox florebit aetas
Aurea Lusaticas per oras.

III.

AMICISSIMO SCHMALZIO

SCHMALZIAM DULCISSIMAM DEXTRO AMORE REPERTAM GRATULATUR *)

C. A. B.

Virgine mas gaudet, mare virgo. Quid, optime Sponse,
In causa est? Causam discere forte iuvat.

*) Primum prodiit hoc carmen Budissae a. 1791. iterum recusum in Mitscherlich. eclog. poet. recent. p. 206.

In promtu causa est. Sed enim Tibi fabula, haud
Quae turbet Veneris, sat scio, nulla placet.
Pauca tamen referam. Tu, Vir Doctissime, cuncta
Fontibus ex ipsis largius hausta petes.
Costam (quis nescit?) Paradiso amisit Adamus,
Dum dulci stertens membra quiete levat.
Hanc Deus exemtam latere abstulit; inde puellam
Condidit, ut socio viveret apta viro;
Apta viro, quia costa viri, quae foedere certo
In proprium veniat restituenda locum.
Ergo, quod amisit, vir quaerit; femina gaudet
Amissae costae participare vices.
Vera loquor, neque Tu verissima, Sponse, negabis;
Exemplo constant haec mea verba Tuo.
Annon, Oppachium quoties iter ante parabas,
Cura Tibi costam quaerere sola fuit?
Vixque salutaras fidum veteremque sodalem,
Ingemis: „heu surdo membra dolore stupent!
Me quamvis pleno perfundat Copia cornu,
Inque suo portu naviget uncta ratis;
Nil tamen exhilarat miserum; nam sentio demens
Rebus nescio quid semper abesse meis."
Molliter arridens regerit Tibi Pietschius: „eheu!
Cessator, costa est invenienda Tibi!"
Forte struens mensis genialis fercula coniux
Adstitit; in tacito risit et illa sinu.
Oscula delibans uxori affatur amicum
Pietschius: „haec praesens est medicina mali."
Iamque libet cunctas penitus perquirere terras,
Dum Tibi, quam velles, costa reperta foret.
Est prope, cui veteres fecerunt nomina patres,
Soblandum. Sprevus pinguia rura secat.
Huc tuleras gressus. Vitreo de gurgite Nympha
Fertur arundiferas exseruisse comas.
„Heu, quo tendis, ait, vecors! hic meta laborum est.
Hac latet in villa costa petita Tibi."
Atque inventa Tibi est. Inventis utere. Nullus
Sit Tibi quaerendi, qui fuit ante, labor.
Hanc alacer costam cape, Sponse, tenacibus ulnis
Et bellis belle fige labella labris.

Nectar id est, quo vel saturari Iupiter optet,
Aut qui rivalis gestiat esse Iovis.
Num differs? differre nefas haec gaudia vitae,
Concordes taedae qualia multa ferunt.
Nota loquor, ducis Sponsam, quam mille puellis
Moribus et forma praeposuisse decet.
Haec Tibi, si venies hiemalibus imbribus udus,
Siccabit vestem et basia blanda feret.
Saepe revertenti teneras Tibi porriget ulnas,
Ut foveat tepido frigida membra sinu.
Quas nostris quondam advexit Nicotius oris,
Fumificas herbas suggeret ipsa Tibi.
Ipsa nigri laticis blando repleta liquore
Vascula sorbendo porriget apta manu.
Inque locum dulcis, quem mos iubet addere, succi
Figet nectareis oscula inuncta favis.
Nulla quies famulis, pars verrit limina, lanas
Pars trahit, aut glomerat pollice fila levi.
Ipsa praeest operi, nec opus fugit ipsa, ministrae
Nullius et vinci sedulitate potest.
Dum Musis vir sacra facit, colit illa Minervam,
Artibus his coniux coniugis auget opem.
Nec deerunt casti dulcissima pignora lecti,
Sed grex parvorum perstrepet usque domo.
Saepius et simili faciet Te prole parentem
Filiolos pariens filiolasque patri.
Felix, qui tali potuit se iungere costae!
Vix uni e centum contigit illa viris.

IV.

IOHANNI GOTTHOLD BOEHMERO
SECUNDUM CONSULATUM IN CIVITATE BUDISSENSI
GRATULATUR *)
C. A. B.

Claudicant vires, nisi duplicatum
Iunxerit robur sociata virtus.
Alta centenis melius recumbunt
Templa columnis.

*) Prodiit hoc carmen a. d. III. Martii 1791.

Transvolaturam scopulos carinam
Certius plures docuere stellae;
Fortius proram gemino revincit
Ancora morsu.

Hinc salus nostrae solidatur urbis,
Quod (severi sic voluere patres)
Consulem excelsa statione fessum
Adiuvat alter.

Qui catus puppi residens in alta
Risit horrores maris aestuosi,
HENTSCHIUS navis properat sacratae
Tradere clavum.

Quis gubernaclum capiet carinae?
TE notant Patres oculis, rogantque
BOEHMERE, adsuetis manibus capessas
Frena Budissae.

Templa Fas sanctum, fora lustret Aequum;
Iam Fides et Pax et Amor per omnes
Ambulet vicos; scelus omne casta
Exulet urbe;

Exulent Fraudes; Furor et rebellis
Contrahet cristas; fugiet cupido
Sordidis lucris inhians; recedet
Improba rixa.

Faustitas albis volitans quadrigis
Copiam mittet gremio pluenti
Civibus victum, timidis daturam
Praemia Musis.

Sic erit! laeto bona verba plausu
Edite, et flammis adolete thura!
Me pio verum recinisse plectro
Fata docebunt.

V.

PRENTZELIO

QUAESTORI REIPUBLICAE BUDISSENSIS ET MERCATORI LOCUPLETISSIMO, QUINQUAGINTA ABHINC ANNIS BUDISSAM COMMIGRANTI, QUUM LAETA LIBERORUM NEPOTUMQUE TURBA STIPATUS MEMORIAM HUIUS ADVENTUS SEMISAECULAREM CELEBRARET *).

A. D. 30. IUN. 1791.

Fortunate senex, civem, mirabile dictu,
Te lustris fovit clara Budissa decem.
Hinc animo quoties urbis Tibi fata recursant,
Filius in promtu est, est pater, est et avus.
Nam qui, cum peteres nostros novus advena muros,
Vagiit in cunis, nunc memoratur avus.
Pauper eras quondam, nostrae cum tecta subires
Urbis; nunc opibus villa domusque nitent.
Solus eras quondam; nunc Te pia turba nepotum
Lusibus exhilarans nomine *patris* adit.
Qui senio et meritis cives supereminet omnes,
Hunc merito *patrem* tota Budissa vocat.

VI.

FRIDERICO THEOPHILO BECHERO

DESIDERATISSIMAM PUELLAM OPTATIS HYMENAEIS SIBI IUNGENTI,

VIMARIAE, A. D. III. ID. FEBR. MDCCXCIII.

Donarem calices, quibus beati
Fuscis munera missitata ab Indis
Sorbillant, cyathosque, cantharosque,
Et quidquid figuli manu cavatum,
Pictum versicoloribus figuris,
Altis *Misnia* percoquit caminis;

*) Primum prodiit hoc carmen in horreo Lusatico a. 1791. p. 265. iterum recusum in Mitscherlich. eclog. p. 212.

Donarem pateras graves metallo,
Quas argentiferis *Friberga* glebis,
Terrae viscera pervagata, misit.
Haec atque omnia delicatiora
Ornamenta domus pecuniosae
Hac luce, o Veneres Cupidinesque,
Fausta, terque quaterque praedicanda!
Donarem TIBI, nuptiale donum.
Donarem haec TIBI cuncta, gratum ut essent
Semper mnemosynon TUI sodalis,
Qui TE plus oculis suis amavit,
Et TE diligit intimis medullis,
Quamvis Lusaticis remotus oris
Ilmi se recreet loquace lympha. —
Sed non haec mihi vis divitiarum,
Nec mens est Tibi sordidi lucelli
Blandis illecebris adulterata.
Gaudes carminibus, pioque vate,
Qui Hymen, Hymenaee! clamitare,
Et possit niveam sacrare lucem,
Qua sponsa ingenuo rubore tincta
Tot incendia cordis aestuantis
Compescet TIBI basiis hiulcis,
Exsuget TIBI flammeis labellis,
Exstinguet TIBI lacrimis tenellis;
Quot incendia fervidis cavernis
Aetne sustinet et minax Vesevus.

Ergo huc ocyus, huc adeste Divae,
Quarum numine pectus incalescit,
Adeste Aonides mihi puellae!
Sed comtae et nitidae et venite cultae,
Et cum carminibus venite cultis,
Et doctum mihi praedicate *Sponsum*,
Et pulchram mihi praedicate *Sponsam*
Et, queis illaqueavit illa *Sponsum*,
Mille corporis ingenique dotes,
Et quae, cum semel alligavit ambos,
Non solvenda parat Cupido vincla.

Ergo huc ocyus, huc adeste Divae!
Sed frustra voco. Non adestis ullae. —
Inclamabo iterum altiore voce:
Huc, huc ocyus, huc venite Musae! —
Ah nullae veniunt! ah me miserum!
Turba perfida, non amica turba,
Nolo carmina doctiora, parvos
Afferte hendecasyllabos poetae,
Et, quocunque lubet, pedes referte! —
Ah, nullae veniunt; negant, recusant.

Sed qua suspicer has negare causa?
Fallor, an peregre est sacrata turba,
Multorum prece iam prius vocata.
Ut, dum saevit hiems, levem corollam
Et Flores properent probae puellae,
Quae reddit Iove TE beatiorem.

Ergo floscule, quem novem sorores
Legerunt per amoena prata Pindi,
Cum Sponsae capiti implicatus haeres,
Et Sponsus prope te osculatur illam,
Fac, quaeso, auribus haec cito insusurres:

Boettgerus TIBI nuptiale carmen
Nequit mittere, pessimus poeta,
Desertus misere vagis Camoenis.
At idem Tuus optimus sodalis
Pauca haec me TIBI nuntiare iussit!
Est illi fere trimulus puellus,
Qui iam literulas conatur ore;
Is parvam sibi postulat puellam
Olim foedere copulandam Amoris:
O si coniugio Tuo *educatus*
Talis Flosculus heic repullularet!

VII.

VIRO ANNIS MERITISQUE VENERABILI

CHRIST. FRIDER. SCHNAUSSIO

REM PUBLICAM PER QUINQUAGINTA ANNOS MAGNO CIVIUM, MAGNO PRINCIPIS PLAUSU ADMINISTRATAM

ET SEMISAECULARIA SOLEMNIA

PIE GRATULATUR

C. A. B.

VIMARIAE, A. D. XVI. MAII. MDCCXCIII.

Thuringae validissimis in oris
Turritum caput usquequaque tollit
Arx excelsa, vetus (ferociores
Wartburgum a specula patres vocarunt).
Haec, quae lustra trecenta computavit,
Inque hoc tempore laeta multa vidit,
Se nunquam memorat iugis ab altis
Conspexisse diem beatiorem,
Quam qua SCHNAUSSIUS (ille, cui suprema
Iussu Principis obtigit potestas
Et legum moderamen atque habenae,
Quo castus magis integerque nullus
Intactae Themidos fuit sacerdos,
Non servantior aequitatis ullus,
Et magis rigidus tenaxque custos,
Qui non *Principis Optimi* favore,
Non tam munere, decorumque honore,
Quam virtute sua fuit coruscus
Et candore animi atque puritate,
Qui portus fuit omnibus Camoenis,
Doctis omnibus atque literatis)
Quam qua SCHNAUSSIUS in sinu suorum
Aetatis decimum laboriosae
Lustrum condere gaudet et peractum
Laetabunda iterare mente cursum.

FORTUNATE SENEX, iuvat decorae
Fronti innectere civicam coronam,

Quam *Princeps populique* luce festa
Pro tantis meritis laboribusque
Consensu unanimi rite sacrarunt.
Audis, quantus ubique plausus instet?
Quantus Vimariensium Tuorum
Quantus Isenacensium Tuorum,
Lucem praedicet auream triumphus?
Hac, qua quisque cupit recludere altos
Sensus pectoris intimo recessu,
Doctam turpe foret silere Musam.
Iam vates video repente factos,
Qui doctis numeris et eruditis
Certatim celebrent diem beatum,
Et solemnia tanta moliantur
Ad coelum lepido vocare versu.

At quid incipiam, quibus vocabo
Turbam nominibus novem sororum
Infelix ego, qui poeta non sum!
Numquid garriet inter hos olores
Raucus, stridulus, insuavis anser?

Ergo carmina iam crepare nolo.
Sed sunt vota tamen, precesque castae,
Quas si exceperis aequiore vultu,
Spiretque aura mihi Tui favoris,
Ausim me in numerum referre vatum,
Et praeponere crinibus corollam,
Quali Pierides beant poetas.

„Tu, quae pocula nectaris ministras,
Cui ridet Venus, et benigna Tellus,
Quocunque ingrederis, pedesque figis,
Ex alta nive flosculos profundit,
Hebe, sive *Iuventa* vocaris, audi,
(Nam tu audire soles preces piorum)
Audi, Diva, precor, meisque votis
Commota ocyus advola, Senique,
Cuius vitam hodie loquuntur omnes,
Et cui vitam hodie precantur omnes,
Divinos latices tuae iuventae

Haustos e puteo Iovis propina!
Nam cum guttula parva possit omnem
Abstergere situm pigrae Senectae
Et propellere, quicquid est malorum,
Sane non video, quid obstet unquam,
Quo minus scyphus haustus ore pleno
Annos Nestoris et beata saecla
Illi, cui cupimus, queat parare.

VIII.

HUFELANDIO SUO
DESIDERATISSIMAM PUELLAM OPTATIS HYMENAEIS SIBI IUNGENTI PARANYMPHUS VIMARIENSIS.
A. D. 8. CALEND. SEPTEMBR. 1793.

Dicturus lepidissimum Hymenaeum,
Huflandi, Tibi nuptiale donum,
Tentabam precibus ciere Musas,
Ut mos est fere pessimis poetis,
Qui rodunt digitos, caputque scalpunt,
Nec quicquam tamen extricare possunt.
Clamanti mihi bisque terque Musas,
Musas difficiles, nec audientes,
Repente adstitit has profecta in oras
Cypri diva potens, caputque quassans
Derisit miserum, atque, „inepte," dixit,
„Cur vox irrita, vana tundit auras?
„Nunquam conspicies novem sorores.
„Nam primum tibi, qui poeta non es,
„Vel parvum unguiculum manus sinistrae
„Nunquam Musa dabit deosculandum,
„Nedum ut versiculos tibi ministret.
„Dein, si carmine vinceres poetas
„Omnes, quotquot erunt, fuere, nunc sunt,
„Dedissetque tibi, suo poetae,
„Musa os purpureum deosculandum;
„Frustra nunc tamen has deas vocares,

„Quas auriga meus, vagus Cupido,
„Cum cycnos roseum ad iugum vocaret,
„Per gratum nemus et vireta Paphi
„Vidit carpere ramulos tenellos,
„Vidit nectere myrteam corollam,
„Ut sponsae, lepidissimae puellae,
„Quam complectitur intimis medullis
„Huflandus tuus, hoc decus pararent.
„Ergo non poterunt adesse Musae.
„Et tu, si sapis, ista linque doctis,
„Quos Brunsviga colit, vehitque Fama
„Quadrigis niveis per ora vulgi.

Sic dixit Dea. Lacrymis obortis
Mutavit mihi vultus et ruborem
Contraxit gena. Turpe nam putabam,
Cum clament Hymen, Hymenaee! cuncti,
Nullo carmine munerari amicum.

Quo viso Venus, ut levaret acrem,
Qui pectus mihi pungeret, dolorem,
„I, sponso mea iussa perfer," inquit;
„Nunc blandae Veneri litare par est.
„Licet virgine iam diu cupita
„Amplexuque Tuam frui *Minonae*,
„Qua nil dulcius est, suaviusque,
„Ut mellita magis nec ipsa mella,
„Nec sit suavior ipsa suavitudo.
„Et dum sugere nectar e puellae
„Castae floridulis studes labellis
„Atque incendia cordis aestuantis
„Lenis largifluo imbre basiorum;
„Hanc legem Tibi firmat ore vero,
„Et scribi iubet aere Diva Cypri:
„Quot Tu millia basiationum
„Hac tota die fixeris puellae,
„Tot olim pueri, beata proles,
„Hoc ex connubio propullulabunt,
„Et quot millia basiationum
„Nocte in mollicula et bonis tenebris

„Inter nequitias rapis puellae,
„Tot olim nitidissimae puellae
„Hoc ex connubio propullulabunt!

Haec effata Venus, triplexque Parca
Scripsit verba adamantinis tabellis.

At Vos ludite, delicatiorum
Flores carpite mille basiorum,
Quot nec Lesbiolam suam poposcit
Vates multivolus Catullus ille,
Catullus pater osculationum,
Nec unam esse satis putate prolem,
Sed HUFLANDIOLOS novos quotannis
Et HUFLANDIOLAS novas quotannis
Alterna vice, surculos novellos,
Dum ridet Venus, usque procreate!

IX.

IOANNI GODOFREDO HERDERO NOVOS PRAESULIS HONORES GRATULATUR COETUS GYMNASII VIMARIENSIS.

IDIBUS IULIIS MDCCCI.

Nuntia dum nostram discurrit Fama per urbem,
Undique et hos placido spargit ab ore sonos:
„O cives, audite! Novos decrevit honores
Dux BONUS Herdero splendidiusque decus;"
Ecce rapit mentem ferventior impetus, atque
Insolitus subito permeat ossa calor.
Nec mora, quam paries conspersam pulvere habebat,
Aggredimur temere sollicitare lyram.
Turba nocet: nimio rumpuntur pollice fila;
Nam lyra bis centum vix capit una manus.
Unus adest, nostro qui nomine fervida dicat
Vota et gratanti flagitet ore deos.
Coeperat hic resono chordas percurrere plectro,
Et fidibus grandes iam sociare modos;

Cum subito Phoebus medias delapsus in auras
Ore minax celeres hos daret ipse sonos:
„Quid, male sane, paras numeris gravioribus impar
„De tantis tenui laudibus ore loqui?
„Has partes aliis, queis spiritus altior intus
„Pectus agit, ne sis nescius, ipse dedi.
„Vos tantum pia thura focis adolere decebit,
„Et precibus populi consociare preces."

Ergo nunc sacra thura focis adolere, precesque
Addere iam precibus, queis strepit aura, iuvat:
Dii Tibi dent quicquid meruisti, HERDERE, meresque,
Et rata perpetuum, quae tribuere, velint.
Dii Tibi dent annos! Nam caetera, quae prece multa
Exposcit populus, Tu dabis ipse Tibi.
TE duce per violas biferique rosaria Paesti
Est iter ingenuo, qui canit ista, choro:
Ergo per violas biferique rosaria Paesti
Ducat odoriferum, quod Tibi restat, iter!

X.

FR. VOLKM. REINHARDO
MISSA PROTOME AERATA MARTINI LUTHERI, A SCHADOWIO STATUARIO BEROLINENSI AFFABRE CAELATA
XENION.
A. D. XII. MART. MDCCCVII.

Donarem pateram et vascula myrrhina,
Turre in fumifica Misnia quae coquit,
Donarem digitis aurea vincula,
Donarem nitidum pyxidós aureae,
Quod gemmata notat litera, operculum,
O Reinharde, Tibi. Festus enim dies,
Quo Te Suada potens eloquii dea
Nascentem placido lumine viderat
(Mox sessura Tuis pervigil in labris),

Hic cycno niveo candidior dies,
Quicquid magnifica riserit in domo,
Aut arca in solida, promere nos iubet,
Ut natalicio munere splendeat.

Sed non haec mihi vis. Nec Tibi talium
Res est aut animus deliciarum egens.

Ergo quid pietas dedicet hac die,
Pignus laetitiae, vix satis exputo. —
Parvos parva decent. Nec, scio, respues
Vilis materiae pondera deprecans
Argillae fragilis munera tinnula.
Argilla e fragili splendidam imaginem
Expressit sapiens artificis labos,
Admovitque facem, natus Iapeto
Qua signis animam fictilibus dedit.

Nam spirare putes et voce mascula
Vecordes animos seclaque turpia
Castigare virum, quem facili manu
Solers nunc hominem ponere, nunc deum
Effinxit Schadius, non sine numine.

Lutheri faciem conspicis inclytam!
Haec frons lata viro! Fervidus emicat
Fulgor ex oculis! Ora resolverit,
Orantem bibulis auribus audies.

Si caelestia nunc gaudia linqueret
Lutherus, populi Saxonici decus,
Ad Te confugeret, dextraque dexterae
Statim iuncta foret. Scilicet obiicis,
O Reinharde, caput mille periculis
Morborumque minis Te cruciantium,
Pro vero et patria non timidus mori,
Lutherique sequax, ceu scopulus maris
Irati cohibens spumea verbera,
Perstas magnanimus, propositi tenax.
Lutheri e cathedra Tu quoque praedicans
Veri verba Dei iussaque lucida,

Firmasti in iuvenum pectoribus fidem,
Quam, si cuncta cadent, nil tamen obruet.
Testis est Viteberga et tumulum alluens
Lutheri virides Albis amans agros!

Ergo qui Tibi nunc egregii Viri
Eductus tenui vultus adest luto,
Argilla est, minimis splendet honoribus:
At si rite tuas inhabitet domos,
Fiet nobilium is mox quoque imaginum,
Et quovis Pario marmore clarior
Sublimi feriet sidera vertice.

XI.

GUILMINAE SUAE,
PUELLAE LEPIDISSIMAE, QUO DIE NUBERET
REGULAE,
ID EST, MARITO AD AMUSSIM FACTO,
TECHNOPAEGNION.

A. D. XXIII. APRIL. MDCCCVII.

„Sparge nuces, bone *Sponse!* leves nos spargere nugas,
Nos iuvat ambiguo nectere verba ioco."
Sic fatus conviva satur, dextramque sinistrae
Vicini immittens hos dedit ore sonos:
Dic mihi, sic Pythius lauro tibi tempora cingat,
Et tripodas faustis porrigat ex adytis,
Dic vocem, quam si totam proferre recuses,
Inque duo scissam fragmina rite seces,
Duplex prosiliet tibi vocula; vocula princeps
Rem clamat, *re* vult ipsa placere tibi.
At quae truncato capite exit vocula, monstrum est,
Quod centum linguis lambere cuncta solet,
Suspendit nares pinguis nidore culinae,
Arrodit, quidquid retia vara trahunt,
Per mare, per terras nova semper fercula captat;
Parva loquor, fundos regnaque tota vorat.

Caudam iterum addideris capiti, monstroque insuis
Rem, nihil in terris esse potest melius.
Protenus existit nova res, quam dicere non est,
Qua sine nec iudex dicere iura potest *),
Nec faber aedificare casam, nec stare columna,
Nec rhetor ad populum verba probanda loqui. —
Adnuis et vultu rem te tetigisse fateris;
Dum loquor, in mensa litera scripta mero est,
Regula sum, quam quaeris, ait tibi litera scripta,
Regula, quis nescit, *re*que *gula*que coit.
Agnosco, fateor, nota est tibi regula! nodus
Unus adhuc nobis dissoluendus erit.
Quam tu in femineo sexu latitare putas rem,
Barbam habet et validi mascula membra viri.
Et ne quid dubites, sedet, en, formosa puella
Barbati in gremio. Quis neget esse virum?
Ergo iam fient, fieri quae posse negabas,
Regula, quae fuerat femina, facta vir est.
Orbilii valeant, qui, quae sit regula, cantant,
Propter quam memini verbera dura pati.
Regula quid valeat, iam discite; regula ducit
Uxorem, qua vix pulchrior ulla fuit.
Regula iam caros coepit sperare nepotes:
Iam seges in herba est; plaudite grammatici!

XII.

FRANC. VOLKM. REINHARDO GENETHLIACON.

A. D. XII. MARTII MDCCCVIII.

Festa, quae primum Tibi risit ab aethere, luce
Munera missuro quantulacunque Tibi
Mens dubitat, curas nunc huc, nunc dividit illuc
Nescia, quae mittat dona parata Tibi.

*) Horat. I. Serm. 3. 118.

Scilicet, ipse Tibi Tu sufficis; ipse parasti
Omnia, quae possent mille beare viros.
Tu polles animo. Vena Tibi divite manat
Eloquium felix, ingeniumque ferax.
„Vecors, noctivagas volucres qui portat Athenas!"
Audio. Sed concors pignora poscit amor.
Unde petam? — Raucis reboant clamoribus aurae,
Mercurius vendax assidet ipse foro.
Opportunus adest mercatus; munera blanda,
Quae Tibi natalis dedicet, ille feret!
Mira cano. Casulis urbs aedificatur in urbe,
Rustica plebs clamat, truditur, adstat, emit;
Ipse quoque immergor fortis popularibus undis,
Eluctor cubitis compita, tecta, vias.
Dispicio merces, populo quas pandit hianti
Institor et populus quas sibi poscit emax.
„Diripit haec populus! Cupit haec mulierculà!" Credo!
Sed dic, qui possint ista placere *viro*?
Ad populum phaleras! Quantum est in rebus inane!
Non eget his sapiens. Turba molesta vale!

Doctis docta placent. Vin' docto mittere amico?
Quaere Palatino scripta probata deo,
Sic mecum. Cellas Sosiorum sedulus intro.
Heus, monstrate libros, qui novitate placent!
Nec mora. Prosiliunt sexcenta volumina, prelis
Exsudata novis, uda puerperio *).
Fit murmur. Libri circumstant, agmine facto;
Quilibet exclamat: me lege, doctus eris.
Sic caupona fremit muscis, ubi Sirius agros
Torret, sic apibus florida prata strepunt.
Sic, nive nubivaga cum Iuppiter inquinat Alpes,
Nix, ceu pluma sequax, obsidet ora virum.
Dii, talem pestem Turcis immittite et Afris,
Quae me, cum peterem scripta novella, subit.
Fronti nulla fides. Vano promissor hiatu
Ignotas titulus, pollicitatur opes.

*) Satis constat, humectari chartas, typis imprimendas, et prel subiiciendas. Hinc nostrates: *nock nass aus der Presse.*

Intro si spectes, nihil est. Stomachabere. Crambe
Bis decies cocta est, qui vorat ista, dolet *).
Scribimus imberbes. Decantat pullus in ovo.
Femina fit auctor. Parturit omnis ager.
Ergo ridiculum est, perituris parcere chartis.
Charta cadet. Quidni? Maxima regna cadunt.
Frustra igitur quaero lepidumque novumque libellum,
Qui natalitio pumice rasus eat.
Nec Tibi fraus fiet, *Reinharde!* quid aera lapidis
Distent, a teneris Te didicisse iuvat;
Nec Tibi, qui cento est, vendetur purpura. Nullis,
Clamet praeco licet, deciperere dolis.

Unum restabat. Rittneri pergula monstrat,
Artis Apelleae quidquid ubique fuit **).
Hic varias formas notat aere expressa tabella,
Hic ars chalcographi venditat ora virum.
Advolo. „*Lutheri* pictos ostendite vultus,
Reinhardo ut mittam; muneris instar erunt.
Sic similis simili sociabitur. Inchoat ille,
Magnum hic continuat non sine numine opus."
Scrinia perspiciens homo dexter: quod petis, hic est;
En tibi, quo melius vix reperitur, ait.
„En tibi, Lutherum, cui palmas Gratia praebet,
Gratia coelestis, Spesque, Fidesque et Amor.
Bis senis picta est Lutheri vita tabellis;
Hic pater infantem consecrat ante torum;
Sustinet hic socium Lutherus fulmine tactum;
Intrepido iuncta est hic Catharina viro;
Hic fovet alloquiis, hic magno detonat ore!
Frangitur hinc Satanae, civicus inde furor.

*) Legunt libri nonnulli: *vomit*. Sed allium oboluisset, qui sic scripsisset, rure inficeto inficetior. Alii: *tumet*. Spectavit hoc huc dubio ad sciolos quosdam et nasutulos nostrae aetatis homines, qui ex philosophi nescio cuius intermundiis huc delati, miro flatu inturgescunt, nova et inaudita plane parturientes, quae, si nossent historias, nil nisi Saturni somnia esse, facile ipsi intelligerent.

**) Rittneri nostri pinacothecam, in platea Palatina Dresdae apertam, lautissima bonarum rerum copia refertam et praetereuntium animos pictis illecebris irretientem, norunt et invisunt quotidie spectatores fautum elegantiarum et quantum est hominum venustiorum.

Hic chorus angelicus morientem recreat. Aures
Permulcent cantus: arx tibi firma Deus!" *)
Sic cantat bibulas picturae interpres ad aures.
Perplacet. Accipio, quod mihi monstrat. Euge! **)

Ite, leves elegi, *Reinhardo* ferte salutem;
Addite picturas, pignus amicitiae.
Arx Tibi firma Deus! Sic ingeminate. Notabit
Cuncta adamante notans omina laeta Deus!

XIII. *

VOIGTIO, VIRO INCLYTO, CUSTODI ET SOSPITATORI CIVITATIS VIMARIENSIS-ISENACENSIS

GENETHLIACON.

D. XIX. DECEMBR. MDCCCVIII.

Consiliis, Vogti, Tu Nestora vincis et arte,
Nestora longaevum, qui tria secla videt.
Nestoris alloquium trepidantes firmat Achaeos,
Quidquid et exitio est, pellitur arte senis.
At facile est, populo, magnus quem servat Achilles,
Cui favet ipse Tonans, consulere arte nova.
Victa Tibi, Voigti, non victrix causa placebat;
Pelides procul est! Intonat ira Iovis.
Imperturbato vultu, tonet usque licebit,
Tu Iove maiorem Napolcona vides.
Tu constas Tibi, Tu pestes depellis ab urbe,
Urbs curae et cordi est nocte dieque Tibi.

*) Cantici, auro contra non cari: *eine feste Burg ist unser Gott*, si quis omnem vim, quam exseruit in animos cordatissimorum hominum, enarrare conaretur, opus haud exiguae molis nasceretur. At haec non scribuntur, sed sentiuntur.

**) Opus nitidissimum, ab Erdmanno *Hummelio*, artifice Berolinensi, delineatum et duodecim tabulis aeneis, forma maxima, insculptum inscribitur: *Dr. Martin Luthers Verherrlichung, in 12 Blättern, erfunden und gestochen von Erdm. Hummel.* Felici argumento nec ingenium artificis in excogitando, nec dexteritas in elaborando defuit.

Vir constans ipsis praebet spectacula Divis,
Impavidum feriet nulla ruina caput.
Detonuit. Sudum est coelum, et Iove quidquid ab aequo
Defluit in cives, Tu Tibi missa putas.
Tu Tibi missa putas. Sed praemia magna modesto
Vult Deus esse viro. Praemia magna feres.
Tu, qui consilio vicisti Nestora, vincas
Nestor eos annos, si prece posco Deum,
Ridebor vecors. Quis nunc tria secula vivit?
Traderet haec ventis irrita ferre Deus.
Parva precor. Seclum tribuat Deus e tribus unum
Nec dare si vellet plura, tulisse velis.
Audiat haec Lachesis. Crescant subtemina fuso!
Lustraque contingant bis Tibi dena! Vale!

XIV. *

SEUMIO SUO

ἀνδρὶ τετραγώνῳ ὑγιαίνειν.

ἀβάπτιστος, φέλλος ὤς.

Vir constans ipsis praebet spectacula Divis,
Impavidum feriet nulla ruina caput.
Imperturbato vultu, tonet usque licebit,
Adspicis et rides Tu Iovis ipse minas.
Rides et risu cruciatus pellere discis.
Audiat haec medicus, scribat et in tabulas:
Pellere qui nescit morbos risuque iocoque,
Abderitanae pectora plebis habet.

XV.

FRANC. VOLKM. REINHARDO GENETHLIACON,

ADDITO COROLLARII INSTAR CAPITE AERATO, AD KLOPSTOCKII SIMILITUDINEM AFFABRE CAELATO.

A. D. XII. MART. MDCCCIX.

Dicamus bona verba *)! venit natalis amici
Reinhardi. Festa luce tacere, nefas.
Muneribus celebranda venit. Quis munera monstret,
Quae possint tanto missa placere viro!
Sufficit ipse sibi; nec, quae plebecula captet,
Nec nisi, quae donet, dona iuvare solent.

Haec mecum, noctu, cum, dormitante lucerna,
Fessa tibi, dulcis lectule, membra darem.
Nec mora. Somnus adest irrorans membra quiete,
Arrepunt tacito somnia blanda pede.
Mira cano. Apparet subito mihi femina. Turres
Frontem ornant. Clavem cingula lata ferunt,
Clavem, qua coeli, pictoribus atque poetis
Credere si fas est, porta beata patet.
Forma ingens. Plenis turgescunt pectora mammis;
Magnam sic Triviam fana Ephesina sacrant.
In manibus cithara est, vittatam laurus obumbrat.
Mammas tolle, sacri signum Heliconis habes.

Atque ea, cum dubium et trepidantem multa videret,
Ridet et haec, pulsans tinnula fila, refert:
„Quid metuis matrem, quae te quoque fovit in ulnis,
Musarum nutrix, almaque Porta vocor.
Coeli Porta vocor **). Coelestia pabula pando,
Artis Apollineae nectar et ambrosiam.

---

*) Telesphorum, numen in mysteriis Cabirorum salutiferum, fronti primae pagellae aere inscriptum (nunc Tab. II. fig. a.), numus habet Nicaeae. Literae nonnullae in hoc ectypo, quod edidit *Schlaegerus de diis servatoribus*, n. 33. perperam scriptae et evanidae. Vera lectio est *Θεῷ τελεσφόρῳ Νικαιεῖς*. *Eckhel* D. N. T. II. p. 425.

**) Satis constat vel e Pertuchii Chronico, Portam, priusquam magni

Adspice, si dubitas." Cervicem haec fata retorsit;
Fit fragor, approperant millia multa virum.
Omnibus his merita cinguntur tempora lauru;
Omnes, conspecta matre, perurit amor.
Oscula delibant, manibus genetricis inhaerent,
Plaudunt, acclamant: Porta benigna, fave!
Non mihi si centum linguae, centum ora sonarent,
Eloquerer speciem, quae mihi visa, virum.
Obstupui. Attonitum bona Porta timore levavit,
Dignata alloquiis me recreare novis.

„Cur mea nunc media te nocte revisat imago,
Miraris, causam disce, quietus eris.
Crastina lux, fausto Reinhardi nobilis ortu,
Aonidum turbae concelebranda redit.
Porta quoque hanc lucem signat meliore lapillo,
Magnanimi tangit me quoque cura Viri.
Scilicet incolumem qui me mihi reddidit, hic est;
Lavit et a maculis, improba Fama, tuis.
Fama loquax, probris inhians, male pasta susurris
Dixerat: haec anus est! exaruere genae!
Atque aliquis baculo suffultus forte viator,
Colle ex vicino moenia nostra videns,
Quassavitque caput, gemuitque, deditque querelam:
Quae mater dicta es, Porta, vocaris anus.
Sum, fateor, matrona gravis. Sed foeda senectus
Est procul. — In naso pustula forte fuit.
Ipsa ignoravi. Speculum, quo Lesbia gaudet,
Pallados exemplo *), consuluisse piget.
Hanc mihi detersit, miscens medicamen et ungens,
Reinhardus docta perpoliitque manu.
Prae reliquis mihi nunc emendatissima forma est,
Praestitit hoc tanti provida cura Viri.

Mauritii auspiciis in officinam bonarum artium converteretur, a monachis Walkenriedensibus Portam coeli appellatam esse. Et facile hoc conciliari poterat cum eo, quod tradunt nonnulli, monasterium illud simpliciter ad Portam (*zur Pforte*) dictum esse.

*) Callim. Hymn. in Pallad. 17 — 20.

Mittam igitur gratam testantia munera mentem.
Tu novisti aditus; accipe, perfer, age!"

Dixerat et roseos abiens afflarat odores;
Excutior somnis, exsilioque toro.
Fallax per portam species non lusit eburnam,
Adstitit en nitidum, quod Tibi porto, caput.
Quod Tibi porto caput, Reinharde, aerata figura est,
Klopstocki vultus pulchre imitata refert *).
Hunc aluit quondam Porta. Hoc se iactat alumno,
Nec matrem vates abnegat ipse pius.
Auritae quercus Portensi in valle feruntur
Messiados primis adstupuisse sonis.
Ecquid splendidius, quam quo celebratur alumno,
Luce Tibi festa mittere Porta potest?
Si superis sensus, laetetur munere vates,
Nam sensus Vobis paene gemellus inest.
Teutonicae linguae Tibi vena est mascula; vates
Carmine Teutonicas fortiter auxit opes.
Grandiloquo Christum cantat Klopstockius ore;
Christum professo mel fluit ore Tibi.

Ite igitur vultus Klopstocki, dicite amico:
(Nam fari artificis Vos docet ipsa manus)
„Accipe, quae misit, Boettgero interprete, Porta.
Quaeque illi in somnis dona ferenda dedit,
Vera puta vigilans; solida est, quam cernis, imago.
Orator vati sic sociatus erit.
Messiados cantor bis septem lustra peregit,
Tu quoque bis septem lustra capesse. VALE."

*) Finxit et caelavit affabre Schadowius, statuarius Berolinas, Serenissimo Principi Iuventutis Bavariae, qui tali toreumate Pantheon suum exornari voluit, lubenter obsecundans. Deterait rugas et maciem senis artifex ingeniosissimus; sed spirat vultus, decor in ore, Suada sessitat in labiis.

XVI.

IN OBITUM VIRI INCOMPARABILIS IOANNIS MULLERI IN SYLVELDEN HENDECASYLLABI.

Lugete historiae, dolete, quidquid
Doctorum est hominum per universum,
Cui trux barbaries pepercit, orbem,
Mullerus cecidit, novem sororum
Immortale decus, trium sororum
Hortis in Veneris venusta cura.
Antiquorum hominum, probae monetae,
Incorrupta fides, diserta lingua
Et pectus niveum, sacratum amori.
Hic, quem diligeret sinu receptum,
Nunquam deseruit, beatus illo,
Ut si per glaciem poli nivalis
Per Syrtes Lybiae, per Alpium atras
Speluncas iter esset huic amico,
Haereret tamen huic sequax sodalis,
Languentem propriis cibans medullis.
At nunc it per iter tenebricosum
Illuc, unde negant redire quemquam.
Heu factum male! scinde, tunde pectus;
Qui patrocinio levat iacentem,
Qui solatiolum ministrat aegrae,
Qui noctem face pellit imminentem,
Huic nox perpetua una dormienda est.
Plange *Helvetia*, clausus est ocellus,
Cuius splendida flammulis micabas;
Cuius scripta tuam tulere ad astra
Famam, quo cupide gavisa alumna es,
Mullerus premitur malis tenebris.
Ergo per gelidas tepescat Alpes
Nix aeterna, liquesce Virgo, Furca,
Ut magnos Rhodanus cavum in Lemanum
Fletus gurgite densiore volvat!

At tu frange tuos, quis uteretur
Nunc illis, calamos, misella Clio;
Quem tu plus oculis tuis amasti,
Mors atrox rapuit; iacent sepultae,
Quis impalluit undique appetitis,
Chartae, Mnemosynes stylo exaratae,
Quas Lethe taciturna mox vorabit,
Doctae, Iupiter, et laboriosae *).

Legat, cui otium est, Ciceronem ad Diversos V. 16, 4. 5.
Dresdae Id. Iuniis MDCCCIX.

Diar. matut. 1809. n. 152.

XVII.

FORTUNAE REDUCI,

PATRE PATRIAE

IPSO NATALI SUO

A. D. XXIII. DECEMBRIS MDCCCIX.

AD SUOS REVERSO.

Sol verus patriae, REX, aberat. Pii
Hinc clamor populi, votaque civium:

*) L. S. In Hendecasyllabis nuperam magni historici mortem deflentibus exstant loca nonnulla, quae a malevolis carpi et calumniando in peius detorqueri posse, ab amico admoniti intelleximus. Satius igitur erit tribus verbis exponere, quae animi nostri fuerit sententia, cum turbati inopinato male ista effunderemus. Enimvero quaesitum esse a nonnullis accepimus, quid sibi velit *trux barbaries* statim ab initio carminis. Dicam. Britannorum est bella e bellis serentium, et Europam universam lento duello collidentium mira perversitas, ex qua ultimis temporibus magnam quoque indignationem conceperat Mullerus. Causam, cur haec moliantur, qui clavum imperii maritimi tenent, non est quod subtiliter indagemus. In aperto est et indicavit lepidissima comparatione iam Aristophanes Equit. 860. seqq. Qui anguillis insidiantur, cum aqua pellucet, nil capiunt. Turbanda est. Sic crescit captura. Versiculum: *qui patrocinio levat iacentem*, obscuritate quadam laborare, conquesti sunt alii. Dolemus sane, effluxisse iam ex animis praeclarum libellum et vere aureum, quem de foedere, a Germaniae principibus, magno Borussiae rege auctore et suasore, adversus impotentissimam Austriacorum dominandi libidinem inito composuit Mullerus: *Darstellung des Fürstenbundes*, Lips. 1787. Iacuisset inops ornamentis suis et propugnaculis exuta Germania, nisi defensores nacta esset ingentis spiritus Regem et, qui cum illo coniuravere, principes, patronos Hesbergiunt, Mullerum, Dohmium. Atque haec illis dicta sunto, qui quod infantes in faba reperiunt et in luce meridiana spectris exagitantur ac lemuribus.

Diar. matut. 1809. n. 168.

Lucem redde Tuae, REX bone, patriae,
Noctem pelle Tuis: *redi!*

Audistis? reboant moenia, centies
Clamat flammivomis faucibus aenea
(O suavem sonitum, grata tonitrua!)
Belli machina: REX *redit.*

Campanaeque canunt, turribus additae
Linguae, queis populus laetior accinit:
Maturum reditum pollicitus PATER
Promissis stetit! en, *redit.*

Fervor laetitiae, tu quoque piscibus,
Quos Albis vitreis vorticibus vehit,
Donature cycni dulcisoni modos,
Clama, perstrepe: REX *redit.*

REX, quem tuta Quies, quem sequitur Fides,
Cui dextram dedit et pignora regia
Magnus NAPOLEON, hospes ab hospite
Faustis ominibus *redit.*

Custos gentis adest! Cernite regios
Vultus! in labiis laeta serenitas,
Pax in fronte sedet! Pacis ab arbitro
Venit, pacem habet et *redit.*

Ergo, Dresda, tuos funditus emove
Muros, valla reple, dirue moenia;
Nam turrita places tu minus. En, ferens
Pacis pignora REX *redit.*

Firmum praesidium Saxoniae suae
Portans (quam clypeo non penetrabili
Vindex NAPOLEON fortiter obteget)
Laeto pectore REX *redit.*

Nunquam candidior, quotquot erunt dies,
Fulsit Dresda, tibi. Nam PATER OPTIMUS
Bis natus patriae dicitur hodie,
Natalique suo *redit.*

Ergo, candida lux, te niveâ notâ
Signabit suboles postera, te canent
Vates eximii! tu populo pio
Decantanda diu radi.

XVIII.

DOERINGIO SUO,
AMICORUM OPTIMO,
IN NUPTIAS SUAVISSIMAE FILIAE SECUNDILLAE,
FRIDERICAE,
IPSIS IDIBUS FEBRUARIIS MDCCCX.
GOTHAE CELEBRATAS
EROTOPAEGNIUM.

Ὦ παῖδες, οἷον φίλτρον ἀνθρώποις φρενός.

„Adeste Hendecasyllabi, quot estis!
Huc, huc, o numeri Catulliani!
Iam talaribus implicate plantas,
Et, ne membra gelu perurat acre,
Nam longum est iter, applicate pelles!"

Adsunt versiculi, advolant vocati.
Iam mens praetrepidans avet vagari;
Adstant iam petasati et ocreati,
Aptis sarcinulis et expeditis,
Instant, quae mea iussa sint, requirunt.

„Heus, Thuringia protenus petenda est,
Nutrix fausta virum eruditiorum,
Doeringum properate adire amicum,
Quicum vivere amem, moriique in ore,
Si sic Parca potens iuberet, hora.
Quid horrescitis, o boni! quid ora
Pallor inficit? an timetis illam?"

Et

Uno vociferantur ore, clamant:
Alpha est grammaticorum et est severis,
Ad cuius cupis ire nos pedites.
Est nasutior et retrudet omnes
Naso versiculos tuos adunco.

„At magni patris edidit libellos
Abstersis maculis facetiores.
Et si vel minimas patris refertis
Notas in facie, Catulliana
Solvet frigora baiationis."

Sed errabimus usque sciscitantes
Urbis per plateas, per angiportus! —

„Dicam signa, quibus probe notatis
Nunquam limina nota transvoletis.
Praefert ianua myrteas corollas,
Fervet tota domus strepente plausu,
Halant ambrosios cubicla odores,
Fumos laetificos vomunt culinae,
Despumant animam cadi capaces.
Nam rident face cuncta nuptiali,
Intravitque Hymenaeus aequus aedes,
Quo calcante solum, nives liquescunt,
Virescit glacies, rosis crocisque
Ipsae Idus Februariae nitescunt."

„Ergo accurrite, si cubicla lauta
Intrastis, propere patrem puellae,
Quae sponsi cubat in sinu reclinis,
Ad sponsum leviter caput reflectens,
Circumsistite, cingite, obsidete,
Haerete in genibus, tenete collum!
Et raptis cupidissime lagenis,
(Stant longo ordine, prodigae crusoris)
Undenis cyathis mero repletis,
Sugentes modo margitem labellis,
Ut mos est hominum venustiorum,
Ter salvere iubete nostrum amicum:

Doeringo bona verba *Boettigerus*
Mittit, dicite; nuptiale munus,
Gemmas, vascula, pepla, margaritas
Apportent alii beatiores,
Quos Pactolus amabilis deaurat.
Mittit versiculos vetus sodalis
Nec comtos nimium, nec eruditos,
At promtos animi intimo recessu.
Tu nunc filiolam novo marito,
Expertus generum Tibi fidelem,
Quo nec dignior eloquentiorve est,
Locas. Accipe vota Boettigeri:

Quot circumsiliunt levi cachinno
Te nunc versiculi, breves Phaleuci,
Tot circumsiliant avum nepotes,
Laeto e coniugio repullulantes.
Nam si Regula Regulas *creabit*
Domo in Grammatici! beata messis!

Haec cum dixeritis, mei Phaleuci,
Suspensis pedibus puellam adite.
Attollentem oculos putres videtis,
Ut colludere turturique turtur,
Columboque suo solet columba,
Ultro se admovet et pudenter audax
Sese in brachia nexuosa dedit.
Quod si forte, vocatus a sodali,
Sponsus vertitur a sua puella,
Vos saltu volucri insilite collo
Et nunc stringite bucculam tenellam,
Nunc et brachia tortili capillo
Impedite, simul levi susurro
FRIDRICAE auribus haec remurmurate:

Cum sis mellea tota, tota suavis,
Ut mellita magis nec ipsa mella,
Nec sit suavior ipsa suavitudo;
Unum hoc postulat osculum ut propines,
Castum mnemosynon puellae amatae,

Amicus patris et vetus sodalis,
Qui te filiolae in loco putasset,
Dresdae ad moenia si pedem tulisses.

Ridebit, puto, et ore semihiulco
Dabit florem animae suaveolentem.
Iam, si riserit, addere haec invabit:

O quot lectulus et lucerna pernox
Amplexus hodie videbit arctos!
Atque hinc, quod minimum facillimumque est,
Statis mensibus unus emicabit
Flos pulcherrimus, hinc secundus, inde
Plenus floribus hortulus virebit.
Quando flosculus iste primus auras
Dias luminis occupabit, orat
Dresdensis vetulus patris columbus,
Praesenti ut liceat prece usitata
Captare augurium sactae Salutis."

O factum bene! suaviter pudore
Interfusa genas puella casta
Dextram sternuit adprobationem.
Abite, hendecasyllabi, avolate!
Fecistis bene! cuncta sunt peracta!
Quis ullos homines beatiores
Vidit? quis Venerem auspicatiorem?

XIX. *

APELIO SUO,

LEPORUM FACETIARUMQUE PROMOCONDO BEATISSIMO

S. P. D.

BOETTIGERUS.

A. D. IV. MARTII MDCCCX.

Heus, ite, hendecasyllabi, salutem
Portate, cygnus ad fluenta Pleisae,

Ad vatis lepidissimi penates!
Est Apelius iste Gratiarum
Vivax surculus, est novem sororum
Unctus nectare, Paphiaeque in ulnis
Nutritus viridissimis in antris.
Hinc centum puer artium est, valetque,
Quicquid carmine praedicat venusto,
Si cantare iuvat, suos sodales
Ad magni Iovis evocare sedem.
Hunc soccus decet et potens cothurnus,
Et quicquid tetigit sonante plectro,
Fit carmen! lapidem meloe docebit,
Gregi squamigero dabit loquelam.

Nostis, versiculi, hospitale tectum;
Nam vos horridulos, gelu trementes
Emensosque vias luto tenaces,
Queis Thuringia nat voraginosa,
Excepit madidos malis pruinis,
Lucentique statim assidere flammae
Iussis pocula nectaris propinans
Amplexu tenero sinuque fovit,
Dein felice quiete recreatos
Remisit patris ad domum integellos,
Addens sarcinulam perelegantem,
Arida modo pumice expolitam,
Cadmi filiolas nigras ferentem,
Quae carmen canerent sodali amato,
Isti qui omnibus e meis amicis
Antistat mihi millibus trecentis,
Nostro Rochlizio, sacra Hymenaei
Lustrato face, nuptiale carmen,
Carmen, quo melius facetiusque
Nunquam composuit poeta dulcis
Catullus pater omnium leporum.

Vos ergo, hendecasyllabi tenelli,
Qui faustum xenion mihi afferentes
Venistis modo nuntii beati,
Hinc migrate iterum ad relicta tecta,

Poëtae lepido applicate collum,
Libate oscula melleis labellis
Illis, unde fluit melos facetum,
Dein, cum millia multa feceritis,
Unum hoc dicite: Boettigerus iste,
Quem tu mnemosyno novo beasti,
Nos in perpetuam Tibi dicavit,
Nos Tecum esse, Tuos lares habere
Iussit iam domino novo beatos,
Qui tum denique habebimus leporem
Et veri salis integras fodinas,
Quas non aequiparet Wilicsa salsa,
Si nos in gremio Tuo recondens
Adoptansque vocas Tuos puellos.

XX.

FRANC. VOLKM. REINHARDO,

DOCTORI GERMANIAE INCLYTO,

AMICO,

GENETHLIACON.

ADDITO CAPITE AERATO, *IOANNIS MÜLLERI* MAGNI HISTORICI, AMICI, DUM IN VIVIS ESSET, SPECTATISSIMI, INSTAR HABENTE.

A. D. XII. MART. MDCCCX.

In nova fert animus mutatas dicere formas
Corpora. —

Fallor, an auratis tranat liquidum aethera pennis *),
Praetendens tenera roscida serta manu,

*) Gemma, quam in fronte delineatam vides (nunc *Tab.* II. *Fig.* b.) extabat in supellectile antiquaria regis Borussiae, vid. Begeri *Thesaur. Brandenb.* T. III. p. 214. Lucernula est ex aere conflata; candelabro, quod basis demonstravit, imponenda. Elegantiam formae vel e manubrio, cervicis equinae instar inflexo, intelligas. Sed cur lucernulam praefert frons libelli? Demosthenis esse iudicavi, cui cum vitio olim verteret acerrimus magni oratoris adversarius, Pytheas, olere lucernam, quas elucubravisset, orationes (Plutarch. in Compar. Demosth. cum Cicerone c. I. Vol. V. p. 381. *Hutt.* Lucian. Encom. Demosth. c. 15. T. III. p. 502.) haus

Natalis Genius? Quo cursum dirigat alis,
Scire velim. Clamo: „cui nova serta paras?
Vis tibi magna! abigis, Geniorum maxime, brumam,
Te viso, flores parturit omnis ager.
Quo natalitium redimirem limen amici,
Frustra quaerebam; dura rigebat humus!
Tu felix! Tibi terra favet, violasque, rosasque
Submittit. Sed dic, cui nova serta pares?"
Respicit et roseos pulcherrimus afflat odores.
„Quamvis festino, quae cupis, accipe, ait!
Reinhardi natalis adest! huic serta paravi.
En tibi! Reinhardo tu quoque sparge rosam!"

Dixit, et ambrosios quateret cum forte capillos,
Lapsa coronatis defluit illa comis.
Subsilui, ut raperem faustissima pignora. Velox
Aureolum pomum sic Atalanta rapit.
Dumque ego, quo servem, crystallina vascula capto,
Quae lignat ignifluis terra Bohema focis;
Mira cano (ast meritam celebrant miracula lucem,
Qua primum in cunis vagiit ille puer,
Cui nunc eloquii sacri tam lactea vena est,
Verba salutifera ut millia multa bibant);
Mira cano, praegnans coelesti nectare gutta
In foliis, veluti lucida gemma, micat.
Ros mihi visus erat; fallit coelestis origo.
Sed patuit guttae semen inesse novum.
Nam subito intumuit splendenti margine gutta,
Fitque calix ingens, quae rosa parva fuit.

---

maxima fuit, non vituperium. Memini Tibi quoque, quicum de Demosthenis vi et genere dicendi saepe sermones serere contigit, valde probari illud genus dicendi in concione sacra, quod nec lecythos quaerat et calamistratae orationis lenocinia, nec motus excitet in auditorum animis, fluctus, quod aiunt, in simpulo. Docere velle et persuadere oratorem vere Christianum, non delectare et percellere. Atque hoc illud est, quod in Demosthene te valde mirari dictitabas, quem vulgus si tonasse tantum putet et verbis sesquipedalibus perstrinxisse aures Atticae plebeculae, egregie errat, cum, quod Plutarchus ait l. l., fuerit ἔξω παντὸς ὀφθαλμοῦ — εἰς δεινότητα συνηγμένος. Quid multa? Demosthenis lucerna recte migrabit in cubiculum Tuum, Viri, quem ex illius orationibus multum profecisse satis constat, id quod docebis ipse in *Confessionibus homileticis*; quas prelo cum maxime a Te parari, publica laetitia est.

Utque tumet, fisso surgentia germine floris
Extant dimidii colla caputque viri.
Sic picturatis, quae finxit Graecia, vasis,
Quaeque latent tumulis, Itala terra, tuis,
Appictos collo flores puerascere vidi;
Emicat hic rutilis saepe puella crocis *).
Sic nivea e loto, quam fert Nilotica tellus,
Eminet Harpocrates et sedet usque puer.
Pallueram; sed mox timor omnis cessit ab ore;
Insolito visu pectora laeta micant.
Quam rosa progenuit speciem (quis credere possit?)
Mulleri nostri dulcis imago fuit.
Mulleri, pulla quem flet Germania veste,
Nam fuit is patria primus in historia,
Quo rapto lacrymis Clio fecisse lituram
Dicitur et laurum deripuisse comis.
„Quantus in ore decor, labiis quae Suada disertis,
Haec frons, hic habitus, quum loqueretur, erat!"
Sic ego contrectans digitis, dextraque pererrans,
Quae modo flos fuerant, ora probata viri.
Quod dubitem, nihil est, nec fallax lusit imago;
Artificis factum pollice vivit opus **).
Ergo, quos Genius natali destinat horae,
Mulleri vultus limina nota petant!

---

*) Inter praestantissima priscae artis vascula, picturis eiusmodi, protomis scilicet figurarum humanarum e calice floris progerminantibus, in collo angustiore exornata, merito laudantur, quae cernere est in *Hancarvillii* collectione luculentiore T. I. pl. 56. in *Tischbeiniana* T. IV, 14. et in nuperrima amicissimi *Millini* Sylloge *peintures des vases antiques* T. I. pl. XV. Scilicet iam dudum suboluit emunctae naris antiquariis, in his vera indagari posse latibula et origines picturarum, quas, quod in cryptis et antris primum detegerentur, *Groteskas* vulgo appellari, mos obtinuit, *Zoophyta* potius vocabulo Graecanico (v. *Vasengemälde*, T. I. p. 81.) appellandae, graphice iam depictae a Vitruvio VII, 5. p. 189. *Schneid.* „ex coliculis flores dimidiata habentes ex se exeuntia sigilla alia humanis, alia bestiarum capitibus." His similia, sed non plane eiusdem generis ornamenta habenda sunt flosculorum perplexiores ambages et flexuosi maeandri, Arabum studiis nobilitati (*Arabesken*), cuius praeclaram nuper speciem edidit xylographus Berolinas *Gubitius* in titulo operis splendidissimi *Florae Lusitanicae*, cui Ill. Comes *Hofmanseggius* vitam et opes generoso spiritu impendit, pulcherrime concinnando.

**) Hoc quoque toreuma affabre caelavit *Schadowius*, Lysippus Berolinensis, Pantheon Celsissimi Principis Iuventutis Bavaricae exornaturum. Ectypon eius, ad archetypon marmoreum deformatum, prostat Berolini in pergula artificis sculpturis praestantioribus refertissima.

Nam poscit comitem *Klopstockius*. Unus et alter
Mente animoque parem gaudet adisse virum.
Si quis apud Manes sensus, si cura beatos
Tangit, in Elysiis quos iuvat esse locis;
Mullerus, Reinharde, Tibi se dedicat ipse,
Inque Tuo gestit delituisse sinu.

Nuper nescio quis, caudam iactare popello
Suetus, se admirans, sesquipedalis homo,
Candida dum nigris, dum dulcia miscet amaris,
Dum sibi quae fuerit litera scripta, docet,
In cinerem latices impuros sparsit amici;
Ferreus est, qui sic laedit amicitiam *).
Tu, Reinharde, faves meritis, nec laudis egestas
Impulit, ut capiti serta aliena dares.
Magnos magna iuvant! Te magni gloria amici
Delectat, laudas scripta linenda cedro.
Nam quae victuris placuit Tibi tradere chartis,
Ut vitae constet regula certa piae,
Quilibet in sese ut tentet descendere, morbos
Discat et ambigui semina caeca mali,
Dum viridis Rhenus generosas educat uvas,
In mare piscosas dum vehit Albis aquas,
Nati natorum discent! Te secla futura
Noscent et, qui sis, fama loquetur anus.

Unum est, Mulleri hoc vivos Tibi dicere vultus,
Et pro Te faciunt qui pia vota, puta.
Serves Te patriae. REX hoc iubet ipse. Sequeris,
Addidit officio pondera magna Tuo.

---

*) Prodiit nuperrime Berolini libellus, *Ioannis Mulleri τοῦ πάνυ* nomen non titulo, sed cruci affixum prae se ferens, cuius auctor non e plebe homuncio aut doctor umbraticus, sed scriptis clarus et in luce publica cum laude versatus, otio suo ita abusus est, ut Mullerum, quicum plures per annos vixisset familiarissime et quo adiutore et perfectore consiliorum suorum diu usus esset, magnorum historicorum numero utique eximendum esse, perfricta fronte contenderet, sibi scilicet abblandiens et iucundissime arrogans, quod alteri detraxisset illiberaliter. Magna hinc cordatiorum hominum per universam Germaniam erupit indignatio. Alii laudare Theocriteum illud V, 38. Alii stringere Ciceronianum: Homo importunissime, cur tantam iniuriam P. Annio mortuo fecisti? cur hunc dolorem cineri eius atque ossibus inussisti? *Verr.* 1, 44.

Nam loca Saxoniae iudex attentus obibis,
Qua patet ingeniis fons sacer Aonidum.
Quae colitis *Muldam*, sertis redimite, Camoenae,
Tempora; quo perstant vindice cuncta, venit.
Afra canora caput turritum concute, qui te
Incolumem servet, sospitet, ornet, adest!
Culta nites studiis; squallent coenacula; tectis
Candida sufficiet, candidus ipse, nigris.
Sparge rosas, ramis felicibus atria cinge,
Nutrix doctorum, daedala *Porta*, virum;
Musarum ingreditur summus tua templa sacerdos,
Gaudebis. Crescunt, quae fovet ille sinu.
Ast tu tergemino *Viteberga* hunc excipe plausu,
Quae cupido iuveni prima alimenta dabas;
Saxoniae doctae te semper laudat ocellum,
Lutheri cathedrae numen abesse, negat.
Lipsia, vota valent! Post bis duo secla peracta
Infundet nectar pulchra Iuventa tibi.
Vota canant alii. Sed, quae te nectare pasci,
Reinhardus pateram sustinet ipse manu.

Quae Te circumstent et ad aethera brachia tollant,
Pieridum sedes, templaque sacra, vides;
Sis salvus, Reinharde! a Te Tibi caetera sumes;
Verba Salutis habes! stet tibi firma Salus!
Est Deus! augurio, quod pro Te captat amicus,
Ipse favet! rata sunt omina nostra! VALE.

XXI.

IPSIS NATALIBUS
FRIDERICI AUGUSTI
PATRIS PATRIAE.
A. D. XXIII. DECEMBR. MDCCCX.
AMOR CIVIUM.

SARMATA.

Ecquis splendor in aedibus?
Quot celso astra polo, tot lucernibus

Lychni flammivomi micant.
Myrtis bruma viret, nix rutilat rosis,
Dulces tibia dat sonos.
Dic, cui serta parent, cui Genio litent?

SAXO.

Quo nato glacialibus
Horis vernat humus, qui tenebras fugat
Omni sidere clarior,
Quo vivo populi gratior it dies,
Natali fruitur die
Custos Saxoniae REX genitus suae.

SARMATA.

Felix augurium! nova
Affulsit populo Sarmatico Salus,
AUGUSTO DUCE et auspice.
Ergo quem celebrat Saxo pius diem,
Votis Sarmata consecrat.
Quem REGEM Albis amat, Vistula amat DUCEM.

SAXO.

Laetis vocibus adstrepunt
Colles vitiferi; plausibus annuit
Albis pampinea coma.
Quam vos accolitis, Vistula num pari
Ornata est specie? Decent
Natalem Genium Bacchica munera.

SARMATA.

Libamus Genio merum.
Sed, quas Vistula alit frugiferis aquis,
Ripae muneribus placent
Mammosae Cereris. Cernis, ut efferat
Spicis conspicuum caput
Granorum cumulos Vistula devehens?

SAXO.

Audivit Genius preces!
REGEM praesidium et dulce decus suis.

Servabit populis Deus.
Vivax ruta viret, cernis ut herbido
Felix germine pullulet?
Pestes ruta fugat! Stat patriae salus!

SARMATA.

Audivit Genius preces!
Nutrit rura Ceres, almaque Pax beat
Terras, incolumi DUCE.
Regale augurium, candidus advolat
Ales, Sarmatiae decus.
Hostes ungue domant, REGI AQUILAE favent!

XXII. *

VIRO INCOMPARABILI

CHRISTIANO THEOPHRASTO VOIGTIO

RERUM VIMARIENSIUM ET ISENACENSIUM

CUSTODI, STATORI, CONSERVATORI

SACRA NATALITIA

A. D. XXIII. DECEMBR. MDCCCX.

CELEBRANDA GRATULANTUR

GENII TUTELARES

ARCIS WARTBURGICAE, VILLAE BELVEDERENSIS.

GENIUS ARCIS WARTBURGICAE.

Dic, cui serta ferens volas,
Frons serena nitet, laetitiae novae
Praecones oculi micant;
Natalemne sacras eximii viri?

GENIUS VILLAE BELVEDERENSIS.

Signabo nivea nota
Lucem, quae mihi vix candidior nitet,
Carae nam patriae datum
Hac luce est columen, praesidium, decus.

G. A. W.

Iam, cui serta paras, scio.
Rerum nam stator est Voigtius unicus,
Qui, si pro patria excubat,
Ceu rupes stabilis, stat patriae Salus.

G. V. B.

Stabit perpetuo Salus,
Si quid vota valent. Vota decet pia
Ternis ferre sororibus:
Tali plena colo stamina nent viro!

UTERQUE GENIUS UNO ORE.

Musarum et Themidos sacra
Tractantem placido pectore Voigtium,
Hunc, quem Iustitiae Soror
Incorrupta Fides et Sapientia
Legerunt comitem sibi,
Cui, qui Vimariae DUX BONUS imperat,
Nullum unquam inveniet parem,
Vos, quae fata hominum digeritis, Deae,
Servate incolumem diu!
Custode incolumi ruta viret diu!

XXIII.

FRANC. VOLKM. REINHARDO,

SAXONIAE CHRYSOSTOMO,

AMICO,

GENETHLIACON.

ADDITA COROLLARII LOCO LUCERNA BILYCHNI, AEREA, AURATA, AD MODULUM LUCERNAE ANTIQUAE, IN MUSEO REGIO SERVATAE, EFFICTA.

A. D. XII. MART. MDCCCXI.

Martial. XIV, 61.

Tuta erit in gremio parva lucerna tuo.

Reinhardi natalis adest. Lux candida salve!
Signabo nullam candidiore nota.

Muneribus tu digna novis! Delectat amicus
Munera, amicitiae pignora poscit amor.
Multa placent, prostant xeniorum mille figurae;
Sed labor est, caro munera ferre viro.
Nam quidquid doctis olim donatur amicis,
Ipse habet. Huic vena divite cuncta fluunt.
Mitte libros! pleno pluit hos quoque Copia cornu,
Scrinia vix capiunt, quae cumulantur opes.
Mitte opus eloquio pollens, Musisque probatum,
Ridet et, haec, inquit, sunt mihi nata domi.
Nec mihi vultus adest formatus pollice docto,
Atria Reinhardi qui decorare queat.
Schadowius duxit nuper quoque marmore vultus *),
Nullum, qui nostrum portet amicus ave!
Haec ego dum meditor noctu, dum totus in hoc sum,
Vix levis oppressit languida membra sopor.
Iam tubicen Phoebi gallus ter plauserat alis
Tempore, quo pallent sidera pulsa die;
Obscurum subito visum est ardere cubiclum,
Defessos oculos lux inopina ferit.
Adstitit ecce senex placido venerabilis ore,
Monstravit Graium Graia loquela virum.
„Eloquium et famam nostri Demosthenis, inquit,
Ipse ego, quae possis munera ferre, fero."
Obstupui visu, sed verax fulsit imago,
Saepe mihi visa est marmore et aere loqui **).
Tali multiloquae quondam plausistis Athenae,
Cum vos, ceu fraenis, flecteret ore potens.

*) Amicissimus nobis artifex aequalium suorum, si quid intelligimus, facile princeps, ancipiti morbo diu conflictatus, pleraque, quae animo destinaverat, exsequi non potuit. Duo tamen mira sollertia confecit aut profligavit certe capita Henrici Leonis et Friderici Magni, principum Bavariae et Borussiae, qui illa desiderarent, suasu iussuque. Praeterea quatuor anaglypha, portis palatii Brunovicensis novo splendore instaurati superimponenda, caelavit marmore. Recreatus morbo, sume talaria, carissime Schadowi, Dresdam advola!

**) Contemplari licet passim in Museis, facile dignoscenda, si verae imaginis notas animo infixeris. Praeclare de his disputaverat iam olim elegantissimus harum formarum spectator, Visconti us ad *Museum Pio-Clement.* T. III. p. 15. T. VI. p. 53, iterumque haec ad examen revocavit in luculento opere, cui Iconologiae nomen fecit, sed quod Augustissimo Francogallorum Imperatori *soli* oblatum, nemini aut paucis, quos aequus amavit — oculis adhuc usurpare licuit.

Exsilio, protendo manus. Simulacra recedunt,
Lux abit. Heu, species noctis, ut ante, fuit.
Ingemui dilapsa querens ludibria noctis,
Increpuique levem somnia vana gregem.
Mira cano, ante pedes fulsit lactissima flamma;
Ille quod attulerat, parva lucerna fuit *).
Parva lucerna quidem, sed flammas spargere docta,
Cui duplici rostro flamma bisulca micat **).
Parva lucerna quidem, sed quam, nisi me omnia fallunt,
Rhetoris ad lectum pervigilasse putes.
Tota quidem fabrefacta nitet, sed fronte figuras
Exhibet, his magnus quaeritur arte decor.

---

*) In supellectile antiquaria, quam armariis aliquot inclusam in penetralibus intimis Augustei nostri raro contemplatur spectatorum vulgus, inter plures lucernas partim aere conflatas, partim argilla coctas (Le Plat *Marbres de Dresde*, pl. 183. 194.) cernere est eam quoque, cuius ectypon deformari iussimus et exprimi primum argilla, deinde aere fiari, ut fragilitatem exueret, aurique bracteis, vario splendoris discrimine (*mit mattem und hellem Glanze*), induci. Duplex illi inest *rostrum*, ut cum Plinio loquamur XXVIII, 11. Sed nulla in fronte figura eminet, quam hic e Bellorii notissima lucerna II, 40. adscitiii ornamenti loco addidisse non pigebit (*Tab.* II. *Fig.* c.). Mirifice nos in hoc qualicunque conatu, vetera ista et obsoleta ad domesticum vitae nostrae nitorem et cultum revocandi Rosbachii, viri honestissimi et aurificis in urbe nostra celeberrimi, dexteritas iuvit et sollertia. Candelabri etiam, cuius abaco imponeretur lucernula, formas elegantiores aliquot e luculenta Herculanensium antiquitatum collectione, *Lucerne e candelabri* dicta, illi suppeditavimus, quae cum scapis et basibus tripodum ritu foratis affabre exsculptae mox pergulam eius, ad exitum fori novi varietate operum et pulchritudine praetereuntium oculos alliciente, ornabunt. Fatemur hoc quidquid est opellae consecratum fuisse pietati nostrae amici summi natalibus testificandae. Enimvero facile consentiet Vir humanissimus, ut exemplaria ad ectypon lucernae confecta, cuius primitias lubentes volentesque illi obtulimus, ab aurifice isto parabili pretio vendantur amatoribus harum deliciarum. Et erunt fortasse, qui lucernas Reinhardinas has appellari malint et studio Viri laudibus nostris maioris ducti illos sibi vehementer expetant. Ceterum dici non potest, quantopere in his lucernis et candelabris scite concinnandis variandisque veterum exsplenduerit ingeniosa facilitas. Vilescunt ad haec obsolescuntque recentiorum laudatissima inventa. Adeat, si quis haec penitius cognoscendi studio tenetur, amicissimi Millini eruditas disquisitiones in collectione bonae frugis plenissima *Monumens antiques inédits*, T. II. p. 84. seqq. 160. seqq.

**) Notissimae sunt supellectilis antiquariae studiosis lucernae *δίμυξοι*, *τρίμυξοι* cet. Videatur Pollux X, 115. cum nota magni interpretis, quam compilarunt Herculanenses academici ad Antiquitatum Herculanensium T. IV. p. 258. recocta iterum ad T. VIII. 109. Nostra est *δίμυξος*, id est, duobus elychniis e duobus rostris sese exserentibus lumen spargens. Appellare hanc licet bilychnem cum Petronio c. 30. p. 112. Gruterianae inscriptioni, quam laudavit ibi N. Heinsius, adde ia Fabrettum p. 404.

Pallas Athenarum custos ecce adstitit urnae,
Calculus est, casta quem incit ipsa manu *);
O ter felicem, cui calculus additus iste est,
Quem dea iudicio comprobat ipsa suo!
Huic tumet eloquio pectus, quae Suada perungit
Labra, fluunt melle et, quos cupit, ore domat.
Ergo cum talem mihi Sors faustissima lychnum
Obtulerit, salve pulcher ocelle, rube!
Magno oratori talem decet esse lucernam,
Opportuna mihi, bella lucerna, venis.

Eia age, pelle moras, genialia lumina spargens,
Reinhardi propera limen adire, vola!
Ne tamen irrumpas, ne rustica forte voceris;
Attica civis eras, Attica civis eris.
Est ibi (sitque diu sospes) lectissima coniux;
Hanc aditum poscas. Annuet atque dabit.
Namque abigit quidquid poterat laesisse maritum;
Quod iuvat et melli est, ingeniosa vocat.
Hanc si novisses, Iuvenalis, torve latrator,
Vulcano e satiris tradita sexta foret.
Ergo ubi te teneris manibus dulcissima coniux
Molliter arreptum duxit ob ora viri;

*) Constat e Tragicis Graecorum, Minervae calculo servatum esse Orestem in Areopago iudicatum. Loca dedit Stanleius ad Aeschyli Eumenides 750. Atque hoc expressum cernitur in lucernis aliquot fictilibus, ad quarum archetypon nostram quoque effictam esse consentaneum est; v. Bellorii *Lucernae* II, 40. Pulcherrime aere descriptas dedit Hancarvillius in dissertatione splendidissimo operi: *Antiquités tirées du Cabinet de M. Hamilton* T. II. p. 81. praemissa. Nec gemmae desunt, idem argumentum signantes, v. Eckhel *Choix de pierres gravées* n. XXI. Sed praestat reliquis vasculum argenteum Antii repertum, hoc argumento nobilitatum et a Winckelmanno in Monumentis ineditis n. 15. docte illustratum. Scilicet extitisse videtur eximium aliquod artis priscae opus, quod certatim imitarentur caelatores, figuli, Minervam calculo suffragia dantem exhibens. Uberius de hac re disputavi in disquisitione *de Furiarum persona* theotisce scripta p. 76. seq. Caeterum Tibi quoque, Reinharde optime, semper ea arrisit sententia, ut in scriptis virorum doctorum, quae quotidie fere undique ad Te perferuntur, si paucae tantum offenderent maculae, plura tamen inessent, quae splendescere possent, Minervae ubique adiiceres calculum. Habent eam hoc viri cordatissimi, ut latitantes etiam ingenii igniculos excitare malint, quam superciliosa censura extinguere, multum abhorrentes ab iis, qui, Plutonis scilicet galea indati, in diurnis nostris et ephemeridibus miros fluctus excitant, et, ut cum Aristophane meo loquar (Acharn. 376.)

βλέπουσιν οὐδὲν ἄλλο πλὴν ψήφῳ δικεῖν.

Leniter arridens, quid vis tibi, parva lucerna,
Quaeret, et unde venis, quo mihi missa viro?
Turpiter obticuisse nocet, favet ille disertis;
Cur figulus duplex os tibi inesse dedit?
Facundis natam fac te cognoscat Athenis;
Tantum, ne pecces garrulitate, cave.
„Inspice, cognosces, quis me tibi mittat amicus;
Accipe me famulam; lumina grata dabo.
Quod si me bibulis stupis animare graveris,
Contigerintque olei pabula nulla mihi;
Moerebo, tamen ut serves oblata rogabo
Munera natali quantulacunque Tuo."
Haec ubi dicta, tace! *) pudibunda adstare memento,
Et dominae nutus quo vocet, ire sequax.

Hactenus. Et liceat quaedam lusisse poetae!
Addere veridico pectore pauca iuvat.
Lux, Reinharde, Tibi cognata est. Lucis amantem
Lucis portatrix casta lucerna petat.
Odisti tenebras, tenebras haec lumine pellit.
Ah, pereat quisquis lumina culpat iners!
Sed Tibi lux *divina* placet, quae coelitus aucta
Verbo *divino* pectora coeca fovet.
Qua sine qui lucem proprio sibi vindicat ausu,
Et sibi dum sapiat, se sapere usque putat;
Fumifica taeda certat cum lampade Phoebi
Et, Lunam ambigua luce rubere, negat.
Fax tibi, quam iactas, unde est accensa, Prometheu?
Ignis ab aetherio sumitur iste polo.
Praedicat ista palam doctissima pagina **), quam nunc
Diripiunt passim commemorantque viri,

---

*) Ne quis miretur et licentia poetica intemperantius me abusum esse clamitet, monebo, non vitam tantum tribui lucernis (de qua plena sunt poetarum carmina et doctissima extat nota Burmanni Secundi ad Anthologiam Latinam T. I. p. 684.), sed disertam adeo testimonii coram iudice dictionem denunciatam esse a Luciano in lepidissimo dialogo, nostrisque temporibus accommodatissimo, Cataplus inscripto c. 27. T. I. p. 649. ed. *Weisten.*

**) Primam libelli vere aureoli, *Confessionum* titulo inscripti, editionem paucis mensibus direptam divenditamque esse, nil mirum. Legerunt omnes, edidicerunt multi, pauci, qui se ad angustias redactos esse aegre

Qua quid sit sapere et fari condiscere lector
Exemploque potest, admonituque Tuo.
Fassus es ingenue (quod Te, Reinharde, decebat):
Lux domini vera est; hac sine cuncta labant.
Qua teritur liber iste, calent pia pectora flammis,
Firmastique bonos robore, pace, fide.

Nec temere est, parvae quod prima in fronte lucernae
Praegrandi ramo vivida palma viret.
Nam quoties populo, qui Christi nomine gaudet,
Ceu fluit e vivo fonte perennis aqua,
Eloquii rivos manantes divite vena
Distribuis, verbi candide praeco sacri;
Suggestu e celso coelestis palma virescit *)
(Atque ideo nulli conspicienda viro),
Angelus hanc serit urbe sacra, quam, sancte Ioannes,
Monstrasti astrifero impositam esse polo.
Fit nemus. Accrescunt palmae longo ordine, miscent
Frondes angelicis murmura grata choris.
Atque ibi, vera loquor, felix spatiaberis olim,
Cum steterit vitae meta suprema Tuae.
Stabit at illa procul, si quid pia vota valebunt;
Cui pietas cordi est, nuncupat illa Deo.
Temporibus dubiis, rerum immersabilis undis
Stabis! sancta fides anchora certa Tibi.
Tu modo, pervigili ne desint pabula flammae **),
Neu pecces nimia strennitate, vide.

Accipio augurium! tremula bis luce lucerna,
Cernitis, insolitum sternuit omen! AVE!

---

ferrent, vel clanculum mordere, vel palam obstrepere ausi. Sed quidquid ubique cordatiorum est hominum et pietati haud fucatae addictorum, laudant, exosculantur epistolam illam nonam, qua, quid de ratione et fide statueres, libere et ut primarium ecclesiae nostrae theologum decet, professus es, Vir Summe Venerabilis. *Θεῷ δὲ χαριστέον.*

*) De palmis in foribus rhetorum figi solitis post Gresollium et Casaubonum ad Suet. Domitian. c. 23. docte egit, ut solet, Wernsdorfius ad Poet. Min. T. IV. p. 243. T. VI. p. 271.

**) „Haec quoque, nisi tanquam lumini oleum instilles, extinguuntur." Cicero *de Senect.* c. 11.

XXIV.*

IACTURAM ACERBISSIMAM

CAPSULAE ECTYPA GEMMARUM PALATINARUM COMPLEXAE, QUAM S. V. NEUMANNUS XENION ESSE VOLUIT NOBIS DISCEDENTIBUS

VERSIBUS IN IPSO DOLORIS ARTICULO PROFUSIS DEFLET

C. A. B.

MENSE NOVEMBRI A. MDCCCXI.

Accipe, queis merser fortunae fluctibus ipse,
Amplius ut misero dona beata pares.
Catullus Carm. LXVIII, 12.

Ite Elegi, lacrymas profundite, scindite crines,
Plangite vulnifica pectora nuda manu!
Neumanno narrate meo, quis casus ab Orco
Missus rapuerit munera cara mihi.
Nil mihi Vindobonae tribuerunt moenia maius,
Replerint quanquam munera multa sinum,
Quam discedenti tribuit quod dextera fida
Neumanni, egregiae pignus amicitiae.

Scilicet illud erat, multo quod carius ipsis
Est oculis, si quid carius est oculis.
Hoc ego dum deporto domum, mille oscula figo,
Adiiciens blando dulcia verba sono:
„Vos, caelatarum gemmarum imitamina pulchra,
„Semper deliciis annumerabo meis;
„Vos ego dum lustro, praesens mihi vultus amici,
„Quaeque valedicens dixit amicus, erunt."
Sic ego. Scriniolum pretiosa quod ectypa servat,
Raptim sarcinulis impiger apto meis.
Heu mihi, scriniolum bene qui defenderet illud,
Angulus in currus tegmine nullus erat.
Merces nam varias, mira quas protudit arte
Armisonae sollers incola Vindobonae,
Vestes, delicias, queis exornata placere
Quottidie populo, femina picta, soles *),

*) Prostat in pergula quadam in vico celeberrimo Vindobonae puppa novis quotidie vestibus exornata, ut ad eam, tanquam ad amussim,

Cultellos nitidos, quos fornax Norica coxit,
Mitras, calceolos, lintea gossypina
Undique conquirens cautus congesserat emtor
In currum is, voluit qui comes esse viae.

Quid facerem, quo te vinclo, brevis arca, tenerem!
Ferreus est, talem qui procul esse iubet.
Exclamo: una via est, qua me comitetur euntem.
In gremio recubans tuta erit illa meo.
Nec mora: perpetuam comitem noctesque diesque
In genibus flexis capsulam habere iuvat.
Dulce onus, in quo dum languentia lumina figo,
Somnus abit, fugiunt taedia mille viae.

Liquerat Iglaviae turres finesque Moravos
Iam currus biiugis gnaviter actus equis,
Tu ferrugineo, Nox, peplo induta resurgis,
Et tu praecursor, Hespere, noctis ades.
Iamque trahis caudam rutilo splendore, cometa,
Quo viso agricolae bella famemque timent;
It via declivis, fervens rota volvitur axe,
Praecipitant currum nox, via, cursus, equi.
Sponte sua patuere fores, quas currus utrinque
Offert scansuris, claustra refracta crepant.
Dumque fores capto, defluxit capsula, fati
Immemor heu duri, exsiluitque foras.
Quo ruis, infelix, clamo. Saltu insequor. Insto!
Frustra. Prolapsi fragmina mille volant.
Perstringit rota posterior, ferit ungula lapsam.
Sic iacet Hippolytus dilaceratus equis.
Ora subit pallor, dolor improbus urget et angit.
Flere iuvat, lacrymae prosiluere genis.
Sic nutrix dulcem, casu qui decidit ulnis,
Deplorat puerum, dilaceratque comas.
Sic missum sponsi furtivo munere malum
Forte cadit casto virginis in gremio.

---

ultum et amictum suum componant mulierculae elegantiarum studiosiores. Vulgo hanc imaginem appellant: die schöne Wienerin.

Atque illud prono praeceps agitur decursu.
Virgo dolet, matris verba severa timens.

Quid feci, quae mox Divis opprobria dixi,
Cum me iacturae pungeret usque dolor!
Tandem his alloquiis recreabar: vivit amicus,
Qui discedenti munera tanta dedit.
Pectus ei molle est, nec duro e marmore caesum,
Neumannus casum flebit et ipse meum.
Forsitan et casum miseri miseratus amici
Clamabit: munus conduplicabo meum!

XXV.

VOTA NATALICIA
FRIDERICO AUGUSTO
PATRI PATRIAE
IPSO NATALI SUO.
A. D. XXIII. DECEMBRIS MDCCCXI.

„Barbam pecte, pater, novum
Fronti quaere decus plurima arundine!
Undas urna capacior
Profundat! iubet hoc candidior dies,
Natalis Domini tui,
Quo vivo populus Saxonicus viget,
Qui te ex arce sua videt
Urbem velivolis findere fluctibus,
Et laudat, bona copia
E cornu tibi si defluit aureo."

His Albim alloquitur sonis
Iam natalicium mente agitans melos
Vates, ponte deambulans.
Sed mox (mira loquor, visa humeris tenus
Extare e vitreo specu
Glauci forma viri) haec auribus accidunt:

„Sensu laetitiae efferor;
Tangunt, crede mihi, nos quoque gaudia.
Tales Albis amat dies!
Sed quid raucisonos volvere vortices,
Barbam pectere quid iuvat?
Absentem patriae quaerimus, heu, patrem;
Quis desiderio modus?
Rege absente silet plausus, abest deus!"

Haec fatus, virides comas
Ter quassans tetrica fronte abiit senex.
Mirari subit. At magis,
Quod mireris, erat. Nam, caput efferens
Turritum, subito pia
Dresda os fatidicum sic aperit loquens:

„Absentem patriae patrem
Votis ominibusque et precibus piis
Fas est poscere! Sed nefas,
Cura, Rex quod abest, immodica premi.
Plures, auspice Caesare,
Laeto Rex populos lumine recreat.
Praesens numen adest tibi,
Tellus Sarmatica, at nos quoque respicit.
Avitum solium dedit
Illic Caesar, at hic progenuit Parens. —

En dextrum augurium! Secant
Nubes huc aquilae. Rex aderit, ratum est
Omen. Plaudite! Rex adest;
Longas o utinam, Rex bone, ferias
Praestes Saxoniae Tuae.
Longas! purpureo stamine turgeat,
Qua net Parca triplex, colus.
Tu custos patriae! Te incolumi, licet
Tuta sede frui. Impulit
Istas Caesar aves, bellipotens Deus,
Victrices aquilas movens."

Audis, Saxonia, haec? Credite, posteri!
Vates accipit omina.

XXVI.

IOHANNI NATHANAELI PEZOLDO

MEDICO HIPPOCRATICO,

NATURAE ET ARTIS INDAGATORI SAGACISSIMO,

SENI

ANNIS MERITISQUE VENERABILI, CALENDAS IANUARIAS ILLIUS IPSIUS ANNI, IN QUO SEMISECULARIA SACRA SUMMI IN ARTE SALUTARI HONORIS CELEBRATURUS EST, MDCCCXII.

AMICE PIE GRATULATUR

C. A. B.

A. *Τίς ἐστιν οὗτος;* B. *ἰατρός.* A. *ὡς κακῶς ἔχει*
Ἅπας ἰατρὸς, ἂν κακῶς μηδὲις ἔχῃ.
B. *Τίγεια καὶ νοῦς, ἑσθλὰ τῷ βίῳ δύο,*
Ἄμφω βροτοῖσιν· ἰατρὸν τίμα καλῶς.

Ἑσθλοῦ μὲν ἀνδρὸς γῆρας εὐκροσήγορον.

Fortunate Senex, Tibi quinquagesima currit
Aestas et toties bruma recurrit iners,
Ex quo mirificum deus ipse Epidaurius anguem
Mittens, hic serpens sit Tibi pignus, ait,
Te pulsaturum febres, nodosque cheragrae,
Pandorae et quidquid mystica cista tegit.
Pulsasti. Currit Te viso tarda podagra.
Pulsasti. Fugiunt lepra, veternus, hydrops.

Me quoque, nam memini, febris male subdola fregit,
Firmasti alloquio mollia verba ferens,
Et cum Weigelio, sospes quo sospite vivam,
Saepe Tibi placuit conseruisse caput.
Heu mihi, quod clauso non florent lilia vitro,
Nec rubet egelido formice tecta rosa;
Afferrem mane ad lectum Tibi veris honores,
Portarem capiti florida serta Tuo.
Heu mihi, quod Bacchi non est bona copia, adesset
Laetitiae genetrix amphora blanda Tibi,
Amphora portatrix votorum; sed mihi nullus,
Praeter Misniacum, suppetit, ecce, cadus.

Vota tamen faciam pro Te, CARISSIME, divis,
Ut quam das aliis, stet Tibi fida Salus.
Sisque diu sospes, trepidaeque salutifer urbi
Perstes, nec desis impiger ipse Tibi! —
Vota valent. Serus vises Plutonia regna!
Nebit enim Lachesis stamina larga Tibi.
Mira loquor, sed vera. Cavet regnator Averni,
Ne propere Lethes pocula moesta bibas.
Vera loquor. Mors cuncta vorat, Mors cuncta trucidat,
A Te luctificas abstinet illa manus.
In promtu causa est. Sapit Orcus. Nam fuit illi
Artis iamdudum cognita fama Tuae;
Hinc timuit, ne si validus sua regna subisses,
Umbris arte tua reddita vita foret.
Mille vias Lethi scis. Vitae claviger audis,
Quippe Tibi claves tradidit ipsa Salus.
Nullum igitur, ne Te rapiat mors saeva, periclum est,
Ne titubes, caveas. Mors struit arte dolos *).
Quod superest, votis monitisque salubribus unum
Hoc addam; dictis affore credo deum.
Est Tibi, sitque precor lectissima filia, dulci
Haec patri innectat brachia cara diu,

---

*) Scilicet norunt, Vir amicissime, qui Te amant, ingeniumque et artem Tuam exosculantur quotidie, Te nuper cum prodeambulares graviter decumbenti opem laturus praesentaneam, in plana et aperta via lapsabundum impegisse in lapidem, nec cecidisse tamen, fallente, ut fit, pedis vestigio. Quo levissimo casu dici non potest, quanto mactatus sis infortunio. Clamare, stomachari omnes, ad quorum aures hic nuntius accidit, indignum facinus, Te, qui per confragosas Alpium fauces et praerupta praecipitia incolumis olim evaseris et caute pedetentimque incedendum esse in arte et vita semper statueris, causa tam levicula tantam cepisse aegritudinem. Nimirum hic quoque valere visum est illud Theocriti: ὀσσίχον ἐστὶ τὸ τύμμα καὶ ἄλικον ἄνδρα δαμάσδει. Enimvero dicam Tibi, quod res est. Aut egregie fallor, aut Mors, teterrima bellua, cui per hos quinquaginta annos bellum indixisti internecinum, infinitas nic ulta est iniurias. Boni hercle lectatoris functa officio est. Adversarium, quem vi aperta prosterni et pressum deiici non posse probe norat, ex insidiis aggreditur. Arrepit clanculum. Captat pedes supplantatura. Sed bonum factum. Quamvis momorderit, delusa tamen est bestia impurissima. Stas, vivis adhuc et, si votorum nostrorum damnabimur, vives diu. Unum est, quod insusurrabo Tibi in aurem, ne aucupetur sermonem nostrum monstrum, quod aures usquequaque arrigit, stringit ungues, diducit fauces. „Itaque, (mea, ut vides, facio Quintiliani verba XII, 9, 15.) in his actionibus omni, ut agricolae dicunt, pede standum est." Δάκνει πᾶσα λίθος.

Multaque coniugii portet Tibi pignora casti!
Figat avo ludens oscula mille nepos!

FELICITER.

A. Latratorem Erebi quis credat ab Hercule victum?
B. Ne dubites; monstri victor erat medicus *).

XXVII.

SALUTI CONSERVATRICI

FRANC. VOLK. REINHARDO,

THEOLOGO PRIMARIO,

VOTIS PIORUM REDDITO,

SOTERION ET GENETHLIACON.

ADIECTIS DUOBUS UZIANORUM CARMINUM VOLUMINIBUS, FORMA MAIORI, SECUNDUM LUCULENTAM, QUAE VINDOBONAE APUD DEGENIUM PRODIIT, EDITIONEM, IN CUIUS FRONTE GENII IMAGO ENITESCIT DOMESTICI.

A. D. XII. MART. MDCCCXII.

Horat. II. Od. 7.

Quis Te redonavit — diis patriis?

Reinhardi natalis adest, lux candida salve **),
Candidior qua non itque reditque dies.

*) Vide Tab. II. fig. d.

**) Votis soteriis, in hoc carmine rite conceptis, apte congruere vim est imago manus votivae, aereae, ex antiquaria supellectile Borussiarum regis, sive thesauro Brandenburgico (v. Begeri Thesaur. T. III. p. 404.) petitae (Tab. II. fig. e.). *De* (pervulgato et tralatitio apud antiquos) *more, diis simulacra membrorum consecrandi* scite et pro temporum illorum capta satis erudite disputavit I. I. Frey, ex magni antiquarii Aldorpini Chr. Gottl. Schwarzii disciplina profectus, Altorf. 1746. in qua disquisitione manus votivas quoque attigit p. 9. seqq. Non eadem tamen in manibus eiusmodi votivis ratio, quae in aliis membrorum, de quibus multa medii, donariis. In his membri a deo aliquo salutari persanati effigiem templi parietibus affixam esse, consentaneum est. In illis sensum magis reconditum (mysticum vulgo appellant) spectatum esse, quidni largiamur. Non est tamen, quod miremur, manus in primis ad vota salutaria rite adhibitas esse. Nam in membris humanis manu nullum est humanius, quod

Cui pietas cordi, qui sospite sospes amico est,
Excipiat votis ominibusque diem.
Natalis Genius, vitae qui temperat horas,
(Qui puero ridens oscula prima dedit,
Oscula cumque daret, contingens nectare labrum,
Eloquii mel, ait, semper ab ore fluet),
Maiores hodie thuris sibi poscit honores;
Nam prece multiplici sollicitatus adest.
Vos, quoscunque Salus Reinhardi tangit, (et omnes
Tangit, quos iungit lingua, Thuisco, tua)
Nostis, quam dubio trepidarent corda timore
(Res est soliciti plena timoris amor),
Cum stimulis tandem morbi cruciantibus impar
Cederet assiduo, corrueretque malo.
It rumor, centumque movens in gutture linguas,
Vim saevam morbi praevaluisse, refert.
Quis non ingemuit, quis non suspiria duxit,
Fervida profundens vota precesque Deo?
Nec rumore malo tantum pavet incola Dresdae,
Aut doctus Salae Moldaviaeque chorus;
Sed quacunque viri facunda volumina didit
Seidelides *), ingens luctus et angor erat.

---

multis seculis ante Buffonium observaverat iam Anaxagoras, monente et frustra cavillante Plutarcho de frat. amor. p. 478. E. T. II. p. 351. *Wytt.* et quem fugit Quintilianeum illud: *manus ipsae loquuntur*, Instit. Orat. XI, 3. 85. Enimvero tam clare loquitur nostra quoque manus, quam primae pagellae aere impressam dedimus, ut, quid in universum sibi velit, primo obtutu facile extrices. Votum est *natalitium*, pro infante recens nato vel a puerpera, quam cum puerulo decumbentem in ima manu vides, vel a patre susceptum et Serapidi Conservatori, qui per universum orbem Romanum Aesculapio successerat, nuncupatum. Exstat caput dei in vola manus expressum. Sed ubi ad singula explicanda ventum est, haeret aqua; nec operae pretium facturum esse, qui in his interpretandis valde aestuet, recte monuit iam elegantissimus supellectilis huius antiquariae spectator de Caylus, in manu, cui in omnibus fere cum nostra convenit, recensenda *Recueil d' Antiquit.* T. V. pl. 63. p. 176. Quid scarabeus et gladiolus in interiore manu, quid situla Isiaca, libra, flagellum, cum tribus bestiolis, serpente scilicet circumplicato, testudine et lacerta sibi velint, scire cupientem adire iubemus post Pignorium Iac. Phil. Tomasinum in dilucidatione *manus aeneae*, *Cecropii votum referentis*, Amstelod. 1670. 4. et Causeum in explicatione huius ipsius, quae in manu est, manus votivae e Bartoli museo una cum lucernis Berolinum olim translatae in *Museo Romano* p. 109. seq. quae in usum suum, ut solet, convertit Begerus. Sufficit hoc loco monumentum hic spectari votivum et natalitium.

*) Quis nescit, sic appellari typographum et librarium Sulzbacensem

Aedes hic sacra est, quo confluit undique coetus,
A Sophia felix nomen et omen habet.
Hic, Reinharde, Tuae victrix facundia linguae
Ignibus aethereis enthea corda fovet.
Obsidet auditor, fervent subsellia, turba
Densa humeris adstans occupat ante locum.
Pauperibus stipem qui cogit sacculus, haeret,
Vixque eluctatur per caput atque manus.
Iamque favet linguis circumflua turba; susurrus
Nullus; tu, strepitus, tu, mala tussis, abes.
Herculis auritum populum ductantis ab ore
Ad Rhodanum quondam picta tabella fuit *);
Fabula in ambiguo est. Hic sunt miracula vera,
Grex pius unius pendet ab ore viri.
Lumina habent alii defixa loquentis in ora,
Queis face divina concaluere sinus;
Verba notant alii tabulis; his litera verbum est,
Nondum lingua suum, dextra peregit opus **).

---

in Palatinatu superiore, qui incunabulis gloriatur Reinhardi nostri. Prostant apud illum quotquot fere prodierunt sermonum sacrorum a magno oratore habitorum volumina. Vir est cordatus et spectatae, si quis alius, fidei, vel hoc nomine commendandus, quod prela eius nunquam desudarunt in abortivo aliquo ingenii foetu et inclyto nomine, quod illustrat illam officinam, indigno.

*) Lepidissima fabella de Hercule Ogmio, multitudinem catenulis ex aure devinctam post se trahente, quem in pictura Gallica admirabundum se conspexisse narrat Lucianus T. III. p. 82. *Wetsten.*, multifariam exposita est ab ingeniosissimis nationis Francogallicae scriptoribus. Proxime a vero hic quoque abest sagacissimi Frereti sententia, in dissertatione de religionibus priscorum Gallorum (in *Mémoires de l'Acad. des Inscriptt.* XXIV, 370.), Lucianum, suavissimum nugatorem, aut rem totam ex ingenio confinxisse, aut certe, ut argumento suo serviret, obscuram, quam fando acceperat, rei famam callide interpolasse tradentis. Hariolantur qui cum Bocharto e fonte Arabico Ogmii nomen derivant, v. c. Mignotus, *Mémoires de l'Acad. des Inscriptt.* XXXVI. 80., qui in verbosis de idololatria Phoenicum dissertationibus totus pendet a Bocharto. Satius est affirmare, Herculi in illis regionibus Mercurii τοῦ λογίου partes traditas esse, quo referas illud πείσας in loco nobilissimo Pindari Olymp. III, 28. sf., Vossii sententiam amplexus, Hyperboreos ad Celtas releges. Ornavit hanc de Hermeracle sententiam Vir doctus Schmidtius in *Archaeologia Britannica* in dissertatione de Hercule Ogmio T. I. p. 262—279. Utcunque praestat in memoriam nobis revocare insigne e Catonis Originibus fragmentum a Charisio grammatico nobis servatum p. 181. extr. *Putsch.*, e quo, quomodo Hercules ille ad Gallos penetraverit, facillime intelligitur. Graphice pingit mores gentis: „Pleraque Gallis duas res sedulissime persequitur, rem militarem et argute loqui." Locus laudatur iam a Bocharto T. I. *Opp.* p. 664.

**) Manil. IV, 160. Martial. XIV, 202.

Hinc mox sermo sacer transscriptus pervolat omnem
Saxoniam, hunc sitiens pectore quisque bibit.
„Proh dolor! obticuit, qua non facundior ulla
Lingua fuit monitus exposuisse Dei;
Cernis, in aede sacra subito excoecata lucerna est,
Qua splendente, animis frigus et error abest!"
Sic queritur, quicunque sacros meditatur amores,
Quos alit in nostro pectore sermo viri.

Tu quoque, Porta, fremis, dubio decumbere morbo
Reinhardum, voluit qui patris esse loco.
Et nemus, in cuius platanis tibi psallere dulce est,
Nescio quid querulum concinuisse ferunt.
Tu, Viteberga, coquens nutris sub pectore vulnus,
Reinhardi morbum cum tibi fama refert.
Hoc etenim magno semper doctore superbis,
Hunc tibi fautorem semper adesse vides.
Nuper adhuc, coetus cum iam remearet ad aedem,
Qua saevo belli turbine pulsus erat,
Nonne tibi ut templi species renovata placeret,
Hanc tibi Reinhardus contulit almus opem *)?
Ergo te, Viteberga, et te quoque, Lipsia, cari
Credibile est morbo condoluisse Viri.

Ipse Tuos, meminisse licet, Reinharde, dolores
Deplorans questus nocte dieque dedi.
Ante oculos semper Tua decumbentis imago,
Nulla venit sine Te nox mihi, nulla dies.
Pomonae, Floraeque decus, riguusque perenni
Fonte, suburbani gloria magna soli,

*) Legat, cui volupe est his immorari, duas orationes sacras, a S. Ven. Nitzschio, summo sacrorum apud Vitebergenses antistite, in encaeniis instauratae aedis Sanctae Virginis, fani illius urbis primarii, habitas et Vitebergae apud Seibtium excusas. Quis non laetabitur, Augustanae confessionis templum unum omnium antiquissimum, in quo magnus ille doctor Pomeranus primus percellebat auditorum animos, obsoletum situ, turbis bellicis dehonestatum, Nitzschii inprimis, quem verum pastoris exemplar appelles, indefesso studio et labore ad pristinum splendorem revocatum laetius iam exsplendescere, quam antea. Atqui ibi professus est in hoc libello Nitzschius, Reinhardo imprimis suasore et perfectore factum esse, ut sumtibus suppeditaret aerarium, quippe qui a generosissimo et de rebus sacris et civilibus in Saxonia longe meritissimo Comite de Hohenthal precibus ea impetraverit, quae angustiis aerarii benigne succurrerent. Vide sis notam ad calcem libelli p. 65.

Hortus odoriferas Te blande invitat ad umbras,
Vere novo, Zephyris si viret herba novis,
Hic habitas, cum fugit hiems, clamosaque vitans
Urbis fumosae iurgia, murmur amas,
Murmur aquae purae, qua se fugiensque sequensque
Nympha loquax undis emicat atque cadit.
Hic Te, nam quo non penetrat vis noxia, morbus
Occupat et capto vincula mille parat.
Huc ego saepe pedes, curarum mersus amaris
Fluctibus, obstrictos anxietate tuli.
Heu mihi, qua currunt per humum segmenta viarum,
Qua sociare umbras sessilis arbor amat,
Non ego Te vidi spatiantem et frigus amoenum
Captantem; languens sibilat arbor: ubi est?
Areolas tristis percurro, spargit odores
Flora suos, sed cui spargat, abest dominus.
Scansilibus lignis exstructa sedilia surgunt
Ad latus; innumero vascula flore rubent.
Explicat hic calyces, populus quos dicit ocellos,
Pictis arte comis caryophyllus hians *);
Hunc desiderio domini marcescere vidi;
Suspirat moriens; heu mihi, abest dominus!
Ipsae etiam, laetis quae bombis alvear intrant,
Delicias dominae quas herus esse iubet,
Torpent-mellificae volucres **), nec tecta coarctant
Nectare largifluo, qui fuit ante labor.

---

*) *Oeillets* „Formosi flores, quos plebs quoque dicit ocellos," versus est Renati Rapini, cultissimi poetae *Hortorum* libr. I. p. 26. *edit. Ultrai.* qui locus argumento est, non abhorrere a vero, quae disputata sunt in collectione bonae frugis plena: *Allgemeines T. Garten-Magazin* VII. 131. de Francogallia, prima huius floris nutrice. Dianthum caryophyllum, familiam aemulatione quorundam in hoc genere mirifice luxuriantium et vendaci nundinatione in immensum auctam, miris artibus variatam esse a studiosis harum deliciarum, neminem praeterit, qui vel Rudolphi de innumeris pulcherrimi floris varietatibus attigerit multiplices libellos. Numerosissima est pictorum foliorum varietas. Mixturas iam plus quam nongentas enumerant, qui haec *intelligunt*. Sed saepe, cum longos ambitiose texi viderem indices, succurrit illud Plinianum XXI, 1. „Inenarrabilis florum varietas, quando nulli potest esse facilius loqui, quam rerum naturae pingere."

**) Apium indolem non tantum tempestatum praesagam, sed amoris etiam philtra in dominum, quem ex voce et odore noscitant, sentientem multi enarrant apiarii. Proinde non iniuria ἐρωτικάς appellavit Aelianus de Anim. XII, 37.

Quae cum conspicerem, lacrimae, quis talia cernens
Temperet a lacrymis, prosiluere genis.
Sed ceu stella micat, cum nimbus inhorruit ater,
Qua visa exultat navita, cedit hiems;
Sic Tu visa mihi mulces solamine pectus,
Coniux, magnamino femina digna viro.
Est deus, alloqnio tali solata timentem es,
Numine propitio profugit omne malum.

Est deus, augurio verus non defuit auctor,
Adstitit hic aegro; vita salusque redit.
Cura vigil valuit, qua Tu, lectissima coniux,
Aegro exquisitam fida ferebas opem;
Templa salutiferam iactent Epidauria divam!
Uxor casta suo sola Hygiea viro.
Cura frequens valuit, qua praesens parta medela est;
Vera medicina est verus amor medici.
Vos Asclepiadae, coquitis qui pocula taetra,
Diligite aegrotum! terga gravedo dabit.
Qui plausus, quot vota sonant, cum laetus ubique
Nuntius exiret, verba secunda ferens:
Cras, qui convaluit, cathedram conscendet in aede,
Assuetosque dabit vox rediviva sonos.
Qui sensus, cum Te, qui vitae redditus esses,
Audirent! lacrymis quot maduere genae!

Quando parta Salus, tu gallum, Graecia, mactas *);
Cur famulum mactas, qui tibi cantat have?
Vivat avis tubicen, gallinarumque maritus,
Det pullos, dominae quos alat ipsa manus.
Laetos laeta decent! niveas, age, concute pennas,
Magne Geni, canimus cui geniale melos,
Sparge rosas capiti caro, plue lilia, nec sit
Totos iam calathos exonerare pudor.
Et ne diripiant venti sine pondere flores,
Addam aliquid. Calathum porrige! parva mora est.

*) Innotuit ritus e Platonis Phaedone. Sed quid in causa fuerit, ut gallum praecipue victimam sibi posceret Aesculapius, nec Havercampius ad Tertull. Apologet. 46. nec Wyttenbachius ad Platonis Phaedon. p. 834. aperuit. Qui gallum in Abraxis et Basilidianis gemmis intellexerit, rem facile explicabit.

En librum! librum iuvat imo abscondere fundo,
Dignum, crede mihi, quem rosa multa tegat.
Carmina sunt vatis, quo se Germania iactat,
Qui tulit ambrosias ex Helicone rosas.
Quae cecinit sanctus Phoebi castusque sacerdos,
Casto oratori carmina casta placent.
Usius est, mundus Sociorum pumice; charta
Lacteola, intacta candidiorque nive;
Litera carbones nitida nigredine vincit,
Constat et ad normam pagina quaeque sibi.
Hanc mihi Vindobonae visenti moenia nuper
Degenii celebris pulchra taberna tulit *).
Ut vidi, tu me, dixi, comitabere. Nam te
Reinhardi capiet bibliotheca mei.
Ergo ne dubites splendentem, splendide, librum
Apportare, Geni; frontis honore nitet.
Si frontem spectes, Genii splendentis imago
In titulo est **). Genius sic referet Genium!

Ast Tu ne spernas tenuis munuscula census;
Cui non est pinguis victima, thure litat.
Quae genius portat, Reinharde, aequique bonique
Consule. Quae feci, sint rata vota! VALE!

---

*) Norunt, qui in libraria supellectile conquirenda elegantiam spectant et nitorem, Degenium, Vindobonensem typographum, plura artis suae ad summum fastigium evectae edidisse specimina. Usii carmina e vestigio consequutum est Wielandi, poetarum, quos Germania éxosculatur, principis, Musarion, caelatum novem Musis opus. Nuperrime luculentam Lucani a cultissimo Equite Illycino recensiti editionem molitus palmam in hoc praeripuisse visus est omnibus, qui in eodem curriculo decurrerent, dignus profecto talibus meritis in hac tempestate, ubi parvus honos literulis, magnus armis, quem Imperator Austriacus iure imaginum (id quod fecit) impertiretur.

**) In fronte secundi voluminis carminum Usianorum aere nitidissime insculptam vides imaginem Genii, quem Hymenaeum esse facile dignoscas. Subit hic animum suavissima recordatio conspectae in aedibus Frisiorum Comitum statuae, e marmore Lunensi, a Zaunero celeberrimo apud Vindobonenses statuario mira sollertia confectae, ad cuius exemplar hanc tabellam aere delineatam dedit Iohnins, chalcographus politissimus. Scilicet statuam illam, felicissimi connubii monumentum, ornamentum esse voluit cubiculi laudatissimis picturis exculti in aedibus bona copia refertissimis Frisius comes, generosa indole ad optimas artes iuvandas amplificandasque natus factusque. Mihi vero imprimis arrisit hic Genius, Reinhardo meo vel hoc nomine carus, quod et ipsum beat et domestica, id est, solida felicitate cumulet faustissimum cum lectissima coniuge matrimonium.

XXVIII. *

ILLUSTRISSIMO

NOSTITIO,

AMICO,

TAFINGERI LIBELLUM DE POENARUM RATIONE RITE INSTITUENDA

A. D. XXI. APRILIS MDCCCXII

MUNUSCULUM NATALITIUM PIE OFFERT

C. A. BOETTIGERUS.

I, quo iussa vocant, libelle, cursu
Ad magni properā fores amici.
Non te ianitor improbus fugabit,
Latratusve canis ferocioris,
Nec fastus famuli superbioris.
Horis omnibus hae patent amicis.
Et ne quid titubes, metuve pecces
Vocavi hendecasyllabos loquaces,
Adsint ut vigiles Tibi stupenti.
Nec sunt versiculi perosi amico,
Amat versiculos fovetque comtos;
Nam si forte vacat, lyram ipse pulsat,
Et curis gravibus laboribusque
Interponere amat fides canoras,
Quas pulsasse velint novem Camenae.
Idem praevidet horridas procellas
Et ne fluctibus hauriamur, obstat
Ad clavumque sedet vigil cavensque.

Quod si veneris intima ad cubicla,
Virum sic celeberrimum alloquaris:
Mittit me dominus novum libellum
Amico veteri, diu probato,
Natalis monumentum ut essem amico,
Quo non candidior probatiorve est.

Nuper militis in caput rogabas
Poenas et trutina severiori
Pendens crimina, perspicax cavebas,

Ne Mars efferus igne et ense grassans,
Calcans iura, nefas sceleraque miscens,
Plane legibus exsolutus esset.
Ergo nunc cape parvulum libellum,
Quem de criminibus cate notandis
Iuris prodidit inclytus magister.

Ridebit, puto; nam solet iocari
Risu seria temperans amicus,
Et quid cum tetrico mihi libello,
Clamabit, satis est mihi librorum.
Natalis sibi laetiora poscit,
Natalem roseae decent corollae,
Natalem calices boni Falerni!
Tu, si dixerit haec, tacere noli;
Pudor rusticus iste nos gravaret,
Nam me forte putent ineptiorem.
Haec responsa feras, libelle parve:
Excusa dominum, vireta cuius
Et horti violis rosisque picti
Sunt in Utopia procul iacente,
Illic, unde negant redire quemquam,
Et cellam modico cado refertam
Fur nuper tetigit manu rapaci.
Dii, pestem date furibus gulosis!
Ergo qui Tibi mittit hunc libellum,
Nil praeter tenues habet libellos,
His nidos habet usque quaque plenos,
His, si iam fierent farina chartae,
Gallorum stomachos replere posset,
Vastos, Iuppiter, et reclamitantes.
Ergo mnemosynon cape hunc libellum,
Qui dat, quidquid habet, litat placetque.

At nec floribus hac die carebis,
Bacchus nectare Te suo beabit.
Nam Podmanitio Tuo Lyaeus
Praestantissima vina foeneratur,
Tam praestantia, quantus ipse praestat,
Et virtute sua et suavitate.

Nec deerunt capiti Tuo dicatae
(O factum bene) luce ter beata,
Testes laetitiae, corollae odorae.
Apportant Tibi flosculos inemtos
Ex horto Veneris Cupidinisque
Lectos, nectare roscidos recenti,
Sponsus sponsaque, queis beatiores
Sol, qui cuncta videt, negat fuisse.
Et quod floribus anteponis ipse,
Apportant simul optimas tabellas,
Vultus artifici manu absolutos,
Ut spirare putes et os movere
Quos Hymen sociabit et beabit,
Uno progenitos die, astro eodem.
Quanta haec gaudia. Laetiora nunquam
Natalis Genius tulit tributa!
Sed verum augurium pii poetae
Si non spernis, — erunt beatiora
Olim munera — avo ferent nepotes,
Si Sol terve quaterve duxit annum,
Flores, quos capiti applicent avito.
Sic flos floribus additus nitescet,
Sic hortus Tibi crescet omne in aevum.

XXIX. *

ILLUSTRISSIMO COMITI
DE HOHENTHAL A PONTE REGIO
RERUM DIVINARUM HUMANARUMQUE EXPLORATORI, ADMINISTRATORI PRUDENTISSIMO, PATRONO OPTIMO
ADVENTUM GENII NATALIS
A. D. XX. APRILIS MDCCCXIII.
PIE GRATULATUR
C. A. BOETTIGER,

adiecta Meieri disquisitione de oeconomia doctrinae Paulinae, libello bonae frugis pleno, qui ut locus sibi detur in bibliotheca instructissima enixe rogat.

BONUM FACTUM!

Lux Tibi nunc natalis adest. Quae vota dicabo?
Quae Tibi tam festa munera luce feram?
Dives agris, dives numis nec munera poscis,
Nec mihi, si poscas, copia maior adest.
Parvos parva decent. Parvum ne sperne libellum,
Qui natalitium iam Tibi portat ave!
Mille hodie Tibi vota sonant. Nam mille clientes,
Quos Tua cura fovet, Diis pia vota ferunt.
Tu, patriae columen, rebusque levamen in arctis
Saxoniam cura pervigili recreas.
Semper Te curaeque catenatique labores
Urgent, nec differs, quod Tibi surgit, opus.
Ergo, quos patriae donas, Deus Optimus annos
Ingeminet! nam, Te sospite, cuncta vigent.
Dispereant, qui bella movent, falcesque refingunt
In gladios, pereat, qui fera bella fovet.
At nobis, Pax alma, veni! Tuba bellica, sile!
Rex redeat! miles factus arator aret!

XXX. *

GENEROSISSIMO DE NOSTITZ

DIE NATALI A. D. XXI. APRILIS MDCCCXIII.

Quo Te carmine prosequar poetam,
Quo nec candidior benigniorque,
Sed nec doctior eruditiorve est,
Quos versus ego, qui poeta non sum,
Ad Te, Pieridum decus perenne,
Hac luce expediam? Pichlerianis
Solvam carminibus, favete Musae,
Quod lux optima postulat. Sereno
Vultu Tu excipies opus canorum,
Quod matrona dedit pudica, casta,
Rectus quae rigat haustibusque tingit
E sacro Sienitidos fluento;
Gaudebis simili, poetriamque
Castam, castus et ipse, comprobabis.
Nunquam pectus enim Tibi aestuavit,
Quandocunque piam lyram moveres,
Flammis mollibus, improbis, profanis.
Et si forte lyrae sonos lacessis,
Adstat Relligio, lyram ministrans,
Qua virtus probitasque vindicatur,
Qua sodalitii catena ubique
Certo foedere roborata crescit
Atque arcana fides stat absque labe,
Qua sensus pietatis excitantur
Atque aeterna salus piis paratur.

O Te, talia qui potes, beatum!
Nil est suavius, elegantiusve,
Quam, sudore laborioso abacto,
Captare otia, recreare mentem,
Interponere seriis Camenas
Musarumque nemus perambulare.
His felix frueris, velut procellis
Fessus navita litore adquiescit.

Vis natalitium pii sodalis,
Qui Te plus oculis suis amavit,
Qui Te plus oculis suis amabit,
Votum audire? Breve est, sed auspicatum.

Adsit Musa Tibi per omne seclum,
Vati carmina semper insusurrans,
Quae Schillerus amet redux ab Orco,
Quae Ramlerus amet collecta dulci
Umbris Elysiis citare voce.

O laetae subolis patrem invidendum,
Hinc Te versiculi, tenella proles,
Blandis vocibus usque consalutant,
Salve, mi pater, undique adstrepentes.
Illinc filiolae, parentis almae
Faustis in thalamis probe educatae,
Iunctae foedere prospero maritis
Vivas effigies tori pudici
Apportant similes avo nepotes.
Quis hanc dinumeret notetque prolem!
O laetae subolis patrem beatum!

Fac nos carcere scrinii severi,
Quo duri imperiis patris tenemur,
Emittas volitare gestientes.

XXXI. *

IN NATALES NOSTITII

A. D. XXI. APRILIS MDCCCXIV.

ADIECTO, MNEMOSYNI LOCO, DANTIS INFERNO.

Exiguus liber est, at magnum carmen in illo;
Sic latet in parvo munere magnus amor.

Lux ter candida, ter beata salve!
Magnum Saxoniae dedisti alumnum,
Firmum praesidium probis amicis,

Nostrum Nostitium! novem sorores
Finxerunt puerum suis in antris,
Mos et pura fides, pudorque, amorque
Illo in pectore castum habent sacellum.

Ite, ite, hendecasyllabi, volate,
Quid cessatis, habet sub urbe sitam
Villam. Flora amat hanc, colunt Camenae,
Hortos irriguos, vireta amoena
Percurrunt lepidissimae puellae.
Illic nunc habitat meus patronus,
Spectatissimus omnium meorum,
Quotquot sunt et erunt, fuere et unquam,
Amicorum. Hodie diem celebrat
Natalem atque hedera fores coronat.
Illic Gratia ludet et Camena,
Mira laetitia domus refulget.
Adstant filiolae; patrem osculantur.
Dextram filius implicat, negatque
Indignum fore se parente magno.
Stat grandaeva parens, rigatque fletu
Genas laetifico, quod ille vivit,
Cuius vita salutis est origo,
Et lectissima vota fundit alto
Coniux pectore, vivat ut maritus.

Ergo laetitia domum strepentem
Quando inveneritis, volate, quaeso,
Nostri versiculi, nihil timentes
Adstate et modice caput moventes,
Flexo poplite, suaviter, decenter
(Urbanos decet esse in urbe natos)
Portate augurium novae salutis,
Et si nonnihil otii est amico
(Nam circumsiliunt caput latasque
Iam facto agmine mille, mille curae),
De me lenibus addite haec susurris:
Qui nos missitat, advolasset ipse,
Sensus pectoris intimos daturus,
Ast nec currere, nec potest volare;

Repit, claudicat improbae podagrae,
Dii pestem horribilem, ferocem, acerbam,
Duris morsibus acriter petitus,
Et vix nexibus expeditus arctis.

Hoc si dixeritis, sinu pusillum
Librum promite, tradite et patrono,
Atque hoc addite: pignus est amoris
Parvi ponderis, at poema magnum,
Quod Dantes cecinit redux ab Orco.
Tu solus citharae modos canoros
Interponere scis severiori
Vitae et pellere versibus sonoris
Curarum agmina! Tu poeta felix!
Ergo suscipies favente vultu
Susceptumque Tuo sinu recondes
Immortale opus Itali poetae.
Omnes nunc legere hoc iuvat poema;
Omnes nos quoque ab inferis reduxit
Regum maximus, unicus triumphus,
Qui Gallos domuit, nefas piavit,
Salutem peperit, deditque pacem.

XXXII. *

NOSTITIO, PATRIAE CUSTODI VIGILANTISSIMO, IN SUMMO HONORUM FASTIGIO ANTIQUAE FIDEI AMICO HOSCE HENDECASYLLABOS NATALEM EIUS A. D. XXI. APRILIS CELEBRATUROS SCRIPSIT BOETTIGERUS.

Paucis vos volumus, leves ministri,
Parvi versiculi, volatilesque!
Nostis Nostitium (novem sorores
Illi iam puero lyram dederunt,
Qua versus cecinit venustiores,
Quam quos Thummelius canit, disertus

Iocorum pater et facetiarum,
Sed clausos retinet domi, puellas
Ut clausas retinet severa mater);
Scalis hic habitat duabus infra
(Sed mox aedibus hisce derelictis
Praedam cimicibus voracibus nos
Heu linquens miseros fugam capesset).
Non longa est via, currite, heus, volate
Forsan dormit adhuc, labore fessus,
Dum noctu ad vigilem studet lucernam,
Quod prosit patriae notare chartis
Doctis, Iuppiter, et laboriosis!
Ergo, ne strepitu aut procace risu,
Nam ridere soletis impudenter,
Peccantes propere ruatis intro,
Turbetisve virum, cavete, quaeso.
Suspensis pedibus, favente lingua
Lecto assistite! diligenter ora
Observate Viri quiete pressa.
Quodsi lumina tandem aperta tollit,
Statim accedite, lenibus susurris
Blandum dicite ave! salutat ore
Nostro, dicite, Te pius poeta,
Qui Te plus oculis suis amatum
Laetatur sibi contigisse amicum,
Ex quo Pleissiades utrumque Musae
Coniunxere sacro sinu receptum.
Te salvere iubet poeta noster,
Natalique Tuo valere multum,
Ut cum coniuge, flore feminarum,
Qua nec cultior elegantiorve est,
Cum tota subole, proba, venusta,
Et cum postgenitis, nepotibusque,
Ceu sylva in viridi decora quercus,
Laetis germinibus repullulantes
Ramos semper agens vetusta quercus
Illaesus senio diu virescas.

O lux candida, ter, quater beata!
Qui rebus patriae favet, cupitque

Florentem patriam diu videre,
Offert vota deo, precesque fundit,
Ut qui fata regit, gubernat orbem,
Tot lustris hilarem hunc diem reducat,
Quot pellis gemitus, egentiumque
Abstergis lacrymas levante cura
Uno saepe die vel una in hora!

XXXIII. *

AD VOIGTIUM VIMARIENSEM

A. D. XXIII. DECEMBR. MDCCCXIV.

Dii Tibi dent vegetae coelestia dona senectae
Dii Tibi dent annos Nestoris atque dies!
Nam populus salvus, salva est res publica, si Te
Sospite inoffenso flumine cuncta fluunt.
Hoc cupit ipsa Salus: cantamus vota Saluti!
Salve! quod reliquum est, Tu dabis ipse Tibi.

XXXIV. *

APOPHORETON LAGENARIUM GENETHLIACON, DUAS SCILICET VINI MADEIRENSIS LAGENULAS, AMMONIO SUO

A. D. XVI. IAN. MDCCCXV.

BOETTIGERUS

D. D. D.

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus. —

Missurus librum, captabis inania, dixi.
Nec mihi, qui festa luce placeret, erat.
Ammoni, condis, quae docta volumina tradunt,
Quidquid inest libris, ipse tuo in capite.
Quae Latium docuit, quae Graecia docta profudit,
Gallia quae lusit, grandia, parva tenes.

Quidquid Arabs scripsit, nosti, chartasque Syrorum,
Quin Rabinorum somnia vana notas.
Ergo abscedite nunc, putridique facessite libri,
Ite, amicite piper, pascite vel tineas!
Nil mihi vobiscum est. Nam non eget ille susurris
Vestris. Cuncta tenet. Garrula turba vale!

Pocula iam spument! Lux haec libamina poscit.
Clamat natalis: funde merum Genio.
Amphora mittatur generoso plena Lyaeo,
Nectare nunc opus est, gaudia nectar amant.
Vana loquor, video; vano molimine pecco,
Cella Tibi locuples in locuplete domo est.
Ridetur merito, qui lymphas portat in Albim,
Pallados et templis Pallados addit avem.
His etiam, Ammoni, Te copia laeta beavit,
Et risit Bacchus, cum Tibi vina daret.
Vina Tibi in promtu, quae Moenus venditat, et quae
Rheni potor amat. Misit uterque cados.
Rite obsignatae, lepidissima turba, lagenae
Ordine stant longo. Me bibe, quaeque rogat.
Talibus, heu, nihil est, quod possim adiungere. Novi!
At poscit fidei pignora laeta dies.
„Noscenda est mensura sui." Tamen ite lagenae,
Neu pudeat, plures non mea cella capit.
Nec plebeia replent vos vina. Venitis ab Indis;
Quae vexit, fertur vos recreasse ratis *).
Vina beatorum facundo fertis amico!
Unde fluit nectar, nectare labra fluant.
Ergo libamen longo defundite collo,
Vota propinate et dicite: vive diu.
Vive diu, clament vitra tinnula, vive beatus!
Quod reliquum est, nostri Tu memor esse velis!

*) Vinum a Beatorum insulis, quibus Madera quoque insula adscribitur, advehi solitum vectura mitescere inter eos constat, qui salivas norunt vinorum generosiorum.

XXXV.

DOERINGIO SUO
SOTERIA POST DUODEVIGINTI ANNOS
INSTAURATA

A. D. XXVI. NOV. MDCCCXV.

GRATULABUNDUS PRAESENS DECANTAT

BOETTIGERUS.

Hoc erat in votis, ut post duo lustra revisens,
Gotha, salutarem teque tuumque chorum,
Utque Tibi, Frater, qui me mihi carior ipso es,
Amplexu in tenero basia mille darem,
Tecum et felicis celebrarem gaudia lucis,
Quae Tibi natali carior ipsa Tuo est.
Ter senos Phoebus, qui temperat astra polumque
Exegit gyros interiore rota,
Ex quo Te torrens pluviis hiemalibus auctus
Spumosis mersum vorticibus rapuit.
Iam mors saeva nigris Tibi circumfunditur alis,
Obstrepit et Stygiae iam Tibi murmur aquae;
Adsunt en Dryades, Pan advolat, undique clamant:
Currite, opem caro deproperate viro!
Nec mora, vulgus adest, accurrit rustica pubes,
Teque atris Orci faucibus eripiunt.
Hoc Tibi Musa dedit, dedit hoc Tibi magnus Apollo,
Nam castum vatem Musa perire vetat.
Felix Doeringi, nullis mersabilis undis,
Inter amicorum vota precesque pias,
Cum genero et subole et lecta cum coniuge libas
Conservatori pocula laeta Deo.
Funde merum Genio! iubet hoc Dresdensis amicus,
Innectens collo brachia multa Tuo.
Ut lymphas biberes Lethaeas, obtulit olim
Pallenti tumidas spumeus amnis aquas.
Ast Tu, qui Flacci nosses praecepta iocosi,
Clamasti: gelidae non ego potor aquae.
Clamemus cuncti, Te praeceptore: facessat
Potus aquae, Bacchi munera sola placent.

XXXVI.

A M M O N I O S. V.

NATALITIA QUINQUAGESIMA

A. D. XVII. CALEND. FEBR. MDCCCXVI.

CELEBRANTI

XENIOLUM, DUAS LAGENAS VINI HUNGARICI, MISIT BOETTIGERUS.

Funde merum Genio! Genius libamina poscit!
Parvulus, ut fundas, fert Tibi vina cadus.
Ridetur merito, qui stans in litore dulces
Urceolo e parvo fundit in aequor aquas.
Cella Tibi dives generosi et plena Lyaei est,
Egregio vati fert deus ipse merum.
Ridebor merito, quod guttas mittere coner,
Cum Tibi iam spument flumina nectarea.
Arrepsit Cereri quondam formica, deaeque
Exiguum munus, quod trahit ore, tulit.
Alma Ceres, quid vis stultissima bestia, granum
Ingenti cumulo turpiter addis, ait.
Tum formica gemens: munuscula spernere noli,
Parvos parva decent; si capis, ampla feres.
Ridet et accipiens, quae blanda ministra ferebat,
Frugilegae ancillae porrigit ipsa manus.
Ergo natali, quo non mihi laetior ullus,
Quantulacunque Tibi dona propino, cape,
Quod Sol Pannonicis olim bene coxit in oris,
Continet in parvo parva lagena sinu.
Id libare decet Genio et, Tibi Nestoris annos
Ut det, sollicita numen adire prece.
Eloquio sacro polles, monstrasque Salutem,
Sessitat in labris mellea Suada Tuis;
Ipse Pater Patriae pietatis praemia pendens
Insignem insigni cingit honore virum.
Saxoniae bene sit, clamemus, sit bene Regi!
Sospite quo sospes quilibet esse potest.

XXXVII.

IPSIS NATALIBUS
FRIDERICI AUGUSTI
PATRIS PATRIAE
SACRA ANNIVERSARIA
SEXAGESIMA SEXTA
CELEBRANTIS
A. D. XXIII. DECEMBR. MDCCCXVI.

Salve, festa dies! Templa patent, litant
Arae thuricremae, virgo canit preces,
Offert vota senex. Nam PATRE PATRIAE
Nato, patria nascitur.

Regem tolle bonum, nox populo incubat;
Sic, qui lumen amant, regis amant caput.
Quae regem genuit, civibus omnibus
Lux natalis habebitur.

Sol, qui cuncta vides, laetificas opes
Diffundens populis, tu melior nites
Genti, quae tumidis fluctibus enatat
Sperans omnia cum Deo.

Talem turrigerum tu quatiens caput,
Reclinata ingis aeriferis, tenens
Spicas et, Genius quam replet, arculam,
Felix Saxonia educas.

Felix, pestiferas quamquam agitans faces
Te circumtonuit bellum et atrox scelus
Te circumstetit. At fortior adfremit
Ilex tonsa bipennibus.

Fies, cum tibi mens fallere nescia,
Fies nobilium tu quoque gentium!
Te PATRI PATRIAE fidam adamantinis
Inscripsit tabulis Honor.

Felix, quod populos qui levat et premit
Per bis quina tibi lustra dedit pium
REGEM, sospite quo stat patriae salus,
Et quo orante, favet Deus.

Ah! natalitiis plausibus adnue,
Votis fatidicis adstrepe, compede
Rupta, Albis pater, et fluctibus insonans
Aude volvere vortices.

Te pagis viridi in margine et oppidis
Cinctum et mille scaphas fruge bona altiles
Vectantem DOMINUS praedicat intuens
Pulchra Pilnitii e domo.

Laudum praemia nunc pendere REX iubet;
Cessas, Albi senex? Affer opes tuas,
Fac, cornu saturans divite Copia
Annonam pluat impigre.

Audivit Fluvius! Moriger uberes
Exundavit aquas. Cernitis, undique
Frumenta adveniunt. Sic voluit bonus
REX. Mordax refugit fames.

Atque ipse Omnipotens Saxoniae favet.
REX, REGINA valent; FILIA PRINCIPIS
Salva est, sitque diu! dicimus Hespero,
Et si Lucifer imminet.

Et quod germinibus ruta viret decens,
Quam cura assidua Naïades fovent;
Tot laetae subolis sideribus micant
AUGUSTAE DOMUS atria.

XXXVIII.

VIRO

SUMME VENERABILI

CAROLO CHRIST. TITTMANNO,

SACRORUM PER SAXONIAM ADMINISTRANDORUM ANTISTITI ANNIS MERITISQUE PRAECELLENTISSIMO,

IN SACRIS SEMISECULARIBUS

A. D. XXVIII. IANUAR. MDCCCXVII.

SOTERION.

Fortunate senex, lux, quae Tibi candida fulget,
Vix uni e multis millibus illa venit.
Vivis et incolumi iam quinquagesima messis
Visa est et totiés bruma recurrit iners,
Ex quo Relligio, quae fulget lumine puro,
Praeconem verbi Te iubet esse sacri.
Doctae Saxoniae princeps Ernestius olim
In iuveni igniculos ingeniumque videns,
Attollensque oculos, „nisi fallunt omina," dixit,
Millibus hic multis causa salutis erit."
Fatidicis verbis Deus annuit. Omina firmans
Relligio scripsit nomen in aere Tuum.
Exoptata dies, hodie quam Dresda salutat,
Ominibus priscis monstrat adesse fidem.
Scilicet ex illa, quae Te sacraverat, hora,
Quid coelum reseret, qua ratione, docęs,
Et face, quae flammas disseminat aethere natas,
Erroris tenebras pellis et arte fugas.

Quis numeret, quos Tu lustraris lampade sacra?
Pectora quot verbis concaluere Tuis?
Mira cano. Coetum, quicunque pependit ab ore
TITTMANNI, si nunc cogeret una dies;
Ingentem populum Romae spatiosa theatra
Non caperent, caperet nullus in urbe locus.

Talia non pandit fragilis spectacula tellus;
Quotidie morimur; pulvis et umbra sumus.

Sunt superae sedes, sunt atria lucis in arce
(Imposita astrifero credimus esse polo),
Hic Te (vera cano), si palmam acceperis olim,
Cum steterit vitae meta suprema Tuae,
Doctorem excipiet circumfluа turba Tuorum,
Dicet et: hic nostrae causa salutis erat! *)
Unum ob servatum civem das quercea serta,
Quem tu, Roma, cupis nobilitare virum.
Mille salutiferis Tittmannus pectora verbis
Servat, mille animas congregat ore pio;
Omnes hae nectent capiti immortalia serta,
Doctorique suo praemia digna ferent.

Nec satis est docuisse gregem. Tibi gloria crescit!
Ipsos doctores, Vir venerande, doces.
Lipsia spargentem doctrinae semina sacrae
Te vidit, coluit Te Viteberga diu.
Tandem Dresda Tibi summos decrevit honores;
Eloquio hic animos consilioque regis,
Exploras doctos, indoctos fortiter arces,
Confirmasque bonos robore, pace, fide.

Est aliquid pietas et habet sua praemia virtus.
Cernite TITTMANNI gaudia rara senis.
Ipse Pater patriae, gaudet quo iudice Saxo,
Iam dudum meritis splendida signa dedit.
Qui plausus, quot verba sonant, cum laetus ubique
Rumor crebrescit, verba secunda ferens:
„Heus, TITTMANNO agitur iam quinquagesimus annus,
Ex quo Christicolas roborat alloquiis!"
Fallor, an apportat gratantia verba sacerdos;
Signatur numo dulcis imago viri;
Nec desunt, Genio bona quae libamina fundant,
Pocula, quae nitida margine vota notent.
Tinnula fila sonant citharae, convivia laeta
Pulsant spumantis tinnula vitra scyphi.

*) Vix est, ut digitum intendamus ad nobilissimum psalmi Gellertiani, qui animo nostro obversabatur, locum: *O Gott, wie muss das Glück erfreu'n, der Retter einer Seele seyn.*

Nec satis una dies. Nocturnam ducere pompam
Cum facibus iuvenes pignus amoris habent.

Fortunate Senex, pertentant gaudia pectus,
Quod priscam meritis stet vigeatque decus.
Sed maiora Deus virtuti praemia pendit;
Nam Tibi dat mira prosperitate frui.
Est Tibi (sitque diu) viridis florensque senecta,
Nulla Tibi frontem ruga senilis arat,
Et si quid titubes, ridens Hygiea propinat
In Caroli thermis pocula larga Tibi *).
Est Tibi (sitque diu) mulcens solamine pectus
Coniux, magnanimo femina digna viro,
Et Te circumstat patrem laetissima proles,
Ex qua vix unam surripuit Lachesis.

Silvam Palladiam et plantam vivacis olivae,
Quae radiis Phoebi crescit et imbre, refers.
Floret oliva vetus, sed surculus undique crescit,
Pinguibus et baccis turba novella tumet.
Scilicet his quadruplex radicibus exiit arbos,
Quam Tecum ramos consociasse iuvat.
Bis duo sunt nati, qui tractant Palladis artes,
Et quorum volitant scripta per ora virûm.
Utque litet Patris Genio concordia fratrum,
En, quadruplex uno nomine surgit opus.
Scripta linenda cedro! Sed praestant foetibus illis
Hi tredecim, quorum basia carpit avus!
Est gener eximius, Phoebi Themidosque sacerdos,
Deliciaeque patris, filia dulcis adest.
Quid loquor? In cunctis Te Iuppiter aequus amavit;
Sed Tibi prosperitas maxima nonne domi?

Dicamus bona verba, Senex dignissime coelo!
In coelum, hoc petimus, serus abire velis.

*) Facere non possumus, quin hic thermis Carolinis, quarum praesentaneam vim et efficaciam Senex summe Venerabilis iam plures per annos expertus est, tabellam suspendamus votivam et in earum gratissima recordatione non sine voluptate quadam lubentes volentesque ipsi quoque acquiescamus.

XXXIX.

CHR. FRID. AMMONI,

THEOLOGO, ORATORI INCLYTO, PRIMARIO

A. D. XVII. CALEND. FEBR. MDCCCXVIII:

CUM PLAUSU ET VOTIS BONORUM OMNIUM

GENII NATALIS

SACRA ANNIVERSARIA CELEBRANTI,

AMICO AMICUS

C. A. B.

Adiectis aliquot facetiarum et apophthegmatum libellis.

Res severa, gaudium.

Ite, ite, hendecasyllabi, volate,
Vel talaria subligate plantis;
Nam vos limina praesulis diserti,
Ammonis, tetigisse non pigebit.
Salutate Virum, caput modeste
Inclinate, manusque basiate.
Circumsistite, flagitate, blandas
Voces edite! sic decet clientes.
Dein, quis miserit, expedite paucis:

„Iucundis Tibi vinculis amoris
Coniunctus, vetus et probus sodalis,
(Nam Gottinga oculos Tuos notare,
Adspectuque dedit frui benigno)
Misit nos dominus, Tibi salutem
Ut natalitiam bonosque plausus,
Pignus laetitiae piae, feramus.
Salve candida, lux beata, salve,
Quae Te progenuit; notatur albo
Lapillo omnibus, imperatque vota.
Tu, cui nuper adhuc ab ore sacro,
In quo Suada sedet fidesque casta,
Suspensos licuit tenere cunctos,
PATER quos Patriae hic adesse iussit,
Rite ut prospicerent focis et aris,

Quos instans monitis inaugurasti,
Divini eloquii calore captos;
Tu qui mox populo renuntiasti,
Plausu ut exciperet diem beatam,
Qua fortissima facta, qua Lutheri
Laudes post tria secla praedicandas
Luthero similis resuscitasti;
Tu, flos Saxoniae piae, decusque!
Ut vivas, valeas, precamur omnes."

„Sed quo munere prosequar diei
Festae laetitiam sonosque faustos?
Nam si munera divitem decebunt,
Nos munuscula poscimur pusilla,
Et munuscula parva si gravamur
Apportare hodie, maligna turba
Monstrat nos digito et vocat cavillans
Plenos ruris et inficetiarum."

„Donarem veteris cados Falerni,
Sed nequissimus involavit omnes
Fur cellae insidians bene obseratae,
Nec quicquam nisi mortuas reliquit
Educens animam igneam lagenas.
Potabit Stygias scelestus undas!
Et plena est Tibi cella, poculisque,
Natali genio quibus litatur,
Iamdudum generosa vina spumant.
Donarem pateras, scyphos, catinos,
Quos fornacibus excoquit Misena
Atque ornat vario colore pictos
Encausto nitidam tabellam inurens.
Sed haec munera sunt beatiorum.
Excussi loculos, Moneta fugit!
Plenus sacculus est aranearum.
Nec cum divitias negotiosas
Spernas, deliciis eges superbis."

„Ast ridere iuvat, iuvat iocari,
Et post seria lusibus vacare;

Non istis stolidis, inepta turba
Quos pictis agitat stupens figuris,
Chartas ridiculo terens labore;
Sed quales hominum venustiorum
Insunt colloquiis, merae salinae,
Et quales hominum facetiorum
Sparguntur lepidissimis libellis,
Quae cum spicula fixerint amara,
Mel miscent modicum fricantque aceto."
Ohe, iam satis est. Loquacitate
Vos obtunditis, enecatis aures.
Hoc unum addere, ni grave est, placebit:
„Noli spernere ludicros libellos,
Quos nunc afferimus. Libri pusilli
Probe in versiculos quadrant pusillos;
Sunt pleni sale, ludicri, iocosi.
Quos si legeris, illico facesset
Curarum improba turba, nubibusque
Detersis, Tibi gaudium redibit.
Vultu ergo placido tene libellos.
Sunt parvi pretii, leves, fatemur;
At risum tamen adiuvare possunt.
Et risit quoque post suos labores
Evolvitque libros facetiores,
Cuius dogmata Tu refers, cavesque,
Ne quis plumbea dictitet, Lutherus."

XL.

CARMEN SAECULARE
'RIDERICO AUGUSTO REGI SAXONIAE
INSCRIPTUM *).

A. D. XX. SEPTBR. A. MDCCCXVIII.

Alme Sol, curru nitido diem qui
Promis et celas, aliusque et idem
Nasceris, possis nihil hoc videre
Pulchrius ortu!

*) Iterum recusum legitur in Diario Classico Anglorum (Lond. 1819.) n. 37. p. 82.

Quinquies denos remeans per annos,
Phoebe, tu Augusti Friderici amorem
Splendide effusum populi in salutem
Cernis eundem.

Saxonum rebus Superi faventes,
Cura si vobis pietatis ulla est,
Saxonum Regi bona iam peractis
Iungite fata.

Iubila et voces populi precantis
Audiat numen, pia vota scribat
Parca non fallax adamante, laudent
Postera saecla.

Si Deus nostras videt aequus aras,
Regiam stirpem, pietate fultam,
Sospitet semper, bona det renascens
Saecula Phoenix.

Det probos mores docili iuventae,
Det senectuti placidae quietem
Regis exemplo et pietate mentes
Impleat omnes,

Augeat prolem numero carentem
Per vias urbis bona Pax beatae,
Laeta ceu campis riguis per imbrem
Gramina surgunt.

Sic Fides verax et Honor Pudorque
Omnibus laetos aperire vultus
Audeat ditetque beata pleno
Copia cornu.

Rex, velut pupillam oculi tenellam,
Te Deus servet, fremitus minaces
Hostium frangat, faciatque ab omni
Parte beatum.

Serus in coelum redeas, diuque
Saxonum rebus moderator adsis,
Hic ames dici Pater atque Princeps
Alterum in aevum.

XLI. *

HENDECASYLLABI NATALITII

A. D. XVII. CALEND. FEBR. MDCCCXIX. AMMONI AMICISSIMO INSCRIPTI.

Dulces pange mihi, Camena, versus,
Versus mellifluos, lepore tinctos.
Iucundissimus omnium dierum,
Quos fasti niveo notant lapillo,
Natalis venit Ammonis diserti,
Quo Saxonia literata gaudet,
Is, quo praesule tota gens superbit,
Et quo sospite sospes est ubique
Incorrupta Fides, sacrumque dogma.

Praesul optime, sacra Christiana
Tu caste colis et facis, sed idem,
Quae vivacibus annotare chartis
Et servare velit Camena, cantas.
Ergo carmina qui canit poetae
Et pro munere carmen insusurrat,
Ridetur merito, quod inficetus
Infundit latices tumentem in Albim
Et flores in Hyblaea prata portat.
Ergo versiculi leves valete,
Nullus versiculis honos habetur,
Cedro carmina digna pangit *ipse*.

Praestat iam Genium vocare laetum.
Natali Genio integremus aras.
At ridet tua vota, ni beata
Adsit copia Bacchici liquoris.
Bacchum laetitiae datorem adoret,
Cui cordi est Genio litare nostro.

Heus, ancillula, poculi ministra,
Cui claves tribuisse non pigebit,
Cum sis sobria, computesque semper
Cellae divitias subinde lustrans,
Deprome ocyus intimo ex recessu

Ipsisque ex adytis sacrae cavernae,
Atque affer cito dona laeta Bacchi,
Quae sol percoquit Hungarorum in oris,
Quae dulcedine nectar omne vincunt,
Obsignata duabus in lagenis.
Has prome illico, ut latex Lyaei
Fundatur Genio, beetque amicum!

Ast o me miserum, negat puella
In cella sibi cantharos repertos *).
Affirmat tamen intimo in recessu
Cellae doliolum stetisse plenum,
Plenum nectaris optimique vini.
Non mentita puella me fefellit,
Non ipsa ebibit optimas lagenas,
Fugit me ratio! patescit error.
Plenum est doliolum! lagenae inanes
Defuso cupiunt mero repleri.

Sed nunc quid faciam? spopondi, amice,
Lyaei Hungarici duas lagenas.
Defundam, hercule! dona certa praesto,
Sed ut sit Tibi munus hoc Lyaei
Defaecatius expolitiusque,
Expecta triduum. Moras molestas
Compensabimus addita lagena.

Ridebis, scio. Boettigerus iste
Fumivendulus, inquies, dolose
Vult emungere me suis lagenis.

Sed quae polliceor, Sibylla scripsit.
Nunc mitto exiguum Tibi libellum,
Ut pignus Tibi sit fidelitatis.
Mox addam comites bonas lagenas,
Quas si olfeceris, illico rogabis,
Nasum ut Te faciant, Deos potentes.
Resignatus enim Lyaeus iste

*) Duas lagenas me missurum esse promiseram. Sed vini generosissimi, recens ex Hungaria allati, dolium nondum relini potuerat et defundi in lagenas.

Spargit mirificos ubique odores.
Natalis Genius statim advolabit.

Unum hoc adiicio. Pius sodalis
Felicem Tibi comprecatur annum,
Cumque hoc innumeros precatur annos,
Quos fautrix Tibi Suada Gratiaeque
Ducant divite de colu beatos.

XLII.

IN EXSEQUIAS
I O A N N I S C A N T U,

CANTORIS ITALI,

VOCIS SUAVITATE, FORMAE DECORE, MORUM COMITATE IMIS ET SUPERIS GRATISSIMO.

A. D. III. ID. MAI. MDCCCXXII.

Dulce canit cantu Cantu. Iovis attigit aures
Suave melos. Cantu nos recreabit, ait.
Obticuit Cantu in terris. Sed cantat Olympo;
Exuvias posuit cycnus ad astra volans.
Defleto pompam longo duc agmine, Dresda,
Sparge rosas, viduae lilia necte lyrae;
Sed si per valles dulcis tibi sibilat aura,
Cantum audire puta, vocis imago sonat.

Diar. Vespert. 1822. nr. 116.

XLIII.

A M M O N I S U O
X E N I O L U M.

A. D. XVIII. CAL. FEBR. MDCCCXXIII.

Fons fuit Ammonis Libycas, sic fertur, ad aras,
Luce rigens media, nocte ruente calens;
Concurrunt gentes, fontis miracula adorant,
Responsa, eventus si latet, apta ferunt.

Quid, peregrinator speculans Minutole, fontem
Quaeris? fons periit, squalet arena siti.
Dresda petenda tibi est. Hic duplex fonte in eodem
Lympha calet, friget. Tu bibe, si dubitas.
Ammon hic habitat; facundo in pectore fons est.
Fons calet eloquio; coelitus ignis adest.
Ast idem recreare solet, ceu frigus amoenum,
Alloquio, pectus si mala cura coquit.
Nec vendit mendax populis oracula vates;
Verba *Dei veri* praedicat ore sacro.
Nunquam exarescet fons, credite, numen in illo est!
Coelo missa scatet vena perennis aquae. —
Natali Ammonis Genio libamina fundat,
Osque salutiferum proluat ipsa Salus.
Salve Ammon, fons vivus aquae, auguriumque Salutis,
Pignus amicitiae, suscipe, vive, vale!

XLIV.

CALENDIS MAIIS MDCCCXXIII.

Apriles male turbidi valete,
Gallorumque minas refrigerate!
Ridete, exhilarate nos calendae
Maiae, pellite frigus et pruinas!
Sol duplex micat et duplex in aula
Spargit lumina frontibus benignis
Luna. Has qui videt in polo sereno
Clamabit: pluviae et gelu facessent!

Diar. Vespert. 1823. nr. 104.

XLV.

AMMONI SUO

εὐγάμῳ, εὔπαιδι,

PALMAM NATALITIAM

A. D. XVI. IAN. MDCCCXXIV.

OFFERT BOETTIGERUS.

Natalis Genius quae mittat munera, quaeris,
Ammoni nostro, cui novus annus adest?
Palmam offert Genius; palmis sunt omnia plena;
Christicolas ipsos palma beata decet,
Palma vetus, Libycis ubi campus squalet arenis,
Ammoni semper consociata viret *).
Conveniunt gentes gracilis sub tegmine palmae,
Quam nutrit tellus fonte perennis aquae.
Te quoque, quem celebrant Ammonis nomine cives,
Prolem esse Ammonis palma decora docet.
Figuntur palmae, victricis praemia linguae,
Rhetoris ad postes **); et favet his populus.
Sic quoties, densa errorum caligine pulsa,
Ad verbum Domini lingua diserta vocat;
Acclamant omnes: palma Tu dignus. Et ultro
Offerrent, praesto si modo palma foret.
Caesaris haud cuivis, ubi plurima palma perennat
Villa in Callirhoes, palmea silva patet ***).

*) Vide Minutoli itiner. ad templum Iovis Ammonis p. 214. seqq.

**) Mos fuit, palmis exornare ianuas rhetorum et caussidicorum, si causam obtinuissent. Huc spectat versus Iuvenalis VII. 118.

Figuntur virides, scalarum praemia, palmae,

et Martialis VII. epigr. 27. ubi praedicat facundiam amici:

Sic fora mirentur, sic te palatia laudent,
Excolat et geminas plurima palma fores.

Adde Cresollii theatr. rhetor. p. 364. seqq.

***) Neminem fugit, Caesari prope Vindobonam splendidissimam esse villam suburbanam, cui ad similitudinem vernaculi nominis Schoenbrunn pulcherrimum Callirrhoes nomen indere fas erit. Amoenitate viridariorum et fontium, magnitudine seminariorum, plantas et arbores exoticas hypocaustis refocillatas conservantium, magnificentia aedium ita exsplendescit, ut ad eam perlustrandam undique confluant hospites. Hic duo palmarum ad naturalem fere proceritatem exsurgentium domicilia spectaculo sunt et miraculo.

Sic quoque Idumaei memorans ubi crimina regis
Augusti nostri mitia regna refers, *);
Decernunt uno ore omnes Tibi praemia palmae,
Magno oratori murmura laeta favent.
Palma oratori semper laetissima crescat,
Palmarum ut recreet nobilis umbra senem!

Diar. hom. elegant. 1824. nr. 20.

XLVI. *

FRIDERICO KINDIO SUO,

QUI NUNQUAM, SPERO, DESIIT ESSE MEUS,

A. D. IV. MART. MDCCCXXIV.

Multa aufert aetas, depascit corpore florem,
Conspergit tenui tempora cana nive.
Tu ridens senium et iuvenili robore firmus
Natali Genio plurima thura dabis.
Ast mihi languescunt vires, carpitque Senectus
Arrepens oculos, flosculus omnis abit.
Unum durabit, vetus et spectatus amicus,
Qui mihi, si moriar, dicere possit: ave!
Eia age, ne spernas, hodie quam porrigo, dextram;
Sum Tibi perpetuo, qualis et ante fui.
Unum addam. Solitus tu nectere serta rosarum,
Ne sit cum spinis res Tibi, quaeso, cave.
Spina est suspicio. Tetricam procul abiice spinam.
Fide Tuo Genio. Collige, sparge rosas.

*) Hoc argumentum Ammon tractavit in concione sacra in comitiis Saxonicis a. d. 6. Ianuar. a. 1824. habita.

XLVII.

IN ARCE SAXONICA,
CUI NOMEN BASTEI TRIBUITUR.

Murorum pinnae sternuntur, moenia Dresdae
Iussa iacere iacent, fossa repleta viret.
Sola haec naturae miracula frangere nescit
Tempus edax, durant flumina, saxa manent.
Sed non perpetuo. Tu, qui vestigia in illis
Figis, sume animos. Evola ad astra! Manes.

Diar. Vespert. 1824. nr. 185.

XLVIII.

VERSICULI ULRICI CIPPO INSCRIPTI
QUO DIE IN FUNUS EIUS PRODIBANT PUERI PUELLAEQUE E LUDO LITERARIO BONORUM CIVIUM PIETATE SUSTENTATO.

Ulrici tumulo inferias pueri atque puellae,
Vos ipsi flores, fundite flore novo.
Nam vos heredes scripsit, cum scriberet: arcam
Hi teneant, qui *re consilioque* iuvant.
Immortalis honos et in urna perpetuum ver
Civi, qui carae praebet opes patriae.
Ulricus moriens iam desinit orbus haberi.
Quam sibi adoptavit, turba superstes humat.

Diar. Vespert. 1825. nr. 130

XLIX.

IN BREITHAUPTII
DESCRIPTIONEM FRIBERGAE.

Extollis Friberga caput. Te Plutus amavit,
Visceribusque Tuis effodiuntur opes.

Ast Tua perlustrans miracula clamitat usque,
Monstratore opus est, advena. Nullus adest.
Hoc erat in votis. Sollers Breithauptius affert
Lumina, cuncta patent. Diffugiunt tenebrae.

Diar. Vespert. 1825. nr. 168.

L.

CALENDIS OCTOBRIBUS,

CUM PRUINA NOCTU LAESISSET UVAS.

Succus acerbus inest uvis iam frigore tactis.
Heu mihi, fida parum stella comata fuit!
Sed nobis antiqua Fides antiqua ministret
Vina sub aequaevo condita Rege. Bibam.

Diar. Vespert. 1825. nr. 237.

LI.

IN SENEFELDERI PRELUM CHEMICUM.

Filiolas Cadmi qui multiplicare conatur,
Hermes hunc natum vindicat usque suum.

Diar. Vespert. 1819. nr. 32.

LII.

CUM

CAROLINA AUSTRIACA

INTER POPULI LAETABUNDI CLAMORES

DRESDAM INTRARET

SOLE PULSIS NUBIBUS ET PLUVIIS SUBITO EXSPLENDESCENTE

A. D. VII. OCTBR. MDCCCXIX.

Terra sitit. Dolet Autumnus. Iubet arva rigari,
Depluit e cornu gutta beata Dei.
Sed subito Austriacum sidus Tibi, Dresda, refulget,
Imber abit. Puro Phoebus ab axe micat.

Accipit en laetis populus clamoribus omen:
FRIDRICO nostro stat sine nube dies!
Ast inter Solis radios novus ingruit imber.
Quis prae laetitia temperet a lacrymis!

Diar. Vespert. 1819. nr. 292.

LIII.

AMOR DEORUM HOMINUMQUE VICTOR IN NUPTIIS

MAXIMILIANI ET LODOVICAE

DUCUM SAXONIAE

CANTU SYMPHONIACO CELEBRATUS DRESDAE IN ODEO PALATINO

A. D. IX. NOVEMB. MDCCCXXV.

Omnia vincit Amor. Sopitur lis in Olympo,
Causae victrici plena theatra favent.
Conveniunt proceres. Favet en Augusta triumpho
Ipsa domus. Cantus concinit. Afflat Amor.
Pan et Vulcanus coniurant. Panicus omnes
Consternat terror. Flamma timetur edax.
Sed placida fremitum REX maiestate coërcet.
Turba silet. Cantu percelebratur Amor.
Percelebratur Amor. Capimus nos omina laeta.
Vulcanus claudus Panque facessat iners *).

*) DE LUDO MUSICO AD MATRIMONIUM

M A X I M I L I A N I

DUCIS SAXONIAE ET

L O D O V I C A E

DUCIS LUCCENSIS FILIAE

CELEBRANDUM IN ODEO DRESDENSI

A. D. IX. NOV. MDCCCXXV.

EDITO BREVIS NARRATIO.

Ad nuptias, quas Maximilianus, Dux Saxoniae, frater Regis cum Lodovica, Regis Hispaniae nepti, e ducatu Luccensi Dresdam adventante conciliaverat, solemni fidium et canticorum concentu rite celebrandas Rex Celsissimus Morlacchio, gregis musici, qui Regi praesto est, chorago et moderatori (Maestro della Capella Regia), auctor fuerat, ut numeros faceret ad argumentum e Metastasii Operibus depromtum. Placue-

rat eligere illud, quod ab initio ad anniversaria Elisae, Imperatricis Romanae, illustranda a poeta Italo compositum, deinde ad matrimonium Iosephi II., quod in sacris Palatii Vindobonensis penetralibus adornatum fuerat, solemni cantu inaugurandum, paucis versibus immutatis, transferri iusserat Imperatrix Maria Theresia. Idem hodie factum, cum hoc praestantissimum carmen novo usui accommodaretur. Totum Amoris choragium deorumque concilium ab Istro ad Albim migrasse fingebatur, cantilenis aliquot, quas ipse Metastasius suis apponi, quo erat aurium fastidio, haud gravatus esset, interpositis. Quod asylum Amoris (l'asilo d'Amore) primum, deinde triumphum Amoris inscripserat Metastasius (Poesie del Metastasio T. V. p. 32. ed. Paris. Durandi), huic iam titulus litis consopitae (la lite sopita) praefigitur. Locus opportunus eiusmodi oblectamentis musicis datus est Dresdae. In theatrum aliquod Olympicum te delatum esse existimes, si tessera accepta, splendidissimum Regis ingressus odeum, lychnuchorum et cereorum innumerabilium fulgore spectatorum oculos praestringens, sertis et arbusculis odoriferis condecoratum, oculos circumtuleris in consessum augustissimum, Regis et domus Regiae, aulicorum et procerum, quotquot Dresdae agunt, satellitio stipatum et populi, qui frequens confluxerat, caeteris lectissima in sedilibus usquequaque exstructis circumfusum. Caveam cum omnis spectatorum plus quam quatuor millium capacem esse, hoc quoque die apparuit. Carmen igitur cum Moriacchio praesule a cantoribus et cantatricibus suavissima voce ad fidium et tibiarum sonos decantari coeptum esset in odeo illo, Augusteae magnificentiae, quae olim hic spectacula edidit, monumento luculentissimo, accidit, ut, vano timoris, huius nulla unquam investigari potuit causa idonea, terriculamento, ingenti fremitu repente cohorrescerent omnia. Vocum illecebris, fidium lenociniis, quibus omnium aures permulcerentur, subiti obstrepunt susurri. Gliscit rumor. Increbrescit tumultus. Terrorem diceres vere Panicum. Nam ignorabatur, unde orta esset ista perturbatio. Pulverem vel lapillos aliquot e tectorio lacunaris a fabro lignario, ut inde prospiceret, perforati clanculum defluentes primum turbasse animos, putatum est. Mox crescente suspicione scintillam contignationibus adhaerescentem delitescere alicubi, inanis occupavit animos opinio. Quid multa? Proruere spectatorum ordines, fugam capessere complures in suggestu, unde concentus personabat, arti musicae operati. Enimvero vano timore perculsos esse spectatorum animos statim apparuit. Hic verò simul intellectum est, Regem et Reginam cum tota familia Augusta praesentia esse numina. Tranquillitate animi inconcussa perstat Rex, vultu sereno et composito lustrat, circumspicit omnia; intemperias nescio quas agitare animos, probe intelligit. Itaque senex venerabilis de gradu se deiici hunquam passus instaurari concentus, ad suggestum revocare fidicines et cantores, assidere iubet omnes. Ut ratione et ordine procedant omnia imperat. Sic ordo paulisper turbatus e vestigio restituitur. In tranquillo omnia. Concentus symphoniacus magna cum voluptate auditorum ad finem perducitur. Nemo in subito tumultu laesus. Regis praesentia pericula ab omnium capitibus depulsa. Vestimenta primo tumultu a feminis meticulosis (lymphaticas diceres) fuga praecipiti discursantibus passim abiecta, plerisque reddita. Hinc, qui praesagiis veri aliquid inesse existimarent, auspicatissimum Ducum Serenissimorum connubium nullo casu turbari posse et semper faustissimum fore, afflante numine propitio, merito augurati sunt. Accepit omen poeta et versiculis supra positis culpam in deos, quorum nulla in carmine solemni ritu decantato mentio facta esset, derivandam esse autumans et id, quod res est, iudicans, praestigiis vani timoris risit, si quis ad exteras terras huius rei periatus esset nuntius, ne sinisteriores inde spargerentur disseminarenturque rumores, magnopere cavens.

Dabam Dresdae a. d. XIII. Nov. MDCCCXXV.

LIV.

CUM SEMLERO

BIBLIOTHECAE PALATINAE CUSTODI LITERATISSIMO
FUNUS DUCERETUR
A. D. XXI. DEC. MDCCCXXV.

Excussisti omnes loculos, Semlere, locasti
Quidquid librorum Bibliotheca capit.
Nunc Te, scriptori et scriptis quae figere Theta
Usque solet, loculo Mors lacrymosa locat.
Dii melius! cinis est loculo quod conditur arcto,
Quod superest, ipse es. Vivus ad astra volas.
Non sapit, assiduus qui mille volumina volvit;
Ast qui, quae dictant, factitat, ille sapit.
Tu, sapiens, vita referebas scripta sophorum,
Moriae irrisor, simplicitate bonus.
Ergo ite exequiàs, librorum millia centum,
Deliciae vestrae, verus amicus, abit.

Diar. Vespert. 1825. nr. 306.

LV.

E B E R T O,

BIBLIOTHECARIO REGIO,
POSTRIDIE NUPTIAS A. D. XVIII. NOVBR. MDCCCXXVI.
MARITUS SENEX.

Nil Tibi cum vetulis, quae fundant carmina, Musis!
Adsideat casto Pronuba nulla toro!
Turba facesse loquax. Sponsus sibi sufficit ipse,
Solus cum sola gaudia pura cupit.
Hoc opus, hic labor est, ut quae connubia firmet
Stella iubens, nostro in pectore fausta micet.
Nec taedis opus, igne sacro si pectus adurit
Amplexans alacrem sponsa venusta virum.
Haec reputans cautus celasti tempus et horam,
Qua Tibi ducta uxor. Garrula turba strepit,

Et se delusam queritur. Sed Tu Tibi plaudis;
Hesterno sponso plaudit amicus. Avge!

Diar. Vespert. 1826. nr. 281.

LVI.

AMMONIO V. S. V.

GENETHLIACON

A. D. XVII. CAL. FEBR. MDCCCXXVII.

ADIECTO LIBRO NUPER A SE EDITO.

Donarem tripodas paterasve. Ast copia non est.
Vascula si poscis, Misnia mille dabit.
Doctis docta placent. Docti natalis amici
Munera deposcit docta, probata diu.
Parve liber, recoquis iamdudum dicta. Sed insta,
Sume animum, Ammonis limina amica petens.
Doctrinam supplebit amor. Sis Salvus, amico
Ter, quater acclamans omina fausta refer.

Diar. Vespert. 1827. nr. 16.

LVII.

AUGUSTUS HERRMANNUS NIEMEYERUS

A. D. XIV. CAL. MAI. HALAE SAXONUM,
ACCLAMANTE DOCTORI SUO GERMANIA, SEMISAECULARIA SACRA CELEBRAT.

Musa salinarum, cui splendida serta parasti?
Quinquaginta rubet laurus opima rosis.
Niemeyero agitur iam quinquagesimus annus,
Ex quo de cathedra semina sparsa seni.
Sessitat in labris Suada, undique et undique pubes
Germana accurrit, verba profunda bibit.
Scilicet eloquio divina effata recludit,
Et disciplinae mille vias aperit.

Fortunate Senex, plaudit Germania tota
Votis, Dresda favet, Lipsia docta litat.
Diar. Vespert. 1827. nr. 93.

LVIII.

VERSICULI
CHLADENII ACUSTICES PROFESSORIS
TUMULO INSCRIPTI.

Deciduos lapides, stellarum fragmina, coelo
Devocat et monstrat, quos struit arte, sonos.
Diar. Vespert. 1827. nr. 101.

LIX.

IN FRIDERICUM AUGUSTUM
PATREM PATRIAE
PALMA COELESTI DONATUM
A. D. V. MAII. MDCCCXXVII.

Quis gemitus patriae? cur nox obnubilat ora?
Cur campana tribus pulsibus icta sonat?
Immortale caput, sibi sic persuaserat aetas,
Attigit, heu, precibus Mors remorata diu.
Quid querimur? Victrix REGEM iam palma salutat,
Quinquaginta octo est frondibus illa ferax.
Octo et quinquaginta annos beat ILLE nepotes,
Patresque et, quos iam terra recondit, avos.
Augusto tumulo, pia patria, fige cupressos!
Orbis quem coluit, fama loquetur anus.
Cum puerum, memini, tegerent umbracula Portae,
Arrisit puero, ceu iubar exoriens,
AUGUSTUS, Thuringam adiens, cum CONIUGE celsa;
Unus tunc nobis, Vivite, clamor erat.
Vixerunt, undena scyphos per lustra propinans,
Et senium expellens favit utrique salus.

At nunc iusta dabo. Patriae lux occidit. Illuc,
Quo REX praejvit, iam iuvat ire senem.

In Domesticis diario Vespertino additis 1827. nr. 9.

LX.

DRESDA, PIA, MORIGERA.

A. D. VIII. OCT. MDCCCXXVII.

Adiurat Patria obsequium, REGEMque salutat;
VIVE PATER! clamans arcus ubique monet.
Campanae reboant; populi ferit aethera clamor;
Ignibus et festis oppida tota micant.
REGIS iter laetus circum strepat undique plausus;
Si sede in propria prodit, ubique quies.
Sic pietas voluit REGIS; pia iussa veremur,
Exsuperat plausus obsequiosa quies.

Diar. Vesperl. 1827. nr. 257.

LXI.

DRESDA LUGENS,

CUM FUNUS ADVENTARET BEATISSIMAE REGINAE

A. D. IV. NON. NOV. MDCCCXXVII.

REGINAM, pia Lipsia,
Ante poscimus, heu, non ita creditam.
Supplex Dresda rogaverat
Fortunam Reducem: da, dea, nam potes,
REGINAE reditum OPTIMAE.
Venti diripiunt vota. Reducitur,
At non ipsa revertitur.
Sublatam ex oculis quaerimus. Evolans
Scandit stelliferum polum.
Toti flebilis, heu, Saxoniae occidit,
Nulli, quam TIBI, REX BONE,
Quem per bis quatuor lustra beaverat,
Plus desiderii dabit.

Exundent lacrymae! Sed querimoniae
Tristes proficiunt parum. —
REGINAE exoritur vultus, uti iubar,
Gaudenti DOMINAE excita
Arcus innumeros patria dedicat,
Laeta fronde virent domus.
Palmae ramus abest. Coelicolae obvii
Arcum purpureum struunt,
Et victrici animae praemia destinant
Tot palmas, quot opem ferens
Abstersit lacrymas divite dextera.

LXII.

IN NUPTIIS AUGUSTI HEDENI M. D. CUM ANNA STRUVIA.

Hedeno suavi cum nuberet Anna Perenna *),
Obtulit hos versus, omina laeta, senex.

DRESDAE, ID. NOVEMBR. MDCCCXXVII.

Offas mellitas praebens Hygiea draconi,
Augurium laetum sibilat anguis, ait.
Scilicet Hedeno, quo non mihi carior alter,
Sponsa petita favet, clam mihi dixit amans.
I soror, invigilans nam forte adstabat laso,
Et sponsam observa! quae tibi visa, refer. —
Aethera iam tranans properat soror huc, ubi ad Albim
Sexaginta offert Dresda capax medicos.
Iamque suburbanos, quos novit, permeat hortos.
Struvius hic aperit mille salutis opes.
Ipsa Salus monstrans medicatos fingere fontes
Abdita naturae conspicienda dedit.

*) Hedenus respondet Graecorum ἥδυμος. Anna Perenna Romanis Nympha fuit perennis, perpetuo florens. Accipiamus omen!

Accurrunt aegri, mox unda supervenit undae;
Morbis nulla quies, pocula larga abigunt.
Dirigit huc gressus, sponsam investigat Iaso.
Ambulat in viridi culta puella solo.
Advolitat iuvenis, dat basia, lux mea, clamat.
Sponsa haec Hedeni est, diva salubris ait.
„Anna mea aeterno nos vincit copula nodo,"
Haec ubi dicta audit, plausit utrique dea.
Plausit et a dextra faustum ter sternuit omen.
Iungit Hymen dextras, omina firmat Amor
Felix sponse, Anna antistat tua mille puellis,
Sponsa, tuo sponso diique hominesque favent.
At vos coniugio tali gaudete parentes.
Saepe nepos genibus succutietur avi!

LXIII.

AMMONIS, VIRI SUMMI,

GENIO NATALI LIBAMENTUM OFFERT BOETTIGERUS

A. D. XVII. CAL. FEBR. MDCCCXXVIII.

Natali Genio, Ammonis qui temperat astrum,
Ferreus est, hodie qui pia dona negat.
Ipse ego donarem, quae sollers Misnia coxit,
Vascula, vel calices, mensae abacique decus.
Sed non haec mihi vis, nec eges his, dives amice,
Nam Tibi REX nuper munera larga dedit.
Aurea pyxis adest, fulgentibus apta lapillis,
E quibus, ut sidus, REGIS imago micat.
Paucos tale beat donum, quos aequus amavit
Iuppiter, egregiis tale venit meritis.
Eloquio sacro Tu firmas corda, monesque,
Ut stet, ceu rupes, constabilita fides.
Ut Deus haec faxit Tibi propria, quilibet optat,
Qui Te audit, cedro et scripta linenda legit.
Ne desim votis, quae Dresda et patria fundit,
Accipe, quae fido pectore vota cano:
Ut totidem lustris, quot iam persedit, in ore
Suada Tuo sedeat, sint rata vota. Vale!

Diar. Vespert. 1828. nr. 15.

LXIV.

HENDECASYLLABI

SODALITATI COITIONEM, CUI AB ALBI NOMEN HAESIT, EPULIS INAUGURANTI ADITIALIBUS, A. D. VI. ID. FEBR. MDCCCXXVIII.

IN CONVIVIO IN HORTIS PENSILIBUS BRUHLIANIS CELEBRATO OBLATI.

Tu, quae pocula nectaris ministras,
Cui ridet Venus et benigna Tellus,
Quocunque ingrederis pedesque figis,
Ex alta nive flosculos refundit,
Hebe, sive *Iuventa* vocaris, audi,
(Nam convivia tu lubens frequentas)
Audi, Diva, precor, meisque votis
(Nam quamvis nive candicent capilli,
Nec sim qualis eram, colam Iuventam)
Praesens adnue, nam potes, faveque
Congerronibus his, sodalibusque,
Quos hic suaviter assidere iussos
Cernes quottidie undique advolare,
Ut pascant animos, labore functi,
Verbis Socratico lepore tinctis,
Ut tangant cyathis labella sicca,
Ut firment stomachum sapore cibi,
Atque ut sacrificent Iovi hospitali,
Si quem miserit huc remota tellus,
Quicum vivere ament, itare, fari.
His nunc omnibus, heus relicto Olympo,
Hebe, at praecipue seni haec precanti
Divinos latices tuae inventae
Inger, funde, reple, liqua, propina.
Nec deprome patris Iovis diotam,
Exhauri fluvium prope adstrepentem!
Nam tu sola potes aquam Lyaei
Mutare in latices beatiores;
Sic, quae lympha fuit, Falerna spumant.
(Corvos pascite, vos, adulterantes
Bacchi munera poculis aquosis;

Capnones, malo pestis, hinc abite)
Vis divina merum ex aqua reformat,
Quod Struvius optime docebit.

At vos, quotquot adestis hic, sodales,
Et quantum est hominum venustiorum,
Qui Dresdam incolitis, sedentem ad Albim,
Captate augurium, Deam rogate,
Albinam beet ut sodalitatem,
Affundens cyathos capaciores,
Implens nectare, quotquot hic lagenae;
Et sic influat Albis (haud timete
Nunc diluvium, adest Iuventa fautrix)
Exundetque scyphis. Bibant sodales!

LXV.

CUM NUNTIUS ALLATUS ESSET, CAROLUM AUGUSTUM MAGNUM DUCEM VIMARIENSEM IN ITINERE FENESTRAE FORTE ADSTANTEM REPENTINA MORTIS VI PERCULSUM OBIISSE A. D. XIV. IUNII.

Stans moritur DUX Vimariae. DUX inclyte stabis,
Dum plaudet resonis Ilma canora choris.
Dum colet altisonas docilis Germania Musas,
DUX bone, Musageten Fama loquetur anus.
Ne lecto affixum morbus Te carperet, ipse
Saepe precatus eras, Mors pede adest tacito.
Mentibus infixus vives stabisque Tuorum,
Nam per dena vigil lustra beas patriam.
Nobilis accipitris ritu vigilasque, cavesque,
Ne cuiquam obrepat desidiosa quies.
Nil actum reputans, si quid superesset agendum,
Arripis, exploras quidquid in orbe novi.
Turba fatigatur, sed inexpugnabilis ipse es.
Pallas Te ditat, Flora profundit opes.
Ipsa Hebe fertur barbam tetigisse Tonantis,
Reflorescentis membra precata seni.

Et cum Sprea Tibi Viadrusque acclamet, ad Albim,
Suadet enim pietas, turpe silere mihi.
Tu mihi cum dubius starem Spream inter et Albim,
Dresdam i, dixisti; Patria Dresda tibi.
Hinc cum contigerit sedes placidissima ad Albim,
Fortunae auctori reddere iusta decet.

Diar. Vespert. 1828, nr. 149.

LXVI.

EBERTO SUO,

BIBLIOTHECARIO REGIO, FILIOLUM RECENS NATUM ULNIS AMPLEXANTI

S. P. D. BOETTIGERUS

AD D. XXIII. DECEMB. MDCCCXXVIII.

Hora ruit, partusque puerpera tacta dolore,
Ingemit: heu, fer opem, Luno benigna, veni!
Fortis enim exosusque moras arcta ostia pulsat
Vincula rupturus prospiciensque puer,
Coniugis ad gemitus cursat trepidatque maritus.
(Quis neget, ipse fuit fons et origo mali.)
Confugit ad libros, bis centum millia lustrans,
Nil opis in libris, charta diserta tacet,
Anxietas crescit; tardat Lucina, fatigat
Ebertus precibus, quem colit ipse, deum.
Scriptorum custos, Hermes tutela librorum,
Advola et uxori, quam cupit, affer opem,
Signat enim tua virga oculos, eademque resignat!
Tu fessam recrea, pelle laborem, opifer!
Adstat Mercurius, virga mulcere dolores
Incipit et nixus adiuvat ipse manu.
Adnitente Deo, puer exsilit actiter et se
Proripit e tenebris, lucem amat, hancque petit.
At Deus: hic patrisset, ait, puer, acta revolvet
Saxoniae. Ac stillat nectar in os pueri.
Fortunate puer, nutricis ut ubera sugas,
Quod iam gustasti, lac Tibi nectar erit.

Tu nihil invita dices faciesve Minerva!
Nam Tibi Pallas adest Mercuriusque favens,
Dumque premis docilis docti vestigia patris,
Regia Te poscit bibliotheca sibi.

Diurna elegant. hominum 1829. nr. 9.

LXVII.

AMMONIO SUO

A. D. XVI. IANUAR. MDCCCXXIX.
DIEM NATALEM SEXAGESIMUM TERTIUM
CELEBRANTI
BOETTIGERUS.

Natalis Genius temeraria vota recusat,
Vota procellosis diripienda Notis.
„Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano,"
Versiculus monitor vellicat auriculas.
Dii corpus validum Tibi dent, Tu caetera sumes
A Te; nam solus sufficis ipse Tibi.
Quid verbis opus est, clamat res ipsa; sed instat
Singula me Genius dinumerare iubens.

Mens bona si qua dea est, Tu Mentis es ipse Sacerdos,
Ad nos de coelo mens bona missa venit.
Spiritus est bona mens, quo fervida corda calescunt,
Ad populum quoties verba diserta facis.
Hinc Tu per populos alter Chrysostomus audis,
Nam sedet in labris aurea Suada Tuis.
Dum morbis animi verbis chartisque mederis,
Quis dubitet sana Te quoque mente frui?

Diva Salus animi sani commercia poscit.
Fortior in sano corpore mens habitat.
Si pedibus, laterique bene est, si recreat arctus
Membra sopor, stomachus si bene latrat edax,
Nil Tibi cum medico est, rides, si filius ipse
Arte Machaonia polliceatur opem.

(Arte tamen pollet, facundi et ab ore magistri
Discipuli pendent, fit tripos e cathedra.)
Pocula non Tibi cocta putas, quae Struvius haurit,
Audax naturae tollere vela manu.
Rheumaticus Struvi bis terque perambulet hortos,
Permeet ut subito, quam modo sorpsit, aqua.
Respuis addubitans medicatae pocula lymphae,
Et praefers Bacchi munera laeta. Sapis.
Hortos ipse fodis, flores, quos terra profundit,
Ipse per areolas digeris atque colis.

Ergo, cum Tibi sit mens sana in corpore sano,
Quid voveam, Genio florea serta ferens?
Unum est, quod voveam: Deus haec Tibi propria faxit!
Perduret nostrae foedus amicitiae.
Franguntur vires, furtim arrepente senecta,
Tu minor es natu, vi genibusque vires.
Multum ego debilior, sed sexagesimus annus
Utrique incubuit. Praegredior, sequere!

Diar. elegant. hominum 1829. nr. 29.

LXVIII.

IN DISCESSUM HYEMIS

CUM SUBITO CANDICARENT CAEMENTITII AEDIFICIORUM PARIETES,

A. D. XIV. FEBR. MDCCCXXIX.

In vitris, nostras quae conclusere fenestras,
Flores artifici pollice pinxit Hyems.
Alba pruinosis addens tectoria muris
Discedens aedes condecoravit Hyems.
Stiria distillet. Fuge frigus, aperta fenestra est.
Pacifera ad Russos porro facessat Hyems.
Nil tibi nobiscum est. Redeat Ver, floribus hortos
Pingat, odoriferas aedificet casulas.

Diar. Vespert. 1829. nr. 44.

LXIX.

IERNES CANTILENA,

DIE AEQUINOCTII VERNALIS,

A. D. XX. MART. MDCCCXXIX.

Ver redit et cum vere novus post nubila Phoebus.
Pax sit vobiscum! terra polusque canunt.
Terra polusque canunt! Furor et malu rixa facessat!
Sed quis, dicite, quis pacificator adest?
Wellingtonus adest et Peelius. Occidit hydra.
Vicit lux tenebras. Orbis uterque favet.

Diar. Vespert. 1829. nr. 70.

LXX.

GENETHLIACON AD AMICUM COELIBEM *).

Pauca praefari liceat hisce versiculis, ut, si quis miretur, nos in limine senectutis magis magisque ingravescentis indulgere nugis, bonam horam conterendo versiculis Latinis pangendis, et quae adolescentibus in flore aetatis facile condonentur, facere senes, veniam nobis det, nec naso nos repuerascentes suspendat adunco. Repuerascunt senes, verum est, at non delirant. Scilicet hoc saepe nobis accidere solet, ut in senectute ad iuvenilia relabamur studia nobisque iterum oblectamento sint, quibus in tenera aetate assueveramus. Atqui si ludere iuvat γεροντικῶς, ut Augustus scribit in epistola a Suetonio nobis servata, satius est, tempus fallere lusibus poeticis, quam desidere in cathedris mulierculorum, aucupari rumusculos a scurris urbanis sparsos, garrire de rebus frivolis cum ancillis famigerulis, imaginibus in charta lusoria depictis emungere argento congerrones et Russorum cum Turcis depugnantes proelia, quid Cosacorum sarissa valeat contra Turcarum achiacem, alto supercilio pronuntiare. Et insedit nobis hic morbus, si morbus est, versus Latinos faciendi a prima iuventute, quam in almae Portae umbraculis, nemora et viridaria illi adiacentia perreptantes, suaviter exegisse maxima cum voluptate semper recordati sumus, recordabimurque, dum vita suppetit. Nec poenituit unquam operae his lusibus impensae; studio fallente laborem, imo aliis quoque idem ut facerent, eo tempore, quo gymnasium Gubenense, postea Bu-

*) Prodiit primum in Diar. scholast. 1829. nr. 73.

dissense, denique Vimariense reximus, auctores suasoresque fuimus. Non me fugit quidem, quid desiderari et reprehendi queat in eiusmodi carminibus peregrinitatem verbis et re redolentibus, nec unquam cum vernaculi sermonis lepore comparandis *). At in promtu sunt etiam argumenta, quibus meditationes istas in lingua veteris Latii, inprimis in iuventute scholastica literis elegantioribus imbuenda, magnam vim habere ad uberiorem linguae facultatem comparandam demonstrari possit, satis idonea. Et apparet illud quoque, in diiudicandis emendandisque veterum Graecorum Romanorumque carminibus, ab omni ὁμοιοτελεύτων commissura plane abhorrentibus, cum laude versari posse neminem, nisi qui ipse in illis componendis periculum fecerit et legibus, quibus veterum carmina adstringuntur, obtemperare didicerit. Accedit, quod inde a patrum memoria nemo non adsueverit carminibus in vernaculo sermone secundum metra illa antiqua et legendis, et concinnandis, multique, Suffeni scilicet foetus suos an abortus dicam mirifice exosculantes, in his se venditent iactentque, Vossiosque sese et Goethios esse puros putos autument, si sexcentos eiusmodi versus stantes uno in pede effuderint. Cui quidem malo praesens haud dubie efficaxque remedium parari posse, si, qui talia moliuntur, ad procudenda effingendaque eiusmodi carmina in ipsa veteris Graeciae Latiique lingua mature sese composuerint, semper statuimus **). Quae cum ita sint, quid-

*) Sexaginta et quod excurrit anni sunt, ex quo *Herderus* iam, Vir inclytus et in omni literaturae genere versatissimus, vanos eiusmodi conatus nostrae aetatis hominum in scriptis carminibusque sermone Latino etiamnum perpoliendis acute perstrinxit in duobus illis fragmentis *de literatura Theotisca* scriptis, quae iam in primo Operum eius scripta ad literaturam pertinentia continentium volumine collecta extant. Atqui ipse postea in Baldio, quem in Terpsichore sua miro lepore et suavitate vertit in nostrum sermonem, depraedicando recantavit ea, quae asperrimus totius generis castigator pronuntiavisset. Placet consilium novae editionis carminum Baldianorum procurandae Augustae Vindelicorum, quod cum maxime in tabellis publicis propositum deprehendimus.

**) Diu multumque, ut inter omnes constat, inter nos quaesitum et disceptatum est de regulis legibusque in syllabarum quantitate mensuraque observandis, quibus poetae Theotisci metrorum veterum imitatores adstringendi sint. Respuit lingua nostra ex elementis valde discrepantibus conflata prosodiam et os rotundum populorum veterum, nec unquam ita emolliri flectique poterit, ut antiquis satis probabiliter respondeat. At egregia dos est linguae nostrae, quod non plane refragetur istiusmodi compositionibus et quod post Vossium, qui viam nobis patefecit, de prosodia Germanica haud inepte disputationes instituere possimus. Si meam super hac re sententiam expromere fas est, pulcherrime, me iudice, de hoc metrorum veterum artificio, nostris lucubrationibus instaurando, disputavit illustrissimus *Iacobsius*, Criticus eximius, in omni scribendi genere, quo vetus recentiorque aetas exsplenduit, mirus artifex, versibus quoque Graecis Latinisque fingendis pollens, in dissertatione versionibus eius iterum elimatis, quibus praestantissima Anthologiae Graecae, in qua diu habitat, epigrammata theotisce loqui fecit, primo Sylloges, cui nomen fecit *Leben und Kunst der Alten*, volumine praemissa. Nimirum hic

quid est hominum elegantiorum, daturos hoc nobis esse speramus, ut in ea aetate quoque, in qua sarcinulas colligere iubet aetas provectior, a vetere consuetudine versiculos Latinos expromendi, si qua forte occasio sese obtulerit, non recedamus, et, cum communicare aliquid cum lectoribus horum diurnorum iussi simus, levi hac opella defungamur, quando graviora et ponderosiora, excussis loculis omnibus, non reperiamus. Facere tamen non possum, quin, hac monendi opportunitate oblata, compellem Virum, magna doctrinae copia praeditum et in edendis propriis libellis pariter atque aliorum philologorum operibus magna cum laude versatum, Friedemannum, amicum, cum nostras esset, spectatissimum, multoque usu iam dudum mihi cognitum, qui nunc serenissimo Duci Nassoviensi a consiliis est scholasticis et moderatur Gymnasium Weilburgense. Atque is quidem cum ante hos sex septemve annos Doeringio meo mihique operam suam in colligendis carminum nostrorum Latinorum, quae paullatim in messem plenam succrevissent nec luce publica plane indigna esse viderentur, aliquot manipulis ultro obtulisset et, qua est humanitate, benigne pollicitus esset, se facturum omnia, ut e numerosa Sosiorum familia redemtorem nobis pararet, hactenus tamen, quod receperat, non perfecit. Causa latet. Defuit certe coepto illi eventus, nec unquam resciscere potuimus, qui factum sit, ut nullus adhuc librarius persuaderi sibi ab illo passus sit, condiceret operam suam, eo facilius suppeditandam, quod mercedem pro illa pecunia repraesentandam stipularemur nullam, exemplaribus aliquot inter amicos communes distribuendis satis superque contenti. Iam illud satis apparet, Virum occupatissimum et mutata subinde domicilii sede rerum suarum satagentem multis impeditum fuisse negotiis, quo minus promissis staret, nec in ullam incurrere propterea reprehensionem, quod, cum otium ad domestica negotia procuranda vix suppeteret, aliena detrectaret. Sed illud mirari subiit, quod, cum enixis precibus ab illo contenderemus, remitteret fasciculum in manus illi traditum, librarioque Lipsiensi, qui lubens volensque editionem illam se procuraturum esse receperat, demandandum, silentium sibi indixit plane Pythagoreum, nec ad literas, quas subinde misimus, flagitatrices quicquam reposuit. Multa interea supervenerunt vel addenda, vel aliis, quae iam resecari posse viderentur, substituenda. Dicat aliquis: facilis iactura papyri. Concedimus,

---

medium tenuit inter putidos regularum, quas ipsi promulgarunt, cantores exactoresque et ignavos inertesque legum, quibus hoc totum genus tenetur, contemtores. Praeclara proposuit saepeque in hac arte *Weberus* quoque, Gymnasii, quod Francofurti ad Moenum floret, decus ornamentumque, nuper admodum in censura versionis Sophocleae, diariis Berolinensibus inserta, quibus magna ex eo accedit auctoritas, quod ipse in Elegiis suis e Graeco fonte derivatis, se non praecipere solum, sed efficere etiam, quae velit, luculenter demonstraverit. Nec laude sua defraudandum esse existimem *Schwenkium*, in eadem urbe literas Graecas Latinasque profitente, Hymnorum Homericorum cantorem laudatissimum.

haec sine ullo detrimento reipublicae literariae delitescere posse et obsolescere in scriniis, tineas pascentia blattasque.

At nostri bene computantur anni,

instant amici, discipuli, cognati, qui, cum olim putarint esse aliquid has nugas, nunc quoque pretium qualecunque illis statuant et, qua occasione singula primum nobis in mentem venerint chartisque mandata sint, sibi revocari cupiant in memoriam. His quid nunc respondeamus, non habemus. Igitur iniquum minime nos postulamus, si ius nostrum poscimus *). Haec hactenus. Restat carmen, quod magis ob praefationem hanc quam quod dignum sit, quod aliorum oculis subiiciatur, hic prolatum esse, qui affirmaverint, nec, non multum a vero aberraverint. Nec praeterit nos exiguo carmini multa tamen inesse, quae quo pertineant, ii demum exputare poterunt, qui sodalitium bene noverint. Sed verbum non addam. Dresdae. Idibus Martiis MDCCCXXIX.

LODOVICO,

NAVIS, IN QUA OMNES VEHIMUR, NAVITAE VIGILANTISSIMO, VOTA NATALITIA NUNCUPAT LECTIQUE GENIALIS GAUDIA AUGURATUR

PRIDIE CALEND. MART. MDCCCXXIX.

BOETTIGERUS

GRATULABUNDUS.

Dum, Lodovice, caves navi, flabra extera mulcens,
Haud sentis frigus, tarda quod afflat Hyems.
„In vitris, nostras quae conclusere fenestras,
Flores artifici pollice pinxit Hyems.
Stiria distillet. Fuge, frigus, aperta fenestra est.
Pacifera ad Turcas porro facessat Hyems."
Haec populum, sed nos hodie bona verba decebunt,
Natalis Genius spargere thura iubet.
Nil Tibi deest. Te exornat Honor, Te Copia ditat,
Virgo abblanditur, Rex Populusque favet.
Addis calcar equo, si grandis epistola scripta est;
Si lubet, e calamo fit lyra, pulchra canis.

---

*) Haec cum scripta essent et ad Zimmermannum V. Cl. missa, traditus nobis est fasciculus cum carminibus nostris, sine ulla, quid hactenus in mora fuerit, significatione. Enimvero exorari se passus est Vir Humanissimus, remisit, quod postulaveramus, nosque eo nomine illi obstrictissimos esse, lubentes gratique profitemur.

„Quid voveat dulci nutricula maius alumno *)?"
Sanus es, et votis annuet ipsa Salus.
Unum addas. Si Te lectus capit, omnia frigent,
Umbram amplexaris, pervigil uxor abest.
Quaere uxorem hodie; fax ardet, suadet amicus.
Sera nimis vita est crastina **), quaere hodie!

LXXI.

CAROLO FRID. GUIL. DE GERSDORFF,

INTER SUMMOS COPIARUM SAXONICARUM PRAEFECTOS CUM PAUCIS EXPLENDESCENTI, SUSPIRIA PIA.

A. D. XV. SEPT. MDCCCXXIX.

Heu mihi, lethiferis Mors nos circumvolat alis.
Vix Themidos custos occidit, alter abit.
Artis Palladiae custos, quem Diva virago
Militiae columen iusserat esse suae,
Omnes Divae artes GERSDORFFIUS imbibit, unus
Qui sagulo armigero sufficeretque togae.
Bellator validus, in utraque Palladis arte
Spem patriae, iuvenes finxit et edocuit.
Tu mihi patronus, GERSDORFFI! Ploro relictus,
Mox iunget tumulus me Tibi, crede, senem.

Diar. Vespert. 1829. nr. 225.

LXXII.

PUTIATINO,

SENI MIRABILI, RUSSIAE ALUMNO, SAXONIAE COLONO,

A. D. XII. IAN. MDCCCXXX.

MORTE PLACIDISSIMA FUNCTO.

Fortunate senex! Lustra arrepsere bis octo.
Nunquam sensisti. Ver Tibi perpetuum.

*) Horat. I. Epist. IV, 8.
**) Martial. I, 16.

Nidulus in villa Te quando excéperat, Hebe
Adstitit. Uxor erat, visere sueta senem.
Sede beatorum demissa obsignat ocellos
Somno perpetuo coniugis umbra. Migra!
Hic, quo migras, nodus omnis solvitur, omnis
Pagina naturae multum agitata *) patet.

Diar. Vespert. 1830. nr. 13.

LXXIII.

CHRIST. FRID. AMMONIO
ACUNDISSIMO VERBI DIVINI INTERPRETI IN CONCIONE CORAM PROCERIBUS POPULI SAXONICI, AD COMITIA ANNO QUOQUE SEXTO CONVOCATIS, HABITA
GENETHLIACON
A. D. XVI. IAN. MDCCCXXX.
OFFERT
BOETTIGERUS.

Ammoni natalis adest! Quae munera mittam?
Mittam versiculos, quos generasse iuvat.
Qui si non poterunt recto consistere talo,
Quid mirum? Elumbis claudicat ipse pater.
Vertigo expulsa est, mordax erysipelas instat,
Arripit et dextrum lenta podagra pedem.
Nescio, quae Pandora novas e pyxide pestes
Miserit. Heu, misero quae mihi culpa nocet!
Forsitan hoc fraudi est, quod versus illino chartis.
Turpe senilis amor. Carmina ludo senex.
Labes inveterata nocet. Iuvat addere versus
Versibus. In numeros sponte sua veniunt.
Atqui hodie, Ammoni, veteri Tibi foedere iuncto,
Communi in plausu, turpe silere foret.
Toti Tu populo et patriae cum maxime in ore es,
Verborum stimulis ponderibusque potens.
Nuper enim procerum, quos Rex sibi iussit adesse,
Firmasti alloquiis pectora fida Tuis.

*) Scripsit paradoxa, a Tappio edita, praefixo titulo: *Worte aus dem Buche der Bücher*. Dresdae, Arnold. 1829.

Cautus Arabs Herodem adiit, stellamque secutus
Natalem expetiit, Christe colende, tuum.
Codicis id sacri narravit pagina festo,
Quo docet orator verba tenenda, die.
Quam scite his verbis Tu publica commoda signas!
Scripta videbatur litera sacra Tibi.
Scilicet hic spectanda fuit vis enthea verbi.
Omnes nam monitis adstupuere Tuis.
Quis sermo! exclamant, quae figit spicula corde!
„Psittace laudator, pica facesse loquax!
„Talibus haud opus est nunc defensoribus. Aes sit
„Circum corda triplex, ingenuusque pudor.
„*Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa,*
„Hoc primum est, si quis consulit in publicum."
Ardebat populus, cum talia iussa referres,
Iussa sacrata Deo, quae violare nefas.
Vive diu, praeco impavido qui nos vocat ore,
Ingeminat populi vox studiosa Tui.
Saxonia ipsa favens quercu Tibi tempora velat,
Egregium civem talia serta decent.
Laurus amat fortes. Dixisti fortiter. Ergo
Postibus a populo figitur illa Tuis.
Nix tegit areolas glaciali compede vinctas,
Pieridum flores nulla perurit hiems.
Atque ego, Pieridum quae sunt decerpta viretis,
Affero natali florea serta Tibi.

Diar. elegant. hominum 1830. nr. 30.

LXXIV.

Κελευστικὸν

CUM SERENISSIMUS SAXONIAE PRINCEPS

I O A N N E S

CIVIUM AD SACA SUMENDA EVOCATORUM MANIPULIS IN SOLEMNI LUSTRATIONE OBEQUITARET

A. D. XXVI. SEPT. MDCCCXXX.

Plaudite. Nam nebulae, queis Dresdae vallis amoena
Offuscabatur, Sole micante, cadunt.

Matutinus adest lustrans nos lampade Phoebus.
In promtu causa est. Civibus ille favet.
Nam lustrans hodie, ceu fulgens stella, IOANNES
Armatos cives, agmina densa probat.
Principis os celebrant cives, vultumque serenum.
It clamor coelo: Hoc stat Duce firma salus.

Diar. Vespert. 1830. nr. 261.

LXXV.

AMMONI SUO VOTA NATALITIA

A. D. XVI. IAN. MDCCCXXXI.

Vota quid in terris? Quid coelum, stulte, fatigas?
Quid voveas? AMMON sufficit ipse sibi.
Nam sapiens divina probat, nec inania captat. —
Despument calices! Tinnula vitra sonent!
Hoc iuvat et melli est. Genio sua pocula! Crescat
Nostri AMMONIS vis, Saxoniamque beet!
„Vive bidentis amans et culti villicus horti *)."
Sic arridebunt caryophylla Tibi **).
Nulla Asclepiadas prudens medicamina poscis.
Si male ventriculus concoquit, hortus adest.
Hortus adest medicus, quem si fodis, ille laboris
Larga salutiferi praemia sponte refert.
Erucas, talpas et quidquid morsibus urit,
Tutela hortorum Flora favens abigat!
At vos, pestiferi mures, qui cuncta voratis,
Empusa Europae chollera saeva voret.

Diar. elegant. hominum 1831. nr. 29.

*) Versus est Iuvenalis Sat. III. 228. quem amico ad hortum suburanum properanti occinere soleo.

**) Caryophylla, quorum nitidissimos flosculos vel e seminibus procreatos, vel viviradicibus propagatos mitifice colit augetque Vir in horcultura quoque ingeniosus, hieme anni superioris dirissima mures famelici a arroserant, ut sub adventum veris plerique omnes exarescerent. Iacturam impensius studium mox sarcivit.

LXXVI.

LINDENAVII

GENIO NATALI, CONSERVATORI

A. D. XI. IUN. MDCCCXXXI.

Arx, Lindenavi, patriae, columenque, decusque,
Monstrat mercatus, quae Tibi vota feram.
Quid sibi vult, Dresdam quae confluit undique, turba?
Quid tumidis saccis turgida plaustra vehunt?
Lanigero pecori quae detondentur in agris
Vellera nunc migrant, pannificesque vocant.
His inhians emtor mediocria vellera sumat,
Sed nivea anticipet vellera Diva potens;
Diva potens, nostrae dispensans stamina vitae,
Molli deducens aurea fila colo,
Egregios villos sibi soli excerpat et addat,
Quae Tibi nevit adhuc, sedula staminibus.
Lanifica, heus, nostris Lachesis, precor, annue votis:
Sic cumula lanas, ut tria secla neas.

Diar. Vespert. 1831. nr. 186.

LXXVII.

IN OBITUM GRUNERI,

VIRI INCOMPARABILIS,

A. D. VIII. OCT. MDCCCXXXI.

Principibus placuisse viris non ultima laus est.

Exspirat medio in cursu, dum messis in herba est.
Fessus erat, sed vix crescere sensit onus.
Stemmata quid, si stat generoso in pectore Virtus,
Si Virtutis Honor clara sacella aperit?
Ite, ite exequias! sit in urna perpetuum ver.
Quaerit, quem inveniat patria moesta parem.
Praeis, mi Grunere! Sequar. Praeposterus ordo!
Disce mori, clamant omnia. Mox veniam!

Diar. Vespert. 1831. nr. 242.

LXXVIII.

IN VIRI ILLUSTRISSIMI AUGUSTI HERDERI,

SUMMI REI METALLICAE, QUA SAXONIA PATET, PRAEFECTI, REGIAE MUNIFICENTIAE SUASORIS ET DISPENSATORIS HUMANISSIMI, IMAGINEM LAPIDEA TABELLA ZOELLNERI ARTE EXPRESSAM *).

Herderi vultum, nitide quem pictor adumbrat,
Qui videt, exclamat: vivit imago! viget!
Saxoniae e puteis quoties pretiosa metalla
Evocat, hoc vultu dissipat omne malum.
Plurima praefulgent in pectore munera Regum;
Ast mirum ingenium plus genitoris **) habet.

LXXIX.

QUANDO GOETHIUS MORTALIS ESSE DESIIT A. D. XXII. MART. MDCCCXXXII.

Goethius effertur. Plangit Germania, luget
Europa. Illi par, quisve secundus erit?
Scilicet hunc fingens voluit Natura docere,
Quid queat ingenio perficere unus homo.
Formam, qua finxit, prudens Natura refregit.
Nanus erit parvo ex fragmine natus Atlas.
Immortalem obiisse senem, num credere fas est?
Dedidicit dudum Goethius Ipse mori.

LXXX.

DIE FERALI, QUA GOETHII EXSEQUIAE AD TUMBAM GRANDUCALEM DUCEBANTUR, DIE XXVI. MART. MDCCCXXXII.

Obticuit vates, cuius pendebat ob ore
Germanorum alacer per duo secla chorus.

*) Hoc epigramma prodiit m. Octbr. a. 1831.

**) Ioannis Godofredi Herderi, inclyti Germaniae doctoris, summi ad altaria Humanitatis sacerdotis.

Venit summa dies. Morientis *sedit* *) imago.
Dedidicit dudum GOETHIUS *ipse* mori **).

Diar. Vespert. 1832. nr. 76.

LXXXI.

MINKAE

VERSICULOS NUBENTI MITTIT AMICUS SEPTUAGENARIUS SENEX BOETTIGERUS

A. D. VIII. IUL. MDCCCXXXII.

من يتّق الله يجعل له من امره يسرا

Qui timuerit Deum, concedet in negotio ipsius facilitatem.
Cor. Sur. LXV, 5.

Tota Tibi sponsae favet urbs, mea MINKA. Venusta es,
Sedula, Palladiis artibus apta, sagax.
Ala, Budissinis dum forte moraris in hortis,
Decidit in gremium, casta puella, Tuum.
Hanc postquam ludens de coelo miserat alam,
Adstitit et dextrum sternuit omen Amor.
Nec mora, quae fuit ala, vir extitit, isque trementi,
Multa reluctanti basia mille dedit.
Ex illoque ambusti ambo. Fax ardet Amoris.
Sponsus abest, revocant vota precesque, redit.
Expectata dies sacro Vos foedere iungit,
Quos probat obdurans per duo lustra fides. —
Dives eris, gazas Arabum effodiente marito,
Aurum e Corani divite fonte fluet.

*) Obdormuit in sella culcitris strata reclinis, spreto lectulo.

**) Inter chartulas Böttigeri haec a me inventa est, quam supprimere nolui:

„Quum huic pentametro Vimariensis aliquis amicus haec adscripsisset:

At dediscere non poterat, quod non didicisset,
Sed docuit mortem, numina nulla mori.

ego statim respondi:

Qui nondum divus, qui nondum in morte caducas
Exuvias posuit, non, puto, numen habet.
Ergo non potuit proprio, dum vita maneret,
Monstrare exemplo, numina nulla mori.
Aut qui naturae scrutator fata recludit,
Hunc ego contendo dedidicisse mori."

Tauchnitii, quo auctore typi, librique perennant,
Cura, Corani litera fixa manet. *)
Ast fuit ala, habet alam et habebit, Minka, maritus.
Ne volitet, tenera vincula necte manu.

LXXXII.

IN

HENRICI MEYERI

PICTORIS ET ARCHAEOLOGI VIMARIENSIS TUMULUM.

Meyerus iacet hic, Picturae artisque sacerdos
Goethius hunc gaudet consociasse sibi.

Notitiae artisticae 1832. nr. 22.

LXXXIII.

VIRGINI LECTISSIMAE

MARIANAE REHBERG

NUPTIAS CELEBRANTI

C. A. BOETTIGER

SENEX SEPTUAGENARIUS

AMICUS PATERNUS.

A. MDCCCXXXII.

Non quae discingit Martem, sed quae arma ministrat,
Victrix antiquo est nomine dicta Venus.
Strenuus arrisit tibi miles, *florida sponsa*,
Patria si poscit, porrigis arma viro.
Macti virtute este ambo, fortesque create!
Turba fremit, patriae militet omnis amor.
Hunc Tibi nunc canto Dresdae, Mariana, hymenaeum,
In gremio matris saepe revisa seni.

*) Flugelii, Professoris Afranei, cura Coranus editus, literis in perpetuum stabilibus a Tauchnitio, typographo Lipsiensi, concinnatis expressus, impensis Tauchnitii propediem prodibit.

LXXXIV.

FRIDERICO GUILIELMO DOERINGIO

ἐφηβείαν PERENNEM

POST

QUINTA DECENNALIA IN CATHEDRA

RECTRICE PERACTA

GRATULATUR

CAROLUS AUGUSTUS BOETTIGERUS

CUM συνεφήβῳ

REPUERASCENS.

A. D. XV. KAL. IANUAR. MDCCCXXXIII.

PHALEUCI SOSPITATORI SUO.

Ite, ite hendecasyllabi pusilli,
Tranate aëra profluvium, nivosum,
(Nam stillans nivibus pluit December)
Et si flaminibus rapax tumultus
Dextrorsum rapiet, vel ad sinistram,
Heus, pulmonibus intumescite, amplis,
Plenis follibus acrius reflate.

Quod si vos piget ambulationis
Coeli intemperie molestioris,
Dicam, quod queat incitare cursum,
Quod currentibus admovere calcar.
Nam DOERINGIUS ille, qui secundis
Curis hendecasyllabos Catulli,
(Quorum e stirpe leves repullulastis)
Divina Critices polivit arte,
Dena utraque manu peracta lustra
Felix computat, in quibus cathedram
Musarum et Charitum esse iussit aram
Puram thuricremam, frequens sacerdos.
Ergo nulla mora est, volate Gotham.

Quod si vos piget obvios rogare,
Illuc currite, quo caterva densa,

Quo trudit populus, frémens tumultu.
Nam totus populus favet triumphis,
Quos DUX hic residens in aroe celsa
Sertis laurigeris benignus ornat.
Et sunt signa, quibus sagaciores
(Nasuti estis enim, quis hoc negabit?)
Aedes, quas petitis, queant notare.
Si recte olfacitis, culinae opimae
Nidor vos feriet, movens salivam;
Si recte sapitis, Lyaeus ipse
Vos vini veteris beabit aura.

Ridetis? graviora habete signa.
Observate aquilam, vias per auram
Tractu flammifero secantem, adunco
Rostro nescio quid ferentem ad aedes,
Quas nunc exhilarant chori et sodales.
Sed vos non fugiet, quid illa portet.
Crux ansata rubet, rubentque pennae.
(Ales purpureus magis placebit,
Quod sunt nigrae aquilae rapaciores.)
Atque insigne decus Seni verendo
Misit per volucrem suum ministrum
Brennorum armipotens potens potestas,
Ut qui semina ubique laeta sparsit,
Insigni decore ipse laetus esset.
O faustum augurium, probatiusque,
Quam quod fulminibus tonitrubusque
Commixtum augurium ales ater infert.

Sed si cernitis acrius, propinquat
Signum candidius. Volans per auras
Indutus tunica virenti et alba
Rutam affert Genius serenus, albus
Impressam rutila crucis figura.
Hic est Saxoniae decor colorque,
Quo si quem PATRIAE PATER beavit,
Illum suspiciunt per urbem et agros
Cives, quod meruit sodalis esse
Selecti numeri, paterna cura

Quem REGIS decorat sibi fidelem.
Ut DOERINGIUS hoc decus fideli
Fixum in pectore, ceu iubar, teneret,
DUX ERNESTIUS impetravit illi,
Ne palma merita Senex careret.
Sed dignum cruce splendidissima omnis
Grex pronuntiat eruditiorum,
Et quantum est hominum venustiorum,
Quantum in Saxonia disertiorum.

Monstravi omnia. Currite, introite!
Quando intraveritis, levi susurro
Cognoscat, facitote, vos adesse.
Benigne accipiet Catullianos
Anhelos, madidos tabellione
Abstergensque caput, labella siccans,
Permulcensque caput, rogabit: unde?

Tunc vos, blandiloqui, vafri ministri,
Quae nunc praecipio, renuntiate:
Misit, dicite, nos pater tenellos,
Ut quos accumulet merenti honores
Ardor discipulorum, amor Tuorum,
Atque insignia Principum, crucesque,
Quae non excruciant, sed enitescunt,
Narremus memores, domum reversi.
Qui nos misit, abest, miser gemiscit
Et desiderio Tui calescit.
Sed coeli furor et nivosus imber
Nec talaria subligare plantis,
Nec curru sinit avolare alacrem.
Heu vertigo minax, tenax gravedo!

Haec si dixeritis, sinu recluso,
Carmen promite, quod dedi ferendum
Et misi lepidissimo poetae,
Cui trisecliseni, regerminanti,
Iuventae calicem dedere Musae,
Misi mnemosynon poeta calvus,
Sed luce hac iuvenis repente factus,
Renascentibus illico capillis.

CONVIVAE COMMORIENTES *).

Despumant calices, respondent tinnula vitra,
Cantica laeta sonant, exhilarantque ioci.
Atque ego, ni forsan me ludit amabilis error,
Adsideo lateri, dulcis amice, Tuo.
Adsideo; nam vis hiemis me transtulit illuc,
Iubila, DOERINGI, quo Tibi fausta fremunt.
Flammivomis splendent lychnuchis atria. Sed quis,
Quis ferit insolitus lumina nostra nitor?
Cernitis, ut rosea tingatur luce lacunar?
Nempe iterum Genius, saepe vocatus, adest.
Signa dat. Advolitant simulacra repente per auras,
Turba sequax. Quaerit quisque: quis iste chorus?
Quinquaginta adsunt, si recte computo. Lauri
Fert ramos, qui sit proloquiturque chorus.
„Annua turba decem complevimus ordine lustra.
„Lauru, DOERINGI, tempora cinge! Tene!
„Praemia parta Tibi! E cathedra Te vidimus omnes
„Multa ministrantem pocula Pieridum."
Haec cuncti. Prodit primus: „Tua verba notavi,
„Cum primum e cathedra Tu loquereris, ait.
„E cathedra, memini, Tibi primum hac luce Gubenae
„(Adstupuit populus) fundere verba datum est."

*) Norunt, qui in reliquiis comicorum veterum colligendis cum maxime desudant, Diphili fabulam lectitatam esse olim, cui Συναποθνήσκοντες nomen fecerat auctor (v. FABRICII Biblioth. gr. vol. II. p. 438. Harl.), quam *Commorientes* fecisse Plautum, e Prologo discimus Terentiano in Adelphos scripto. Proprie illud συναποθνήσκειν cadit in eos, qui certamine singulari congressi mutuis vulneribus simul confecti exspirarent. Sic saepe apud Plutarchum. Sed Graecorum lepidum ingenium verbum male ominatum transtulit ad certissimorum consortium amicorum, una eademque hora mori cupientium. Hoc voluit Diphilus, hoc Plautus. Ad effrenatam et perditam nequitiam detorsit verbum Antonius in comessationibus suis, de quibus insignis locus extat apud Plutarchum in vit. Ant. p. 949. D. quo pulchre usus est in dramate cognomine Shakspearius. Sed pluscula accurate iam dudum contulit eruditissimus Sturzius in libello *de consuetudine commorientium* emisso Gerae 1790. Qua significatione in carminis titulo hoc vocabulum acceperim, ex ultimis illius versibus patet. *Tecum vivere amem, tecum obeam libens!* Quo sensu *convivam* acceperim, dicat Pomponius apud Charisium Sosip. Lib. I. p. 37. Putsch. *Conviva, qui convivit.*

Flectis, amice, caput, spectris male credulus illis.
Tum praesul: „fidei pignora certa dabo.
„Frons Tibi nunc calva est. Sed tunc Tibi silva comarum
„Circa aures falso pendula crine stetit;
„Ne dubites (monstrat latitantes veste capillos)
„Hoc ciniflonis opus sit Tibi pignus, ait."
Franguntur risu mensae, quo spectra facessunt.
Auribus acclinis verba repono Tuis:
„Successi Tibi Gubenae, Tuus assecla semper.
„Sic natale solum, Lipsia sic habuit.
„Quid mirum, velles cum Tu migrare Gubena,
„Lampada, quam ferres, Te posuisse mihi?
„Scilicet hoc voluit, stamen quae nevit utrumque,
„Staminibus nostris ut foret una colus.
„Sic nos a teneris fraterno foedere iunctos
„Collocat in gremio, Porta canora, tuo
„Is qui me genuit, Tibi qui patris instar habendus
„Oscula discedens dividit, ora rigans.
„Vos, inquit, pueros cohibent quae vincula, durent;
„Constringatque eadem copula firma senes!
„Mors rapuit patrem; cum Porta remitteret ambo,
Amplexans natos utraque mater adest.
„Respicite et nostrum foedus matresque, patresque,
„Coelicolae, votis laetificate piis!"
Prosiliunt lacrymae. Tamen has abstergere fas est;
Nos, ubi laeta sonant iubila, laeta decent.

Cernis, ut ipse locus circumvolet? Omnia rident.
Ridiculos fas est ergo novare iocos.
Atque ego calvaster: „quia mentio facta capilli est,
„Hos ut mutarem, Tu mihi suasor eras.
„Successurus enim Tibi iam monitoris egebam;
„Numburgum petii, quae schola fausta Tibi.
„Tunc memini, observans nitidos in fronte capillos,
„Hos, inquis, reseca. Noxa capillus erit.
„Facticios ergo crines Tibi quaere, Gubena his
„Gaudet. Ni attuleris, ibis, amice, foras.
„Ingemui. Sed fortis eram. Cecidere capilli
„Forfice. Supplens hos altera silva emitur.

„Et bene erat. Sic floriduli potuere magistri
„Iam bene barbati pondus habere viri *).
„Imberbes hodie si scirent ista magistri,
„Doctiloquis essent omnia plena viris!"
Haec ubi narravi, rides lepidumque cachinnum
Adiuvat attritu dextra, sinistra manus.
Clamant convivae: ridetis? dicite causam.
Tu repetis. Plausus inde iocique strepunt.
Ast ego sermonem, primum quo coeperat ire,
Deduco. Auscultat turba sonora, silet.

„Semper et in magnis auctor suasorque fuisti.
„Vimariam ut peterem, Tu mihi sponsor eras.
„Proxima Vimariae Gotha est. Vicinia pollet.
„Consilioque Tuo mox patefacta via est.
„Budissae sedeo. Vexat mala mantica dorsum **).
„Vimariam Herderus, Te stipulante, vocat.
„Crebra frequentantur iam nunc commercia nobis,
„Atque tabellaris saepe columba volat.
„Saepe ego, si poteram dimissum linquere coetum,
„Iussi iungere equos. Gothae hiemare iuvat.
„Prospicit in campos celsa niger abiete lucus.
„Villa iugo imposita est. Nomina montis habet ***).

*) Dici non potest, quo favoris fervore adhuc decennio nono seculi praeteriti per universam Saxoniam capillamenta illa adscititia, quae vulgus *peruccas* appellavit, et galericulos supposititios adamaverint omnium ordinum homines. Quae Nicolai compilavit in libello sane putidiusculo: *über die Perücken*, parum satisfaciunt. Paucula carptim attigit ex ingenti acervo. Gubenae, quae prima me vidit scholae rectorem, auctoritatem in ludo regundo mihi conciliare nunquam potuissem, nisi capillamento, cirris dependentibus depexo, caput operuissem. *Ἀδιάφορον* esse censui, magnam subito gravitatem assequutus hoc obsequio, quippe qui, cum munus capesserem, annos vix viginti quatuor natus essem. Reinhardus, Vir Summus, primus hunc fucum expulit exemplo suo, de quo dixi in vita eius.

**) Anno toto, quo Budissino gymnasio praefui, incubus mihi haerebat Coberus, epistolarum, quas Themistocli supposuit sophista quidam male feriatus, editor, collega meus aetate provectior, qui a vetula quadam, dispensatrice eius, instigatus et mordens clanculum et aperte in me grassaretur, discipulorum odio mihi conflato. Meminerint, qui haec legunt, vocem theotiscam Kober cum *mantica* comparari posse.

***) Qui agros et colles, silva obsitos, ad radicem silvae Thuringicae et montis, qui ab insula nomen traxit, sitos accuratius exploraverunt, et castellum in colle editiore collocatum, cui ab abietibus montem obum-

„Illic nata fuit coniux; socer optimus illuc
„Me tecum invitat, meque domumque meam.
„Nobis prae reliquis arriserat angulus ille,
„Urbis ubi oblitos roscida nutrit humus."
Obticui. Nam vota sonant, adstante caterva,
Quae consanguineo stemmate nexa Tibi est.
Sunt natae et generi, sunt neptes atque nepotes
Bis septem. Cuncti devenerantur avum.
Fit clamor. Patrem Te terque quaterque beatum
Praedicat extollens pocula, quisquis adest.
Hic ego prorumpens et amoris percitus oestro
Clamo: „Tuae subolis sum pater alter ego.
„Nonne mihi Minnam misisti, nonne Matildam *).
„Utraque perdocilis, culta, venusta, decens!
„Ast contra Carolum misi Tibi, Tu pater illi.
„Tu puerum, Musas quid sit amare, doces.

---

brantibus nomen inditum est Tenneberg, non sine voluptate propter amoenitatem locorum perlustrarunt. Huc saepius commeavi cum Doeringio meo et utriusque domus nostrae familiaribus, hospitio scilicet a socero amici mei, iam pridem fatis defuncto, acceptus. Revertebatur aliquando ab habitatione illa Doeringius, cum a rivo, aquis hiemalibus inflato, paene mergeretur, mortis, quae ingruebat, discrimini auxilio plane admirabili ereptus, cuius miraculi anniversaria celebrare solitus fuit σωτήρια.

*) Scilicet convenerat inter nos, antiquae συντροφίας memoriam recolentes, ut in educandis liberis nostris mutuas nobis ferremus suppetias. Nec defuit eventus pacto huic plus quam fraterno. Wilhelminam, filiam natu maximam, quo tempore Vimariae degeremus, tradidit Doeringius uxori meae, matri familias diligentissimae. Exosculabamur puellae venustissimae, quam χαρίτων ἄγαλμα appellavisses, ingenium et docilitatem. Sed mors, quae omnia bella devorat, hunc quoque intercepit flosculum. Regelio, concionatori et collegae praestantissimo, a patre in matrimonium collocata, repentina morbi peste afflata fuit. Nunquam in animis nostris eius obliterabitur memoria. Eidem Regelio, qui secundis nuptiis duxerat filiam Doeringii natu minorem, nata est filia, Matilda, animi et corporis dotibus praecellens, Henrico, ecclesiastae cultissimo, in pago prope Gotham sacra facienti, augurio felicissimo iam nupta. Haec uxori meae, cuius iam dudum morbo articulari labefactata fuerat valetudo, adiutrix et sustentatrix data est a matre carissima, quamvis aegre illa careret, suadente avo, et sedecim menses, quibus Dresdae commorabatur, in sinu nobis fuit et in deliciis. Vicissim Carolum, filium meum natu maiorem, illustrissimo, quod Gothae floret florebitque in perpetuum, Gymnasio adscriptum Doeringius, non secus ac si adoptavisset sibi, aluit, in iisdem aedibus habitantem, docuit, auctoritate et consiliis suis saluti eius prospexit. Tantorum beneficiorum tamdiu in se collocatorum memoriam, qua est pietate, nunquam deponet filius, in Universitate literarum Erlangensi totum historiarum orbem iam explicans, qui cum operibus aliquot, historiam Saxonicam et Bavaricam comprehendentibus, suffragia sibi peperererit bonorum omnium, favorem Germaniae et in posterum illius studia promoturum esse, laeti auguramur.

„Inscriptas tabulas nunc Clio porrigit illi;
„Si docet et scribit, Te duce, Gotha favet.
„Vimariae et Dresdae coiere lararia nostra,
„Obsequiis geminis ut foret una domus."
Hactenus. *A mensa Genius nos evocat ambo.*
Convivas saturos auferet una dies!

LXXXV.

BREUERI SUI
GENIO NATALI.
PRID. CAL. MART. MDCCCXXXIII.

Natalem Genium quid postulo? Scilicet olim
Sit, quae nunc me explet, laeta senecta Tibi.
Si curis fessum Te non amplectitur uxor,
Ast carum in gremio Patria grata fovet.
Et Te circumstat, quos fallere nescia dextra
Iunxit, amicorum *commoritura* cohors.
Atque ego per dextram, dudum Tibi foedere iunctam,
Iuro: certa manet, dextra fidesque Tibi.

Diar. Vespert. 1833. nr. 53.

LXXXVI.

FRIDERICI AUGUSTI
ET
MARIAE BAVARICAE
POMPA NUPTIALIS
A. D. VIII. CAL. MAI. MDCCCXXXIII.

Dii nos respiciunt, credite Saxones!
Quam desideriis icta fidelibus,
Quam thura accumulans patria flagitat,
Exoptata MARIA adest.

Ignescant speculae per iuga montium,
Narret lampas uti lampadi: adest, micat
Ceu stella exoriens, SPONSA BAVARICA.
Inflammare decet faces.

Per nubes croceo lumine fulgidas
Thensa albet niveis iuncta iugalibus,
Qua SPONSUS vehitur SPONSAQUE REGIA;
Pompam ducit Amor favens.

Villas vitiferis collibus adsitas
Una omnes superat, ceu iubar aureum;
Augustis thalamus stat penetralibus.
Illuc, pulcher Hymen, vola.

Illuc, dum populi iubila personant,
Cum plausu procerum, quos patria evocat,
Quam REGNI SOCIUS consociat sibi,
MATER Pronuba transferat.

Inscripsit tabulis Parca adamantinis:
„Faustis auguriis faustior exitus."
Rutae Saxonicae germina pullulent,
Et prosapia floreat.

SPONSAE cerno caput. Spica beatior
Ornat, frontis honos, myrtea vincula.
CUSTODI PATRIAE dum vigil assidet,
Fruges Copia depluit.

Quae vidi et cecini, credite. Nam senis
Infirmos oculos ruta acuit medens.
FRIDRICI introitum CONIUGE cum NOVA
Vidi. Iam moriar libens.

LXXXVII.

NATALICIA LINDENAVIANA.

A. D. XI. IUN. MDCCCXXXIII.

Non est vivere, sed valere, vita.
Martial. VI, 70.

Quae Tibi neverunt felicia stamina Parcae,
Turgeat his fusus (si pia vota valent).
Atque eadem adspergat (sic patria grata precatur)
Morborum expultrix nectare Diva Salus.
Te reducem votis PRINCEPS, populusque salutat.
Praesto es PRINCIPIBUS. Cura facesse. Bene est!

Diar. Vespert. 1833. nr. 139.

LXXXVIII.

I. A. GUIL. HEDENO

DECEM LUSTRA ARTI SALUTARI

INCOMPARABILI

DEXTERITATE, SAGACITATE MIRA

CONSECRATA

A. D. XVI. IUL. MDCCCXXXIII.

GRATULATUR

C. A. BOETTIGERUS.

„Ure, seca, tracta scabra vulnera, disiice morbos!"
Infanti haec cecinit Parca benigna Tibi.
Moriger his per lustra decem, quae pyxide nigra
Pandorae pestes prosiluere, fugas.
Ergo hodie Tibi Dresda favet, Te sospite, sospes,
Quisquis et, ex Orco Te revocante, valet.
Ecce, cucullatum Tibi mitto Telesphorum. Adora!
Ipse salutifero suevit adesse deo.
„Salvus sis, inquit, qui salvos reddis amicos;
En guttam Panaces. Accipe, suge, vale!"
Quaesitum est, Panaces quid sit. Vos fundite vina.
Hoc Panaces. Noster vivat Hedenus amor!

LXXXIX.

MANIBUS

VIRI INCOMPARABILIS

FR. LODOVICI BREUERI,

PRIDIE KAL. IANUAR. MDCCCXXXIV.

Quis desiderio sit modus.

Noster amor, Breuerus abit. Stupet icta dolore
Patria. Nam civem non habet illa parem.
Excitat atra dies, pluvii quae flebilis anni
Finis, Breueri meta suprema fuit.
Proclament alii sollertem solvere nodos
Sphingis, purpureos quae sedet ante thronos.
Deliciae Charitum et Musarum, fidus amicis,
Stabilior nemo candidiorve fuit.
„Principibus placuisse viris haud ultima laus est,"
Imis, hic, gratus floruit et superis.
Coelibis haud deflet fatum carissima coniux,
Flet patria. Haec carae coniugis instar erat.

Diar. Vespert. 1834. nr. 3.

XC.

AMMONIO

IN HORTO AMOENISSIMO FLORES NITIDISSIMOS EDUCANTI

LIBATIO NATALITIA.

A. D. XVI. IAN. MDCCCXXXIV.

Quod Tibi vere novo flores Tuus hortulus offert,
Tot faustas horas det Tibi Diva Salus.

Diar. Vespert. 1834. nr. 15.

XCII.

AD BAEHRIUM

ARCHITECTUM TEMPLI BEATAE VIRGINIS,

ANTE HOS CENTUM ANNOS DEDICATI

PRID. CAL. MART. MDCCCXXXIV.

Baehri, quem livor pupugit, iam surge sepulcro!
Te celebrant hodie cantica, serta, chori.
Risit centum annos templi a Te condita moles
Temporis insidias, ignivomosque globos.

Diar. Vespert. 1834. nr. 53.

XCII.

LINDENAVIO

PATRONO OPTIMO

DIEM NATALEM ET RUTAE REGIAE INSIGNIA

A. D. XI. IUN. MDCCCXXXIV.

GRATULATUR CLIENS PLUS QUAM SEPTUAGENARIUS.

Tot, Lindenavi, deducat Parca benigna
Fila Tibi in tumida conglomerata colo,
Quot prostant hodie generosae vellera lanae,
Mercatorem ubi nunc aurea lana beat.
Et quot ruta, pio Tibi nunc in pectore fulgens,
Paucos Principibus addere sueta viros,
Frondescit foliis, tot det Tibi numen in annos
Robur inexhaustum. Caetera dat sibi vir.

Diar. Vespert. 1834. nr. 139.

XCIII.

SODALITIO

AD ALMAE PORTAE ANNIVERSARIA

A. D. III. ID. NOVBR. A. MDCCCXXXIV.

CELEBRANDA LIPSIAE CONGREGATO, HANC SYMBOLAM ABSENS CORPORE, PRAESENS ANIMO

OFFERT

C. A. B.

Quum puerum imberbem gremio me Porta foveret,
Arridens dixit: cresce, adolesce, puer!
Deinde genas mulcens, fias barbatulus, inquit;
Nam non fit doctor, cui glabra mala nitet.
Quid voveat melius matercula dulcis alumno?
Quid lanugo iuvat! clamito: Barba, veni!
Venit barba nigrans; memini, quum tonsor adesset
Numburgo, exclamat: iam vir es! ecce pilos!
Venit barba, et cum barba venere labores.
Tonsorem increpui saepe. Moratus erat.
Doctor ego puerisque fui iuvenumque catervae,
Exposui doctis saecula prisca viris.
Doctoremque iterum me docta renuntiat Hala,
Hala biceps: nutrix nam Viteberga fuit.
Hoc fit, quod iussit mihi Porta increscere barbam;
Haec mihi Portensis praemia barba tulit.
Barba incanescit, fateor. Sum calvus. At aetas
Non me incurvavit; membra vigore calent.
Ergo pilos tonsos, aurata pyxide clausos,
Iam more antiquo consecro, Porta, tibi.
Multis discipulis ibi crescat barba beata,
Et stet per bis sex lustra virile decus.
At vos barbati, docti lepidique sodales,
Cum votis Genio fundite vina piis.
Saxoniae erepta es, bona mater. At oscula alumni
Nos quoque libamus. Cresce, maneque diu.

XCIV.

CHRISTIANO IACOBO EISENSTUCKIO

DOCTORIS HONORES SEMISECULARES

GRATULATUR

C. A. B.

A. D. IV. IUNII MDCCCXXXV.

Ite, ite hendecasyllabi pusilli,
Ite, heus, versiculi Catulliani,
(Nam vos missito nuntios amicis,
Si lux candida, candido lapillo
Illustranda vocat Salutis omen);
Apportate bonam salutem amico,
Illi, quem Themis ante dena lustra
Doctorem e cathedra renuntiavit.
Ridetis, Themin hunc renuntiasse?
At sic fama refert: peritior si
Iuris discipulus siti profunda
Siccavit puteos lacusque iuris,
Vestem induta Themis gravis decani
(Decanum esse putas, dea ipsa praesto est)
Doctorem egregium solet creare.
Ergo vera Dea hunc renuntiavit!

Illi nunc epulae parantur. Adsunt,
Acclamant veteres, novi sodales,
Qui praesunt Themidos sacris in urbe.
Quam praeterfluit Albis, uva tingit.
Clamant: sit bene semisaeculari
Doctori! ingeminant canora vitra:
Vivat militiae decus togatae
(Cuius si bene nomen exputastis,
Ferro machina militaris horret,
Prosternens inimica castra, sed nunc
Purgat fraude forum, reosque punit) *).

---

*) Inter omnes constat, nomine per totam Saxoniam inclyto *Eisenuckiorum* proprie significari tormentum ferro conflatum (*ein eisernes Stück*), cuius e faucibus globi provolant flammivomi, quassantur moenia,

Inter pocula vota nuncupantur,
Ut servet veteranum amor deorum,
Atque ut Diva potens, ministra potus,
Quo cessat senium, redit iuventus,
Hebe, nunc patera capaciori
Haustum nectareum Seni propinet.
Et ne Diva scyphum requirat aptum,
Affertur scyphus, arte fabricatus,
Argento nitidissimo expolitus,
Ornatus foliis, operculoque
Signans Iustitiam severiorem,
Portans nomina, quotquot adfuerunt.

Hoc collegae hodie Tibi sacrarunt!
Sed non possum animi silere motum,
Quo pectus mihi sentio calere.
Nosti, nos studiis revinxit ambo
Olim Lipsia, pendulos ab ore
Wenki tardigradi, sed arte multa
Omnes historias probe explicantis.
Tu Gottingam abiisti. Ego at misellus,
Custos ut fierem et sequax magister
Ursini catuli ferocientis
(Designo iuvenem recalcitrantem
Illustrique loco superbientem,
Fictum quippe luto tenaciore),
In pistrinum abii. Vocat Gubena,
Dein Budissa capit, Vimariensi
Tandem haesisse choro, iuvat decetque
Tu fidus patriae manes. Placebat
Regni Dresda caput, caputque legum.
Disiunxit spatium. Ast amor revinxit
Ambo. Nam face coniugali utrumque
Iunxit una domus. Duae sorores
Adsunt. Duximus. Aucta laeta proles.

---

dilacerantur milites. Quis vero laetitia non perfundetur, quod, Iano nunc in aeternum clauso, nomen lethiferum ad civilem tantum fortitudinem et militiam togatam translatum in eo versatur, ut perplexos litium nodos dissecet, fraudes dispellat, nebulones conficiat?

Nunc deflemus uterque morte rapta.
Sustentat viduos beata vitae
Anteactae renovatio. Manebunt,
Crescent semina sparsa, germinabunt.
Tu nunc litore prospicis recurvo
Illisas scopulis securus undas
Cautus navita, providus futuri.
Me, quem literulae diu occuparunt,
Collegisse iuvat leves tabellas
Magno e naufragio vage enatantes.
Nam saepe abiicio meos libellos,
Quorum poenitet. At monent amici:
Sunt, quos tollere praestet. Ergo tollo. —
Numen nos voluit frui otiosos,
Quidquid Parca rapax dedit fruendum.
Vivamus placide, senes iocosi,
Regum iurgia, plebis et susurros
Omnes unius aestimemus assis.
Vivamus, valeamus. Hoc precamur.
Nam non vivere, sed valere vita est.

XCV.

FRIDERICO IACOBSIO,

MUSARUM CORCULO,

AMICO SPECTATISSIMO

BESDAE IN ITINERE DEVERSANTI, DIEMQUE, QUA PRIMUM DOCTORIS MUNUS CAPESSIVIT, INTER AMICOS CELEBRANTI

A. D. XXIX. AUGUST. MDCCCXXXV.

LACRIMAE CHRISTI POCULUM

LIBAT

C. A. B.

Ex quo, Iacobsi, patuit Tibi prima cathedra,
Sunt bis quinque hodie lustra peracta Tibi.
Declinasse iuvat plausus, laetumque tumultum,
Quo celebrare cupit gaudia Gotha senis.

At plaudit Tibi laetanti Germania tota,
Plaudit Dresda favens, hospitioque fovet;
Arridensque *seni* vetulus notusque columbus,
Boettigerus *senior*, brachia tendit amans.
Amplexans fudi lacrimam. At melior Tibi spumet
Nunc lacrima, in saxis orta, Veseve, tuis.

CARMINA ALIQUOT GRAECA.

I.

Η ΕΛΛΑΣ ΠΡΟΣ ΤΟΥΣ ΝΕΟΥΣ ΤΟΥΣ ΕΝ ΤΗι ΠΑΙΔΕΙΑι ΤΗι ΕΛΛΗΝΙΚΗι ΠΕΠΑΙΔΕΥΜΕΝΟΥΣ.

Πᾶσαν ὁμηλικίην, Μουσῶν θαλερουὺς θεράποντας,
Ἑλλὰς ἀπαιτεῖται θρέπτρα τροφῆς ἀγίης.
Φθείρει παῖδας ἐμοὺς Ἔμπουσ'. ἀπαλάλκετε λώβην.
Σώζετε τοὺς λοιποὺς, τοὺς ἐπιμαστιδίους.
Ἑλλὰς ταῦτα βοᾷ Τουρκῶν γναμφθεῖσ' ὑφ' ἱμάσθλης.
Τῆς Δρέσδης ἐλεεῖ ἡ νεόλαια βοάν.

Diar. elegant. hominum 1826. nr. 224.

II.

ΥΓΙΕΙΑΣ ΘΥΜΙΑΜΑ.

ΤΗι ΕΝΝΑΤΗι ΤΟΥ ΦΘΙΝΟΝΤΟΣ ΙΑΝΟΥΑΡΙΟΥ.

ᾳ ὠ κ ς.

Ἐγγυάλιξε θεὸς πρόφρων τῇ πατρίδι παῖδα
Θηλυτέραν, πέταλον πηγάνου ἡμετέρου.
Χαῖρε πατρίς. Βασίλισσ' ἔσεται, μήτηρ βασιλήων.
Οὐχ ὁρᾷας, οἷῳ τέκνον ἔλαμψε φάει;
Ἔσται δὴ φιλάδελφος ἀεί· πρωτάγγελος ἦλθε
Παίδων ἀῤῥενικῶν πρωτογενὴς θυγάτηρ.
Εὐφήμει. ζῇ τέκνον ἐν ἀγκαλίδεσσι τοκῆος,
Ζῇ ἄλοχος καὶ σῶς ἐλπίς. ἅπαντα σόα.

Diar. Vespert. 1827. nr. 24.

III.

ΕΣ ΤΟ ΝΕΟΘΑΛΕΣ ΤΟΥ ΙΕΡΟΥ ΠΗΓΑΝΟΥ ΕΡΝΟΣ.

Μήτερος ἐκ κόλπων παῖς ἔκθορε, χάρμα πολίταις,
Εὐχαῖς ἡμετέραις νῦν ἐπένευσε Θεός.
Ὄλβιε παῖ, τριπόθητος ἔφυς, τρίλλιστος ἐν ἡμῖν,
Νῆμά τε γειναμένῳ Μοῖρ' ἐπέκλωσ' ἀγαθόν.
Ἔκγονον ἡ ΤΗΘΗ τὸν ἐπωλένιον θάμ' ἔκυσσεν,
Ἡ Σώτειρ' ἐφάνη γῆς ἀπὸ τηλεδάπου.
Εὐφήμησ' ὁ ΠΑΤΗΡ καὶ ἐπεύξατο πότνια ΜΗΤΗΡ
Σῶν ἔμεναι, θάλλειν εἰς ἔτος ἐξ ἑτέος.
Τέκνον ἰδὼν Βασιλεὺς ΑΝΤΩΝΙΟΣ ἐξεβοήσεν·
Πήγανον ἡμέτερον φύλλον ἔβλαστε νέον.
Σύν τ' εὐηγορίῃ, σύν τ' εὔγμασι, σύν τ' ὁλολυγαῖς
Ἡ πατρὶς εὐφήμως ἄῤῥενα παῖδα βοᾷ.
Χαῖρε μέγ' ὑμνηθείς, ἐπεὶ οὐ βασιλεύτερος ἄλλος.
Ἀνθολογεῖ σοι ἔαρ, στέμμασι πάντα βρύει.

Diar. Vespert. 1828. nr. 101.

IV.

ΙΩΑΝΝΗι, ΑΡΧΟΝΤΙ ΤΗΣ ΣΑΣΣΟΝΙΑΣ

ΓΕΝΕΘΛΙΑΚΟΝ ΓΕΡΟΝΤΙΚΟΝ.

Λαμπρὸν ἄγει ΣΟΙ, ἄναξ, ἦμαρ ῥοδοδάκτυλος Ἠως
Κοσμοῦσ' εἰαρινῷ δῶρα γενεθλιακά.
Χαῖρε, σοφῶς μεδέου τῆς πατρίδος, ἔν θ' ὁμονοίᾳ
Ἀγνότατον δήμῳ πάντι φάος προφέρων.
Ἦν στάσις. ἀρχέκακος θόρυβος πόλιν ἀμφιδέδηει·
Ὁπλοφοροῦσα πόλις πᾶσαν ἀπεῖργεν ὕβριν.
Σῇς γὰρ ὑπ' ἐννεσίῃσιν ἐφοπλίζουσι πολῖται
Τάγματα. Τάξαντος ΣΟΥ σόα πάντα πέλει.
Καὶ ταύτης εὐεργεσίης χαρίεσσαν ἀμοιβήν,
Ὅσσα γλύκιστα βροτοῖς, πάντα διδοῦσι θεοί.
Συζυγίην γλυκεράν, τρεῖς πτόρθους (ἀλλὰ τέταρτος
Οὐ βραδυνεῖ) χαίρεις ἀμφαγαπαζόμενος.

Diar. Vespert. 1830. nr. 297.

V.

ΙΩΑΝΝΗΙ
ΑΡΧΟΝΤΙ ΤΗΣ ΣΑΣΣΟΝΙΑΣ
ΤΟ ΤΕΤΑΡΤΟΝ ΠΑΤΡΙ.

Στύλοι μὲν οἴκων παῖδές εἰσιν ἄρσενες.
Eurip.

Χαῖρε, φάος Σασόνεσσι· Μογοστόκος Εἰλείθυια
Ζώνην τῆς ἀλόχου χερσὶν ἔλυσ' ἀπαλαῖς.
Ἥδιον ἐξεγέλασσε θεὸς μαιεύτρια· μήτηρ
Ἄρρενα τεκνοῦται νῦν δεκάμηνον, ἔφη.
Ἐξέθορεν κόλπων τῆς μητέρος· ὀβριμόπαις εἶς,
Ὦ πάτερ· εὐφημεῖ λαὸς ἀγαλλόμενος.
Οἶκος δίστυλος στιβαροῖς ἀναδείματ' ἐδέθλοις.
Ὅρμεῖ ἐπ' ἀγκύραις ἡ πατρὶς ἀμφοτέραις.

Diar. Vesper. 1831. nr. 84.

VI.

ΕΙΣ ΤΑ ΓΕΝΕΘΛΙΑ ΤΡΙΑΚΟΣΤΑ
ΙΩΑΝΝΟΥ
ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΤΗΣ ΣΑΣΣΟΝΙΑΣ
φ ώ λ' ά
ΠΡΟΣΦΩΝΗΜΑ ΓΕΡΟΝΤΙΚΟΝ.

Χαίρει πᾶσα πόλις καὶ ἐπευφημοῦσι πολῖται·
Ὄλβιε, χρύσεα ΣΟΙ Μοῖρ' ἐπέκλωσε λίνα.
Ὅσσ' Ὑγίεια δίδωσι καὶ Ἥβης ἄγλαα δῶρα,
Πάντα ΣΟΙ εὐφρονέων ἐξετέλεσσε θεός.
Θάλλει ΣΟΙ γαμετὴ πεδνή, παίδων τε τετρακτύς·
Ἀμφιτέθηλεν ἓαρ δῶμα ΣΟΝ ἀμβρόσιον.
Εἰρήνην φιλέεις, Εἰρήνης ἔργ' ἀτιτάλλεις·
Ἀλλὰ καὶ Εἰρήνης ἔργ' ἐφύλαξεν ἄορ.
Σάλπιγξ καὶ τυπάνων δοῦπος τίνος ἐστὶ κέλευσμα;
Ἔστιν Ἰωάννης, ὃς τὸ κέλευσμ' ἐδίδου.
Σῆς γὰρ ὑπ' ἐννεσίῃσιν ἐφωπλίσσαντο πολῖται·
Οὐ ψόγος· Εἰρήνη τοῦτ' ἐκέλευσε ταγῷ.

Τῷ νῦν οὔνομα ΣΟΝ κλήζουσιν συμποσιάρχαι,
Τὴν δὲ γέφυραν, ἰδοῦ, καινὸν ἐπῆλθε σέλας.
Ἄλλα καὶ ἡ κίθαρις ΣΕ πρέπει, μόχθων κατάπαυμα,
Καὶ ΣΤ μεταφράζεις Δάντου ἄπειρον ἔπος.
Νῦν δὲ καὶ ἱστοριῶν χάριτες, τὰς θρέψεν Ὁλώρου
Παῖς, μετὰ τοὺς καμάτους ΣΟΝ στεφανοῦσα κάρα.
Εἷς πόθος εὐχομένων, ἵνα πύργος, πατρίδος ἄλκαρ,
Πύργον γὰρ ΣΕ καλοῦσ', ἀσυφέλικτος ἧ.

Diar. Vespert. 1831. nr. 298.

VII.

ΙΩΑΝΝΗι,

ΑΡΧΟΝΤΙ ΤΗΣ ΣΑΣΣΟΝΙΑΣ.

Εὐκταῖς ᾠδίνεσσιν ἐπευφημεῖτε, πολῖται·
Εὐχαῖς ἡμετέραις εὖ κατένευσε θεός.
Ἦν τετράφυλλον Ἰωάννου πολυάνθεμον ἔρνος·
Πέντε βρύει φύλλοις. Οὔποτε φυλλοβολεῖ.

Diar. Vespert. 1832. nr. 193.

VIII.

ΙΩΑΝΝΗι

ΑΡΧΟΝΤΙ ΣΑΣΣΟΝΙΚΩι

ΠΡΟΣ ΤΑ ΠΕΝΤΑΠΑΛΑΣΙΑ ΓΕΝΕΘΛΙΑ ΟΙΚΟΤ ΤΟΥ ΒΑΣΙΛΙΚΟΥ.

Χαῖρ' εὔπαις ὦναξ· ἀλόχῳ μέγα κῦδος ὀπηδεῖ·
Οὐ κάμε τῶν ὀδυνῶν λῆξιν ἐπευχομένη.
Ἰητρῶν ἀπόρων μαιευτῶν τ' ἐξεγέλασσε
Τάρβος καὶ θορύβους εἰσορόωσα θεά.

Ἔρχομ', ἄρη, σάτειρα καὶ ἄμφω προΰβαλε χεῖρας·
Μητρὸς δ' ἐκ κόλπων παῖς ἀνέτειλε καλός.
Τρίσμακαρ, ᾧ σύζυξ κεδνὴ νέον ἐγγυαλίζει
Ὄζον, τᾶς ἱερᾶς πεντάδος ἀκρότατον.
Θάλλει Σασσονίης γλυκερὸν πέντοζον ἄγαλμα,
Πήγανον· οὔποτε γὰρ φυλλοβολεῖ τὸ φυτόν.
Τίεῖν παππάζουσι τρίας ποτὶ γούνασι πατρός,
Μητέρι συμπαίζειν τρεῖς χάριτας συνορᾷ.

Diar. elegant. hominum 1832. nr. 160.

I. INDEX AUCTORUM.

Aeschylus 194. 849. sq.
Anthologia Graeca 378. 418.
Appianus 133.
Appuleius 407.
Aristoteles 325.
Arnobius 133.
Athenaeus 333. sq. 391.
Bion 318. sq.
Callimachus 232.
Callistratus 374.
Catullus 391.
Cicero 125. bis. 132. 233. 294.
Demetrius Phalereus 362.
Demosthenes 323.
Diodorus Siculus 331.
Dionysius Halicarnassensis 39.
Donatus 265.
Euripides 296.
Hesychius 315.
Horatius 194. 277. 364. 43 . sq.
Isocrates 269.
Livius 172. sqq.
Lucae A. A. 199.
Lucianus 219.
Lucretius 232.
Maximus Tyrius 338.
Menander 366.
Nepos 333.
Paroemiographus Graecus 358.
Platonius 336.
Plinii N. H. 305. 410.
Plutarchus 107. bis. 275. 436.
Pollux 232. 304. 354.
Polyaenus 270.
Quintilianus 232.
Scholiastes Aristophanis 361.
— — Euripidis 369.
— — Luciani 356.
Silius Italicus 181.
Stesichorus 36.
Suetonius 115. 208. 338.
Suidas 315.
Tacitus 385.
Terentius 220. 229. 244. sqq.
Thucydides 270.
Valerius Maximus 298.
Virgilius 31. sqq.

II. INDEX RERUM ET VERBORUM.

Actores scenici 289. sq. iis partes a poetis attributae 297. actores partium in re scenica 308. 311. sq.
Actus in tragoediis Graecis 384. in fabulis Romanis 340.
Aegyptii mores Romam translati 437. sq.
Aeschines Orator 323.
Agatharchus 301.
ἀγορὰ πλήθουσα 29.
ἀγωνισταί 318.
Αἰγείρου θέα 332.
Αἰῶραι 359.
ἀκκίζεσθαι 263.
ἀλαζών 272.
alligare 262.
ἄλοχος 279.
ἀμεταστρεπτί 178.
ἀνδραποδισμός 262.
ἀνεπιστρεπτί 178.
ἀοιδοί 294.
ἀφαιρεῖσθαι εἰς ἐλευθερίαν 261.
Apollo citharoedus 407.
Apollinis πάρεδροι 410 sq.
Arabesken 505.

arae in plateis urbium Graecarum 29.
Areopagus 69.
Aristophanes deorum irrisor 64 sq. vindicatus ab opprobriis ei factis 84. eius ὧραι comoedia 66 sq.
armorum doctores apud Romanos 117.
artifices num Roma genuerit 135.
Atheniensium mores et ingenium 71. cavillatio in Dores 331. educatio puerorum 145.
ἀσεβείας γραφή 69.
athletae quando primum Romae prodierint 118.
αὔλειος sive αὔλιος porta 366.
Bacchanalia 216. sq.
Bacchi κάθοδος ad inferos 79.
βάσκα 222.
βασκάνιον 222.
βιαίων δίκη 252.
brachium involutum 217. sq.
bulla aurea pueris Romanis appensa 208.
Cadmus 386.
campidoctor 118.
canis 261.
canticum in re scenica 340. sq.
cantor 341.
Capitolii situs 136. sq.
Carcini tragici duo 371.
κατάβλημα 358.
Catilinae coniuratio 127.
Catonis Maioris ingenium et mores 112. sqq. scripta 116.
Centauromachiae confusae 51.
χαρίεις 115.
choragus 291.
χορηγία Attica 336.
χορός 44. χορὸν αἰτεῖν, δοῦναι 288. chori Graeci 287. circa aras 44. sqq. dithyrambici 287. sq. magister, praesul, praecentor 290.
χύτρα 117.
cibus Graecorum 37.
Ciceronis laudes 138. sq. epistolae ad diversos 6. sq.
citharoedorum habitus 406.
comae habitus 273.
Comicorum Atticorum ludibriia de diis gentilibus 58.
Concordiae aedes Romae 130.
concrepare 303.
condiscere 284. sq.
κοσμῆται 219.
Coulisses 300.
καυρῆτες 42.
κράδη 358.
Croesi colloquium cum Solone 197. rogus 202.
κρουπέζιον 303.
κτυπεῖν 303.
Cupidinis et Psyches nuptiae 416.
δείπελον 332.
Delphici tripodis involucrum 426.
Demosthenis imago 511.
Deus ex machina 348 sqq. Dii quales hominibus apparuerint 177. quibus sacris potissimum inhiaverint 178. volantes 362. deorum conspectus noxius hominibus 178. interventus 361. personam sibi imponunt homines 411. sq. praesentia num apud historicos ferenda 187.
Δεναάδαι 333.
δευτεραγωνιστής 318.
δευτερολόγος 319.
διδασκαλία 285. didascaliae Terentianae 340.
διδάσκαλος 285. 287. sq.
διδάσκειν 285.
Δίκη 199.
Dionysia Attica 80.
Diphili συναποθνήσκοντες 587.
discere 284.
discipulus 284.
διφθερίας 225.
docere fabulam 284. sqq. 298.
domus Graeca illustrata 365. sqq.
δορυφορήματα in operibus artis Graecae 410.

draconum notitia ex Oriente in Graeciam venit 370. currus in scena Graeca, ibid.
ebrii in scena Graeca 244. sq.
ἠχεῖα in theatris 227.
ἐκκύκλημα 353.
ἐγκυκλεῖν 354.
εἰσκυκλεῖν 354.
ἐμμέλεια 290. sq.
ἐνδόσιμον 303.
ephebi 218.
ἐπίσειστοι 273.
episodia historicorum 185.
εὐπάρυφος 274.
Euripidis laudes 364. sq. cantica chorica 363. Medea 363. sq. eius duplex recensio 368
ἐξώστρα 354.
fabulae scenicae a poeta praelectae 294. sq.
forum attingere 210.
funda 258.
fur 255.
furcifer 260.
Γαλήνη 418.
gallus Aesculapio mactatus 527.
gestus scenicus 326.
γράμματα 115.
Grotesken 505.
γυμναστής 117.
γυμνός 343.
gynaeconitis in qua parte aedium sita fuerit 250.
haruspicina Etrusca 133. sq.
Hercules Ogmius 524.
Herculis scyphus 36. vestitus et armatura 38. sq. voracitas 82.
Hermarum formatio 62.
Herodotus quomodo oraculis usus fuerit 191. eius elocutio 184. historia iudicata 182. sqq. notio de rebus divinis vindicata 197. pietas in deos 188.
Hippocratici libri περὶ ἱητροῦ auctor 269.
histrio 342. unus plures in eadem fabula personas sustinuit 231. in Graecia a spectatoribus malehabiti 317. eorum sortitio 314.
Homerus quomodo deos introduxerit 188. eius lectio apud Graecos 54. sq.
hymni Graeci 46. sq.
ἱμάτιον 252.
infulae 419.
interpretatio scholastica classicorum veterum 126. sq.
Iovis statua in Capitolio 132.
Italica saltatio 343.
Iunonis odia in Herculem 47.
larvae 220.
lectio stataria 10. sqq.
legum scientia pueri romani imbuti 117.
Lernaea hydra 51.
Liber 216.
libera toga 216.
liberi 216.
literarum Romanarum forma 119.
literaturae Graecae origines 293.
Livius ab opprobriis ineptae superstitionis vindicatus 173. eius lectio in scholis, ibid.
lucernae 512.
Luciani dialogi meretricii 253. sq. 277.
ludi literarii apud Romanos 115. sq.
Lupercorum sacra 334.
Lycurgi instituta 108.
lymphatus 434.
μαγειρικὰ σκώμματα 263.
μάγγανον 359.
magnificus 248.
malum 390.
manus votivae 522.
Mareoticum vinum 436.
maschera 222.
μηχανῆς usus 357.
Medea τεκνοκτόνος 364. eius historia fabulosa 368. sq. ab artificibus priscis picta, ficta, caelata 373. sqq.
μηδὲν ἐπιστρεφόμενον aliquid facere 178.

Melpomenes clava et gladius 375. 380.
Menandri *Κόλαξ* 275. *Μισούμενος* 276. *Περικειρομένη* 279. *Ῥαπιζομένη* 278. *Ψευδηρακλῆς* 280.
mercenarii milit. in Graecia 268. sq.
meretrices Atticae 249.
μίτυλος 366.
militis gloriosi persona in comoedia nova 266. sqq.
mimae 342.
mimi 230. 342.
mimica poesis 332. 334.
Minervae calculus 513.
μισθοφόροι 268. 271.
μισθωτοὶ actores 308. 315.
modi musici in scena 303.
monumenta 249.
mulcare 254.
mulieres Graecae theatro prohibitae 309. fabulas docentes 305.
mysteria Graeca 86. 441. sq. in Italia celebrata 213. 216.
mystica vannus 420. sq.
mythologiae Graecae origines 86. sqq.
naphtha 395.
Nemeaeus leo 50.
Nemesis 194. 205. eius statua 203.
Nero Caesar Apollinis citharoedi simia 407.
nudus 343.
νοῦν ἔχειν ἔν τινι 264.
nuptiarum ritus 385.
oculos effodere 247.
Oechalia ab Hercule capta 52.
οἰδεῖν 350.
oracula Graecorum 190.
orationes publicae ab oratoribus quando literis perscriptae 125.
oratorum gesticulatio 219. inventa ad auditores persuadendos 157.
orchestra 306.
palla 408.
palliatae comoediae 224. sq.
pallium Atticum 252.
palmae in foribus rhetorum 515. 555.
Panicus terror 200.
Pantomimi et pantomimae 344 sq.
παραβλήματα 301. sq.
παρεγκύκλημα 361.
parodiae Graecae 77. comicorum Atticorum 63. 75.
πάροχοι pueri 386.
παρυφὴ 274.
patres Romani filiorum educationem sedulo curantes 122.
patrimi matrimique pueri 386.
patronus Atticus 253.
pegmata 353.
pelles vestit. homin. inservientes 38.
penículum 256.
peregrinorum sors Athenis 251.
περίακτοι 354.
περίπολοι 219.
personae scenicae 220. sq. qua materia factae 231. dimidiatae 232. quando capiti primum impositae 221. fabulis accommodatae 306. sq. gemmis inscalptae, ibid. 306. sq.
pervigilia Romanis non sueta 445.
phallici ritus 422.
φαντάζεσθαι 200.
Phrynichi Phoenissae 204.
phthiriasis causa 199.
φθόνος 206.
piamenta ab hominibus aversis trans caput conjecta 178.
pictura scenica 300. sq.
Pighianae picturae in bibliotheca Berolinensi 382.
pila lusoria 397.
Platonis iudicium de Lacedaemoniorum educatione 107.
Plautinae fabulae 281. Plauti Commorientes 587.
Pleias tragica 338.
Plutarchi ingenium et ars in vitis conscribendis 110.
poetae scenici fabularum suarum actores 289.

ponsi significatio arcana 389. sq.
pompae sacrae 330.
portae in aedibus Graecorum 366. in scena Graecorum 320.
praefiscina 222.
praetexta 209. 215.
praetextata verba 220.
principia 257.
prodigia ab historicis narrata 176.
pronubarum partes in nuptiis 384.
προστάτης 253.
πρωταγωνιστής 318.
πρωτολόγος 319.
Psyches et Cupidinis nuptiae 416.
puerilis aetatis pudicitia a quo sit custodienda 141.
puerorum Atticorum institutio 60.
punicum malum 389. sq.
Pyrrhus rex 265.
rechamus 359.
reddere ac restituere 248.
rhapsodi 293. sq.
Rhintho 333.
riscus 250.
rituum sacrorum migratio 386.
Romae incolarum multitudo 129.
Romana plebes infima 129. rei scenicae origines 334. adolescentium institutio 210. disciplina publica et privata 109. liberi tam a matribus quam a nutricibus nutriti 114. puerorum educatio 145.
sacerdotes Graeci 92. eorum partes in nuptiis 385.
Salii 39. sqq. eorum sacra 334.
saltatio in re sacra 42 sq. scenica 290 sqq.
saltator 342.
sanniones 228.
sarcophagorum Graecorum caelaturae 382.
scabillum 303 sq.
scamillum 304.
scena Graeca qualem sui conspectum praebuerit 355.
scenicus apparatus 238. sq. scenicae fabulae Graecorum in theatris repetitae 81. pictura 300. sq. scenicae rei aetates quatuor 326. sq. poetae exsibilati 55. vestimenta 305.
σκευοποιΐα scenica 296.
scholae publicae genio seculi nis accommodandae 97. in vicinia academiarum constitutae 152.
secundas agere 322.
serpentes causa superstitionis apud veteres 179.
servare 256. sq.
Sicilia; res scenica ibi exculta 329.
Silenus historicus 181.
sine Cerere et Libero friget Venus 245. sq.
Socratis mores 113.
Solonis colloquium cum Croeso 197.
Sophoclis Ῥιζοτόμοι 370.
sortitio histrionum 314.
spectatorum Atheniensium indicia de fabulis scenicis 317.
spongia in re medica 256.
sponsus et sponsa 387.
στέμματα 419.
στρατιώτης 271.
Στρουθίας 275.
superstitio Graecorum 89.
συναποθνήσκειν 587.
σύνοδος 339.
tabulae versatiles ductilesve in theatris 300.
τεχνῖται 338.
Telesphori numus 492.
τέλος 385.
Terentii virtutes 25. sq. unde sua hauserit 236. sq. Menandrum ad consilium suum invertit 264. eius fabulae a personatis histrionibus actae 224. fabularum lectio in scholis 22 sq. codex Parisiensis 224. Vaticanus 225. editionis novae specimen 235. sq.
tesserae theatrales 228.
tetralogiae tragicae 286. sq. 309.

·um Atticum 332.
· τὸ φθονερὸν 205 sq.
·γεῖον 361.
·ς 289. 314.
machus pictor 376.
11.
ii Romani origo 206.
·ium *ponere* 210.
theatrorum 228.
quo anno sumta 207.
iae tragicae 309. 383.
les 412. tripodis Delphici
·olucrum 426.
γωνιστής 318.
honis gemma 416 sq.
obsidionales 353.
historica 183.
is mystica 420. 421.
vasa fictilia mortuis in sepulcris apposita 214. vasorum Graecorum picturae 330.
velaria in theatris 352.
Vestalium virginum severitas 120.
Victoria Diis ministrans 409.
vini vis 245.
Virgilii virtutes 33.
vocis humanae exercitium apud veteres 227. 331.
ξεναγοί 270.
ξένοι 268. 270.
ξενολόγοι 270.
Xenophontis iudicium de Lacedaemoniorum educatione 107.
ὑποδιδάσκαλος 295.
ὑποδίφθερος 225.
ὑποκριτής 341.

DRESDAE, TYPIS B. G. TEUBNERI.

a.

b.



c.

d.

e.

f.



g.